

3 3433 06737496 1





Digitized by Google

Clemius
NABO

Digitized by Google

NABO

Digitized by Google

Digitized by Google

HENR. GVIL. CLEMMII

Prof. P. O. & Ecclesiastae Stuttg.

NOVAE AMOENITATES LITERARIAE.

Nota leges quaedam, sed lima rasa recenti,
Pars noua maior erit — —



FASCICVLVS PRIMVS.

STVTGARDIAE
SVMTIBVS IOH. BENED. MEZLERI,
MDCCLXII.



Digitized by Google

Repair No. 690/05.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Nouae, quas Titulus promittit, Amoenitates ab iis, quae in lucem publicam prodire inde ab aliquo jam tempore desierunt, varietate tam auctorum quam thematum differunt. Amoenitates enim hasce literarias non Philologici tantum, sed & Historici, Philosophici ac Theologici argumenti esse, ac praeterea ex recensionibus librorum tam veterum quam nouorum condimenti quid habere voluimus. Autorum varietas an satis selecta sit, selectam vero esse arbitramur, ex primo hoc specimine intelligi potest. Hac igitur methodo pergemus, atque vt singulis nundinis Lipsiensibus vnus certe fasciculus prodeat, operam dabimus. Stuttgardiae d. III. Aprilis MDCCLXII.

H. G. C.



Digitized by Google




SYLLABVS THEMATVM.



PRO-

Digitized by Google



PROGRAMMA
DE
HISTORIA
NUMOPHYLACII WIRTEMBERGICI

AVTORE
M. Joh. Chriſtian. Volz,
Prof. P. O. Ser. Duci ab Antiquitatibus, Societ. Regiae Teuton. Goetting. Membr. Honor. vt & Academiae Scientiarum Electoralis Boicae Socius.



Quum ea ſit muneris atque officii meì ratio, vt omnes, qui cum litterarum ſtudio & fauore, Principis & patriae animo ſuo conjungunt amorem, ex hac tabula publico Gymnaſii noſtri decenter compellare debeam nomine atque debita cum reuerentiae obſeruantiaeque teſtificatione inuitare, vt inſtanti proximo Jouis die, qui natalem Ser. Ducis ſequitur, XII. videlicet

licet huius mensis die, velint interesse panegyri, nostrisque sua pro Salute PRINCIPIS SERENISSIMI vota, miscere, nosque DE HISTORIA WIRTEMBERGICA EX NVMIS ILLVSTRANDA dicturos beneuole audire: paucula etiam, ex more praefari, eadem muneris ratione adstringor. Incidi, de argumento sollicitus, in eam cogitationem, vt crederem, neque alienum fore ab hoc instituto, neque lectoribus plane ingratum, si *nonnulla, quae ad historiam praestantissimi, amplissimique, quod tuetur Serenissimus Princeps ac Dux Wirtembergiae nostrae Carolus numophylacii facere videntur*, hac pagina percensuerim. Non etenim minor aut fructus aut gloria redundat in summos imperantes, ex hoc quo litteras ornant & tuentur studio, quam ex reliquis in Republica bene gestis. (*a*) Et potiori quidem jure hanc sibi vindicant principes gloriam, quod ea non est priuatorum aut cura aut felicitas, vt ipsi, angustioribus circumscripti limitibus, gazas instruere possint numorum digna copia refertas solaeque principum

(*a*) Hoc post alios prolixius, demonstrare velle, esset actum agere, de fructu vero & gloria, quem ex numismatica scientia capere possunt Imperantes summi, egit praecipue Cel. Vir, GISBERT. CVPERVS in Differt. singulari, *de vtilitate, quam principes ex numismatibus capere possunt*, quae iuncta comparuit excell. eiusdem libro de *Apotheosi Homeri*. Amstelod. 1683. 4.

Digitized by Google

pum facultates his sufficere queant expensis. In his enim cum TACITO licet affirmare: *Caeteris moralibus in eo stare consilia, quid sibi conducere putent. Principum diuersam esse sortem, quibus omnia ad famam dirigenda.* Erudito sermone, ac summis imperantibus perquam honorifico, hoc probauit Cl. Autor Gothae, quae dicitur, Numariae *Christ. Sigis. Liebe*, prooemio, quod descriptioni praestantissimi Gothani numismatum thesauri praemisit, principem scil. optimum dignissimumque Cimeliarcham sistens. (*b*) Hinc laudabile semper eorum

(*b*) Iungere huic liceat Auctorem concise atque solido scripti compendii, *de Re Romanorum numaria*, quod 1753. lucem vidit, Dresdae & Lipsiae. 8. qui Sect. II. Cap. II. §. XV. ita fidenter pronunciauit, postquam de vtilitate harum litterarum attulerat non pauca: „*Principum* autem „& *ciuitatis primatum* interest, hanc in antiquitatem „summam vt impendant operam, quum boni princi„pis pariter ac boni ciuis officia satis superque exponat. „Huic igitur doctrinae maxima facultate eiusmodi pris„ciaeui reliquias exquirendi, colligendi, instruendi, „illustrandi praeter caeteros ornati magnificentius indul„geant principes, id quod copiosius & pro more suo „elegantissime suadet IO. GV. BERGERVS, in *Oratt.* „*Selectior.* p. 289. sqq. „ Numos antiquos jam asseruasse, & amicis pro munere misisse, C. CAES. AVGVSTVM, ex *Suetonii* discimus OCTAVIO, qui Cap. 75. huius meminit facti vid. Edit. Cel. IOH. AVG. ERNESTI. p. 134.

eorum fuit habitum consilium, ipsisque summorum principum auspiciis & saepe impensis suffultum, qui praestantium Europae Numophylaciorum descriptiones, aut numismatum in iis asservatorum, publicare constituerunt recensiones. Quantum ex altera parte principi adcrescit exinde gloriae, tantum litterarum amatoribns ex altera subnascitur vtilitatis. Argumentis, ex ipsa rerum harum natura ductis, aeque ac auctoritate virorum, in hoc genere praestantissimorum, tueri possem, si quidem omnino probatione, id quod modo asserui, opus haberet. (*c*) Quamuis autem

(*c*) Nemo fere est Auctorum, qui hanc scientiam sibi tractandum sumserunt, qui non & hoc ornauerit argumentum, vt fere hodie in laudes eius excurrenti obiici queat notissimum illud: *ecquis vituperauit?* Omnes tamen, vti notum est, superauit Ill. *Ezech. Spanhemius*, in eximio nempe opere *de vsu & praestantia numorum antiquorum.* Cuius praesertim Editio nouissima, quae forma maxima (in folio vti loquuntur) *Londini* prodiit atque *Amstelodami* argumentum plenissime exhaurit, vt fere tentari possis suspicari, Dianae suae amore captum, ipsum, si non *nimis*, ea tn. scripsisse, quae abunde possint esse *satis.* In recentissimis auctoribus, qui de hac materia erudite atque solide disseruere, nominandus est inprimis Cel. MICH. GOTTL. AGNETHLER, cuius legi meretur praefatio ad Germanicam Numophylacii *Schulziani* descriptionem, *Halae Magd.* 1750. 4. ab ipso editam, vbi etiam memoratu digna B. I. H. SCHVLZII verba, ex eius programmate referuntur, quae vsum depraedicant huius

Digitized by Google

tem non tanta fuerit adhuc, Musei huius Wirtembergici, quantam quidem meretur, celebratio, tamen & hoc asseuerare licet, non eo vsque obscuram fuisse tanti thesauri famam, vt plane inter eruditos, aut curiosos antiquitatum indagatores ignoraretur. Mentionem facit Cimeliarchiorum Wirtembergicorum, Celeberrimus *Carolus Patin*, in *Introductione ad Historiam Numismatum*, Amstelaedami A. 1683. edita. Verba Viri, quae Cap. 25. p. 220. occurrunt, sunt sequentia: „WIRTEMBERGIAE DVCES *duo amplissima coëgerunt Numismatum Cimeliarchia*: EBERHARDVS *quidem nuper fato functus*, *Stutgardiae*, & FRIDERICVS *Neostadii*. *Vtraque fere ausim dicere opera manuum mearum*, *vtraque omni metallo & serie locupletissima.*„ Cum nescio quo fato, quae ad originem vtriusque huius gazae faciunt cognoscendam, a nostris diebus non ita longe remotam, aut interciderint, aut plane non fuerint in litteras relata, ex his maxime peregrinorum

huius scientiae, qualem ipse Vir eruditissimus expertum esse se profitetur. Eruditissimus etiam P. ERASMVS FROELICH, hoc argumentum tractauit; sed omnino nimius esse videtur in eo, quod probare annititur singularem inesse numis vim in reducendis hominibus ad viam virtutis. Nec plus nec minus illi possunt, quam omnes propositae bonorum imagines, quae bene compositum mouere possunt, & stimulare pectus.

Digitized by Google

norum documentis, quantum fieri poteſt inſtituam conquirere. Patet vero ex verbis Patini ſuperius allatis, illum Auctores habere Stuttgardiani EBERHARDVM Wirt. Ducem, ordine tertium, illum poſt miſerrima fata, terrarum ſuarum reſtauratorem; Neoſtadiani vero, FRIDERICVM, (*d*) gentis Wirtembergicae Neoſtadianae

(*d*) Liceat arripere occaſionem corrigendi errorem, quem offendi in libro Cel. NIC. HIER. GVNDLINGII, tit. *Diſcours über den Weſtphaeliſchen Frieden*, vbi ad Art. IV. §. 24. Inſtrumenti Osnabrugenſis; p. 97. Not. A. dicitur: „Die reſtitution der Cloeſter aber hielt deswegen hart, weil die Geiſtlichen ſagten, er koennte ſie ja nicht behalten, es waeren Reichscloeſter, weil aber der Herzog *Friederich* vnd *Iohann Friederich* ſich bey den Schweden tapfer erwieſen, ſo hielten ſie darauf. Denn *Herzog Friederich* hat ſolche Thaten als *Carl Guſtav* gethan. vid. *Puffendorf* de rebus Suecicis. „ *Primo* illae Clericorum exceptiones a Wirtembergicis ſolide refutatae fuerunt, vt reſtitutio non Suecorum ſolummodo gratia; ſed ipſa juſtitia exigente facta fuiſſe ſit cenſenda. *Secundo* egregie fallitur magnus vir in nominandis his Wirtembergiae Principibus. Videtur confundere *Gundlingius* Duces *Fridericum* & *Ioh. Fridericum* regnantes, cum *Friderico* noſtro Neoſtadienſi, & Ducis *Ioh. Friderici* fratribus, *Iulio Friderico* aut *Magno* aut *Friderici* noſtri fratre *Vlrico*. Nam Dux *Fridericus* Pater, Montiſpelicardenſis, & regnantis gentis Wirtembergicae Autor, nullas in iſto bello habere poterat partes, videlicet anno jam 1608, viuis ereptus. At vero *Fridericus* Neoſtadienſis, *Ioh. Friderici* regnantis Ducis filius, *Eberhardi* III. frater, is eſt, in quem a *Gund-*

Digitized by Google

dianae autorem. In eundem modum dicta sunt, quae doctissimus *Patinus* alio loco de his protulit

Candlingio dicta praecipue conueniunt. Ipse Dux *Ioh. Fridericus* a bello Bohemico quidem prorsus se abstinuit, & anno 1621. plane ab *Vnione* ista Protestantium, cuius fuerat pars, recessit, neque etiam illud cum Suecis bellum attigit, qui quippe anno jam 1628. vita hac excessit. *Friderici* vero, filii, res gestae in isto, quod vocant, tricennali bello, inter Suecos praesertim enituerunt. Non inconsultum videbitur heic loci praecipua momenta vitae herois fortissimi commemorasse, cuius breuior saltem facta est mentio in Tabula XXIV. GENEALOGIAE WIRTEMBERGICAE *Pregizeriana.* Cum Fratribus *Eberhardo,* postea Duce, atque *Vlrico,* anno 1631. *Lugdunum Gallorum* concesserat, addiscendae architectura & reliquae militaris rei caussa. Peste inde pulsi *Geneuam* secedebant, vbi anno exacto multum in litteris profecerat noster. *Vlterius* tum iter ingressus est, anno 1634. & Galliae Italiaeque insigniorem peragrauit partem. Inde vix domum reuersus, nouo accingebatur itineri. Per Galliam, Belgium, Angliamque in Insulas contendebat Danicas, vbi honorificentissime exceptus fuit. Suadente Danorum rege, posthaec aulas etiam Saxonicam & Imperatoriam Viennensem visit. Postquam & exinde discesserat, redux ad partes Suecorum applicuit animum & in exercitu *Bernhardi* magni, Vinariensium Ducis, militares mereri laureas cepit. Anno 1640. a Galliarum Rege duabus olim Vinariensibus legionibus, quae sedecem compositae erant cohortibus, in vnam redactis tribunus militum vel Chiliarcha praeficiebatur. Vinariensi exercitu Thuringiam petente, cum illo erat, & in Guelpherbytano praelio, anno 1641. virtutis suae famam adaugebat. Sequenti anno ad Vallum Kempense denuo

Digitized by Google

tulit cimeliis. Editus est in lucem Amstelaedami, Anno 1695. libellus, qui epistolas refert non-

conflgebatur, qua pugna in prima constitutus acie *Fridericus* hostem aggredi jussus, tam fortiter egit, vt pulso isto mille caperet hostes. Anno 1643. *Rothwillam* obsidione cingebat, vulnere quidem graui saucius victor tamen euadebat, & vrbe potiebatur, quam captam aduersus Bavaricum ducem exercitus *Ioh. de Werth* postea strenue quidem tuebatur, tandem vero reddere illam cogebatur. Defendendae patriae curam post ista habebat, & statione ad *Canstadianum* pontem munita, hostium progressus amoliebatur. Ex Gallia, vbi consilia eius, de nouo milite cogendo, non succedere videbantur, in Flandriam se contulit, & *Grauelingae* interfuit obsidioni. *Wilhelmus* VI. Hassiae Landgrauius, qui meritas laudes *Friderici* propius cognouerat, a. 1646. ipsum munere supremi excubiarum praefecti (General - Maior) ornabat, & praefectum vrbium *Bucholti* & *Coesfeldae* constituebat. Posthaec nouo suecorum Imperatori *Gustauo Wrangel* erat ad latus. Victoriam tandem *Greuenburgensem* in Iuliaco ipsius praecipue virtuti debebant socii, qui victori jam hosti tam fortiter restiterat, vt fugati jamjam Hassiaci ad praelium renouandum, victoriamque hosti eripiendam reuocari potuerint. Anno 1656. Ordini, cui ab Elephanto est insigne, a Rege Daniae adsciscebatur; a. vero 1670. Supremus rei Armamentariae, praefectus s. peditatus supremus dux, in exercitu imperii Romano Germanici constituebatur. Paci redditus, otio gloriae pleno inter Musas indulgebat Princeps Celsissimus, & placide anno 1682. diem obibat.

Ex dictis patet hunc esse sine dubio heroëm, de quo l. c. locutus est *Gundlingius*. Non minus idem Vir Celeberrimus, in nominando *Ioh. Friderico*, falsus fuit. Sed incertus

Digitized by Google

nonnullas a *Patino* perſcriptas, quibus ea, quae per varias terras iter faciens obſeruauerat memoratu digna, recenſet. Titulum libro fecit: *Relations hiſtoriques & curieuſes de voyages.* Occurrit in his epiſtola, die 20. Junii Anno 1673. ad Sereniſſimum Brunsuicenſium Ducem, ANTONIVM VLRICVM exarata, quae Cimeliarchii *Neoſtadiani* praecipue injicit mentionem. Liceat verba Viri, qui harum litterarum praecipuus

certus ſum, de quonam, iſto tempore viuentium, *Wirtembergicorum* loqui voluerit principe. Sane & *Magnus*, qui in *Wimpinenſi* praelio fortiter occubuit, & *Vlricus*, qui in pugna *Jancouienſi* & *Allersheimenſi* egregia patrauerat facinora, ob inſignem celebrantur fortitudinem: ſed prior *Suecorum* non attigit tempora; & poſterior a *Bauarorum* potius ſtetit partibus. Maxime igitur veri videtur mihi ſimile, nominis aliqua ſimilitudine fortaſſis deceptum, arripuiſſe *Gundlingium* IOHANNIS FRIDERICI nomen, cum de *Julio Friderico* ſermonem vellet inſtituere. Is etenim ſer. Heros, anno jam 1613. in Aſia minori primitias laurearum collegerat bellicarum: poſtea in Exercitu, quem *Vnio* Proteſtantium coegerat, Chiliarchae munere fungebatur. Adminiſtrandae Rei Wirtembergicae publicae praefectus, *Egonem Fürſtenbergium*, imperatorii exercitus ducem, caſtris prope a *Tubingâ* poſitis, ab vlteriore irruptione arcebat, a foedere tamen Lipſienſi recedere iſto tempore cogebatur. Anno vero 1632. *Stollhofen* oppidum, obſidione facta, ſibi ſubjiciebat. Quibus factis, ſine dubio *Suecorum* ſibi conciliauerat gratiam.

Digitized by Google

puus fuit magiſter, ipſa referre: p. 186. „*Je vis à Nieuſtat, un autre Cabinet; j'aurois mauvaiſe grace de le louer, puisque c'eſt presque l'ouvrage de mes mains, au moins l'eſt-il de mon eſprit. S. A. S. le Duc* FREDERIC, *l'aime présque autant qu'il le merite, & s'y divertit avec plaiſir.*„ Patet ex his *Patini* verbis, Ser. Ducem *Fridericum*, ſuadente, vt adparet, manusque & conſilia praebente Viro doctiſſimo, numophylacii iſtius fuiſſe auctorem. Quam etiam Principis eruditiſſimi induſtriam refert, & celebrat Genealogia Principum Wirtembergicorum, Tabulis a Cel. *Pregizero* propoſita. Tabula videlicet XXIV. p. 24. dicitur: de illo: „*Liebt die Gelehrten, vnd ſamlet eine ſchaezbare in mehr als* 20000. *Stük beſtehende Bibliothec, vortrefliche Künſt- vnd Rüſt - Kammer, ſamt einem groſſen Schaz von etlich* 1000. *uralten Medailles.*„ Non ſolum, ex allatis *Patini* verbis, Sereniſſimum Gazae huius conditorem; ſed epocham etiam fere conditae iſtius exinde licet eruere. Anno ſcil. P. C. N. 1649. pacto inter fratres Sereniſſimos inito, FRIDERICO Duci *Neoſtadium*, cum *Weinsberga* & *Moekmuibla* oppidis, fuiſſe traditum, Wirtembergicae gentis conſtat annalibus. Heic quum degeret, ſepoſitis bellicis, queis antea erat diſtrictus laboribus, otium inter Muſas tranſigebat Heros praeſtantiſſimus,

&

Digitized by Google

& colligendis eiusmodi gazis, honeſtiſſima cum voluptate, delectabatur. Anno 1669. vti poſthaec docebo, verſabatur in his regionibus litteratiſſimus ille *Patinus*, quo, vt ipſe commemorat auctore vſus eſt Princeps optimus, in ordinàndo, quem collegerat, antiquorum numismatum theſauro. Is vero, poſt mortem Ser. Principis, ad filium natu maiorem, Ser. Ducem FRIDERICVM AVGVSTVM, tranſiuit; quem cum aliis virtutum laudibus, & ſimilem litterarum amorem haereditario quaſi accepiſſe conſtat jure. Auxit ille non modo theſaurum, collectis magno ſtudio numis, ſed etiam typis eundem deſcribi eſt paſſus. Meminit deſcriptionis huius Polyhiſtor Germaniae Celeberr. *I. Alb. Fabricius*, in Bibliotheca Numaria Cel. *Anſelmi Bandurii*, curis ſuis, Anno 1719. Hamburgi recuſa, p. 234. ſequentibus verbis: „*Merebat etiam in hac Bibliotheca memorari Cimeliarchium ſiue theſaurus numorum antiquorum & modernorum* FRIDERICI AVGVSTI *Ducis Würtemberg. rel. quod proſtat Neoſtadii ad Cocharum. Stutgard.* 1710. *fol. pag.* 139." Quam impenſe amarit litteras & antiquitatis haec monumenta, ex iis, quae mox ſubjiciam, erit manifeſtum. Edidit Anno 1671. praeſtantiſſimum de antiquis numis opus *Carolus Patin*, inſcriptum: *Imperatorum Romanorum Numismata, ex aere mediae*

&

Digitized by Google

& minimae formae, descripta & enarrata per Carolum Patinum, D. Medicum Parisiensem. Argentinae. Librum, omnino eximium, dono misit *Patinus*, Ser. Duci FRIDERICO AVGVSTO. Exstat exemplum libri in Bibliotheca Musei Ducalis, cuius primo folio nudo, sequens inscripta est Patini manu, epistola, quam heic legendam exhibuisse, vt spero, non pigebit: „*Serenissimo Principi Friderico Augusto, Würtembergiae &c. Duci, Domino suo in aeternum colendo S. P. D. Carolus Patin. Ex primo illo tempore, quo te mihi videre contigit, Princeps Serenissime, incredibile est dictu, quanto tui amore fuerim incensus. Etenim & singulares tui mores tali Principe dignissimi, & magnus ille animus tuus, quo praecipuo naturae munere ad praeclara quaeuis & maxima natus es, in summam me sui admirationem amoremque adduxerunt. Accedit summa tua in me beneuolentia, qua me es hactenus amplexus. Quare omnis prope officii expers viderer, si tantum principem & mei amantem non adamarem. Vt ergo mei erga te obsequii signum habeas, curavi hocce munusculum ad Te deferendum, partim vt pro tuo in me fauore gratias rependam, partim vt materiam suppeditarem in qua tempus quod caetera studia, in quibus nunc totus es, reliquum tibi faciunt, non sine maxima vt spero jucunditate consumere possis; atque cum antea domestica*

tibi

Digitized by Google

tibi exempla quibus ad veram virtutem exciteris abunde ſuppetant, hic ſaltem externa ob oculos Tibi poſita videre, ad ea Te quod jam facis componere, & ita in optimum fortiſſimum ſapientiſſimumque Principem poſſis euadere. Vale, Princeps Sereniſſime, & nos amare non deſinas. Scribebam Argentinae, Kalend. April. MDCLXXI.„ Forte non iniucundum erit lectoribus heic inueniſſe, ex quo diſcant, paterno hoc atque fraterno in litteras ſtudio, accenſum etiam fuiſſe Ser. Principem ANTONIVM VLRICVM, quem eximie in litteris eruditum fuiſſe *Pregizerus* teſtatur, Tabula Genealogica XXIV. jam jam excitata. Seruatur ſc. in Muſeo Ducali aliud *Patini* opus, *de Numis Familiarum Romanorum*, olim Bibliothecae Ser. FRIDERICI AVGVSTI membrum, cuius ipſius manu inſcriptum adhuc cernitur nomen illuſtriſſimum. Folio vero primo inſcripta leguntur verba ſequentia: *Dnus. Frater Fridericus Auguſtus dedit mihi hunc librum, Antonius Vlricus, Dux Wirtembergiae.* 10. *Jan.* 1677.„ Nolim praecipere, quae per ſe ipſi lectores colligant ex iſtis. Pergam ad alia de numophylacio noſtro teſtimonia. Non oblitus eſt vtriusque theſauri, cum *Stutgardiani*, tum huius *Neoſtadiani*, *I. Groening*, *V. I. D.* auctor libelli, qui titulo: *das geoeffnete Münz-Cabinet*, Anno 1700. Hamburgi typis eſt vulgatus.

Digitized by Google

tus. p. 164. „*Es ſind auch ſebenswürdig die Hochfürſtl. Münz-Cabineter zu Stutgard vnd zu Neuenſtat, deren das eine von Herzog Eberhardo, das andere aber von Herzog Friderico aufgerichtet.*„ Tandem, in excellentiſſimis recenſet Numophylaciis noſtrum etiam Cel. *Henricus Johannes Bytemeiſter*, in *delineatione Rei numismaticae vniuerſae*, tertium Argentorati, Anno 1744. edita. In prolegomenis, p. 14. §. IX. praeſtantiſſimas refert in Germania Numorum gazas, ſeqq. verbis: „*In Germania numophylacium praecipuum & excellentiſſimum laudatur I. Imperiale* VIENNENSE: & II. *Regium* BEROLINENSE: *memorandum vero porro* III. *Electorale* DRESDENSE. *Ducale* IV. GOTHANVM, *cui* ARNSTADIANVM *olim acceſſit*: V. *STVTGARDIANVM*: VI. VINARIENSE: VII. WEISSENFELSENSE: VIII. CASSELLANVM.„ Deſtinauerat vero ſors, vt theſaurus ille prorſus eximius, ad regnatricis in Wirtembergia domus tranſiret poſſeſſiones. Mortuo etenim, A. 1716. Ser. D. FRIDERICO AVGVSTO, factum eſt, vt ſolae ſuperſtites ipſi filiae Sereniſſimae gazam illam Ser. Duci EBERHARDO LVDOVICO concederent, a quo integra illa inſigni pretio, Anno 1729. redemta, & *Gochshemio*, vbi hos antiquae hiſtoriae teſtes ſecum in ſeceſſu habuerat Princeps Sereniſſimus, *Stutgardiam* poſtea eſt transuecta.

Ea

Digitized by Google

Ea vero, quae de fatis *Stutgardiani* antiquitatum thesauri, potui exquirere, sequentibus fere continentur. Licet *Patinus* ipse asseruisse videatur, istum ab EBERHARDO Duce primum esse collectum; tamen ex iis, quae mox afferam, palam fiet, antiquiores esse vltimas illius, origines. Conjecturae est locus, ex libris, quos adhuc seruat Bibliotheca Numophylacii nostri, sub FRIDERICO Duce, stirpis Celsissimae, hodie regnantis, auctore, natales illustris huius thesauri esse inuestigandos. Corio rubro ligatos, exterius insignibus Wirtembergicorum Ducum ornatos, libros offendi nonnullos, ad antiquitates remque numismaticam facientes omnes, quorum dorso annorum, 1601. 1602. & sequentium notae adparent inscriptae. Iter instituit, sub finem Anni 1599. paucis admodum viae sociis comitatus, Princeps Serenissimus per Italiae regiones, vbi omnia visu digna curiosis lustrauit oculis. In iis etiam, cum reliquis antiquorum temporum monumentis, numorum antiquorum thesauros, vti alibi, ita Venetiis praesertim spectauit, qua de re, descriptione istius itineris typis vulgata, reddimur certiores. Non mirum videri debet, si Princeps colligendorum antiquorum etiam numorum cupiditate, illustribus, quae spectauerat, exemplis, rediit accensus. Neque solis his coniecturis res ista perficitur; certo enim

Digitized by Google

enim constat, illo quidem, quod supra notauimus, tempore Seren. Ducem FRIDERICVM, numismata Roman. Imperatorum, & magno quidem numero possedisse collecta. Eruta illa, in Montisbelicardensi principatu, prope ab oppido *Manduro* ex terris, in Principis thesauros congesta esse, eadem illa itineris, quod nominauimus, descriptione, p. 102, referente discimus. His igitur initiis subinde creuit, ad eam, qua nunc spectatores rerum intelligentes, percellit amplitudinem. Quid Ser. Dux JOH. FRIDERICVS intulerit, omni adhibito conatu nondum potui peruestigare. Locum tamen fecit, dum regeret has terras Princeps Ser. accessioni vtique non mediocri. Erat ipsi Camerae, quem vocant, redituum supremus magister, vir genere atque meritis nobilissimus *Joh. Jacobus Guth de Sulz*, (*e*) qui Cimeliarchium variarum visu dignarum rerum copia refertum sibi, animi oblectandi

(*e*) Meretur omnino Viri nomen, quod inter nostros recolatur. Vt studiis litterarum etiam opitularetur, stipendio constituto, pendendam singulis annis certam argenti summam, aliquot, qui indigerent iuuenibus, decreuit. Vltra viginti millia florenorum nostrae monetae, instituto laudabili, magno animo adfectus vir destinauit. Rarissimum, quod in manus mihi incidit, scriptum memoriam & patris & filii *Guthiorum*, conseruauit, e quo excerpta huc facientia dedisse, non erit opinor ingratum.

Digitized by Google

lectandi causa, coëgerat. Is tabulis testamenti, a. 1614. conditis, praeter alia, memoria posterorum non indigna, ordinauerat, vt cimeliarchium suum, post vnici, quem reliquit, nati decessum, partim legati titulo, partim pretio aequo constituto, ad Serenissimum Principem atque Dominum suum transiret integrum. Mortuo illo, a. 1616. accepit tabulas Princeps optimus, atque vt firma staret viri voluntas, suis effecit jussis. Ser. EBERHARDO III. tandem Duce, postquam a. 1653. fatis concesserat filius Guthii *Ludouicus*, cimeliarchium, illud inprimis etiam selecta cum antiquorum, tum recentioris aeui numorum copia insigne, ad possessiones Cels. Domus transiit Wirtembergiae. Manu exscriptus adhuc seruatur, Guthianorum, qui dicitur, numorum in Museo hoc, Catalogus, a. 1669. perfectus. Noua jam, Ser. EBERHARDI cura, cepit incrementa thesaurus praestantissimus. Versabatur hoc ipso anno in his terris Sagacissimus ille omnis antiquitatis perscrutator *Car. Patinus*. Certos nos faciunt de hac re indices numorum, Patini manu conscripti, quos Ducalis Numophylacii Bibliotheca conseruauit. Mentionem iniicit huius libri, vir litteratissimus *Anselmus Bandurius*, in Bibliotheca Numaria, quae praeclaro ipsius operi, de Numismatibus Impp. Romanorum praefixa est, p. 49. & in editione Fabriciana, p. 91. seqq. verbis: ,, *dum peregrinaretur*, (Patinus) *plera-*

que Europae Musea intentis oculis collustrauit, & cum plurima ex iis excerpsit quae sibi postmodum vsui forent, numismata omnia quae in Thesauro Caesareo Vindobonae asseruantur, descripsit, eamque *descriptionem a se conspectam testatur Struuius,* (in Bibliotheca numism. antiqu. Sect. XI. p. 94.) *Stutgardiae in Cimelio Ser. Wirtembergiae Ducis.*,, Non ingratum fore opinor harum litterarum amatoribus, integros quorum partem saltem retulerunt *Struuius* atque *Bandurius*, catalogorum istorum heic inuenisse titulos. Continentur vero vno volumine quatuor indices: ipsius *Patini* manu exarati: I. *Thesaurus numorum antiquorum ex auro, argento & aere, August. Rom. Imperatoris* LEOPOLDI, *quem in vnum coëgerat Ser. Archidux Austriae Leopoldus. Accesserunt numismata ab August. Impp.* CAROLO V. RVDOLPHO II. FERDINANDO III. *Scribebam Vindobonae, mense Julio* 1669. II. *Numismata Lomeniana Impp. Rom. ex aere mediae & minimae formae, quae exstant in scriniis Illustriss. Henrici Lomenii, Briennae comitis, Regi Christianissimo a consiliis actis & epistolis. Quae omnia mihi comparaui pretio sex mille librarum, die XIX. Decembr.* 1663. *Asterisco notantur quae hisce ab eo tempore sunt addita. Haec deinde sibi Rex Christianiss. comparauit octo mille librarum pretio.* 1669. *a me Car. Patin. D. Med. Paris.* III. *Thesaurus nummo-*

nummorum antiquorum Seren. Principis Eberhardi Ducis Virtembergiae & Tecciae, Com. Montisb. Dom. in Heidenh. &c. Stuttgardiae Kalendis Juniis. 1669. IV. *Thesaurus numorum antiquorum Illustriss. Dni. Jonae Schrimpfii, Com. Palat. Sereniss. Saxoniae Electoris, Virtembergiae Ducis, aliorumque Principum, in aula Caesarea Residentis. Vindobonae Kalend. Augusti.* 1669.„ Recenset index, qui Wirtembergicos exhibet, familiarum centum & septuaginta, Romanarum quam plurimos numos, argenteorum vero, qui ad Imperatores pertinent, seriem ad Hadrianum Augustum vsque. Quo patet, Patinum, temporis augustia sine dubio exclusum, non perfecisse hunc indicem a se inceptum. Coutulit autem & ipsa ad augendum numismatum numerum, sedula *Patini* manus, quod ipsius epistolis supra jam excitatis pag. 185. edocemur. Ita scil. ad Ser. Brunsvic. Ducem *Antonium Vlricum*, d. 20. Junii. 1673. perscripsit: *Elle*, (S. A. S. Everard Duc de Wirtemberg) *me permit d'augmenter son trésor de Médailles, de quelques unes, que j'avois portées: le beau lieu qu'elles occupent, & la belle compagnie ou elles sont, ne leur fait point regretter leur premier Maitre; aussi suis-je plus aise de les voir dans de si illustres mains, que dans les miennes. S. A. S. les visite souuient, & je ne doute pas, que son exemple n'entraine pour ainsi dire, l'inclination de la*

plûpart de Sa Serenissime Famille. Messeigneurs les Princes ses Fils sont tous trop bien faits & ont beaucoup d'esprit. Il ne leur manque que du tems, c'est à dire de l'âge, pour se faire admirer de toute l'Europe.,, Ex his manifestum est, *Patinum*, anno 1669. ipsum heic loci affuisse, ac de re numaria cum Ser. Duce egisse. Est etiam in Bibliotheca Opus illud Patini de Familiis Romanis, hujus, ligaturae lateri externo, praeter insignia Wirtembergica, nota etiam anni 1669. impressa: isti vero folio, quod titulum exhibet libri, viri clarissimi manu adscriptum legitur: ,, *Serenissimo Celsissimoque Principi ac Domino, Domino Eberhardo, Duci W. & T. Com. Mont. Dno. in Heidenb. &c. &c. Domino suo Clementissimo, hocce quantulumcunque sit opus, devoto animo obsequentique reverentia offert, Carolus Patin. M. D. P.* Qua vero ratione, coëmto Neostadiano cimelio, Ser. *Eberhardus Ludouicus*, hanc gazam adauxerit, supra jam commemoraui. Vltimam quasi contulit manum Summus Musarum Protector, Ser. Dux ac Dominus noster CAROLVS, cum enim vterque adhuc thesaurus seorsim haberetur, vtriusque coniunctione, vnum ex illis, eoque ampliorem splendidioremque multo fieri voluit Princeps Celsissimus, suis etiam ipsius euris novis subinde constituit augendum accessionibus, & in perfectiorem speciem redigendum.

MEMO-

Digitized by Google

MEMORIA GVTHIORVM REDIVIVA, EX ORATIONE SOLEMNI Tobiæ Wagneri, S. S. Theol. D. & Prof. & Univerſ. Tub. tum Procancellarii, excerpta.

Ille ego, -- denuo hoc ipſo tempore, hac ipſa hora & loco, Ser. Princ. EBERHARDI Deputatorum autoritate & arbitrio, vt & ex ampl. Senatus Academici permiſſu, tale quid aggredior, redintegraturus nempe memoriam Nobiliſſ. ſuique Stemmatis nouiſſimorum *Guthiorum a Sulz, in Durch-*

Scripti huius oppido rari memorabilia ob affinitatem materiae heic potius, quam a fine faſciculi cum aliis librorum rariorum excerptis prelo ſubjiciendis, percenſere conſultum eſſe duximus; Eſt vero Titulus libelli: MEMORIA REDIVIVA NOBILISSIMORVM GVTHIORVM A SVLZ, IN DVRCHHAVSEN.

I.

Iohannis Iacobi, Domus Würtembergicae Conſiliarii, & Camerae Ducalis Praeſidis, Penultimi ſui Stemmatis, Anno Domini MDCXV. pie defuncti.

Digitized by Google

Durchhausen: Patris quidem *Ioh. Iacobi*, Sereniss. Würtembergiae Ducum, CHRISTOPHORI, LVDOVICI, FRIDERICI, IOH. FRIDERICI, laudatissimae memoriae Consiliarii, ac Ducalis Camerae Praesidis meritissimi, jam ante 42. annos pie defuncti; vt & filii *Ludouici*, Gynaecei aulici Ser. nostri principis EBERHARDI praefecti dexterrimi, ante quadriennium desideratissimum genitorem per vallem vmbrae mortis in aeterna tabernacula secuti, suoque fine paternum GVTHIORVM stemma finientis; sed posteritate ab vtroque ad perpetuam sui recordationem iis meritis deuincta, vt ingratissimi essemus, si vel post centum aut mille, nedum quadraginta aut quatuor annos, ambos indictos relinqueremus, eo praesertim tempore, quo beneficia posteris destinata ab iis jam pridem in Ecclesiam redundare inceperunt. Equidem felicem me depraedicarem &c. &c.

Vt

II.

Ludouici, eiusdem Domus Gynaecei Aulici Praefecti, stemma paternum Anno Domini MDCLIII. suo fine in Domino finientis.

Ex singulari Arbitratu Serenissimi Principis Deputatorum Tubingae XXV. Septembr. in Aula Theologorum noua solenniter reproducta a *Tobia Wagnero*, S. S. Theol. Doctore ac Professore, Vniuersitatis Procancellario, Ecclesiae Decano, & Sereniss. Princ. Stipendii Superintendente. Fol. Stuttgardiae Typis Ioannis Wyrichi Rößlini, A. MDCLVII.

No-

Vt de patre *Ioh. Iacobo* primum agamus, annus centesimus decimus tertius jam currit, ex quo anno videlicet 1544, in hunc mundum fuit natus, a parentibus re quidem & nomine, vt nobilissimis, ita, vt allusione ad nomen gentilitium Guth, βαρβαρίζεσθαι mihi liceat, in superlatiuo *Guthis*, hoc est optimis, religioni tn. Pontificiae, illo tempore cum Euangelio valde conflictanti, addictis; quod quidem in eorum vel pietatis, vel nobilitatis praeiudicium dictum nolimus, quia constat ex religionis errore, nec sanguinis contemtum, nec virtutis praeiudicium protinus sequi, vt haud raro pientiores & integriores sint, qui simpliciter errant, quam qui Orthodoxiam Euangelicam subtilissimae disputationis acu tangere sibi videntur. Nobiliss. Auus nostri *Guthii*, anno 1563. a Papatu ad Euangelicam Ecclesiam concessit, cuius vestigiis eiusdem filius *Iohann. Berch-*

Nobilissimo ac Perstrenuo Viro, Domino *Vlrico Alberto à Geisberg*, &c. Aulae Würtembergicae Praefecto Meritissimo. Nobilissimis item, & Excellentissimis Viris, Ictis grauissimis, Dn. *Nicolao Mylero*, supremi Consilii Würtembergici Consiliario grauissimo, vt & Dn. *Ludonico Georgio Zorero*, Vice-Directori Consistorii Ecclesiastici dignissimo. Dnn. Patronis ac Fautoribus honoratissimis, Salutem & officia!

Vel tandem, Viri Nobiliss. vobis offero Nobilissimos, suique Stemmatis Nouissimas *Guthios*, quasi resuscitatos a

Berchtoldus, noſtri *Guthii* genitor, procul dubio inſtitiſſet, niſi interuentu praematurioris fati, vt mox audiemus, impedita fuiſſet eius conuerſio: ne quidem nobiliſſima eius coniuge *Anna Fillin à Geiſpolzheim*, genitrice *Guthii* noſtri ab hac conuerſionis gratia excepta, quando Sacramento Coenae non niſi ſub vtraque, vt fert Saluatoris inſtitutio, ab Euangelico Eccleſiae miniſtro, ex vicino Würtembergiae pago *Thalheim* in id euocato, in viaticum emigrationis ex hac vita accepto, plane euangelice finiuit; &c. Nec eſt, vt in Majores *Guthii* operoſe inquiramus, qui non laboramus, vt Nobiliſſimi ſtemmatis in multas generationes aſcendens antiquitas demonſtretur, ſed vt deſinentis memoria qualicunque oratione noſtra aeternet &c. Bimulus ergo noſter *Guthius*, amiſit patrem, *Ioh. Berchtholdum*, fato ereptum vidua matre ſuperſtite, in cuius ſinu & indulgentia vix

mortuis; *Ioh. Iacobum*, apud inclytam Domum Würtemb. longo tempore Conſiliarium, ac Ducalis Camerae Praeſidem, & *Ludouicum*, eius filium, Gynaecei Aulici Praefectum, de Sereniſſ. noſtris Principibus & eccleſia ita meritis, vt vobismet ipſis ſuffragantibus religio fuerit, eos tam tacere, quam obliuiſci, In quorum memoriis reuocandis feci, quod potui, non quod debui, tamquam pictori ſimilis, à quo hominis defuncti, ſibique antea nunquam viſi ex ſola Phyſiognomiae indicatione effigies vera requiritur, qui ſane lineamenta vera nunquam ita ex-

vix infantiam transegerat, cum *Villingae* ſub pollice cuiusdam ludimoderatoris primas litteras, quibus legere, ſcribere, numerare, putare, diſcitur, apprehenderet; hisque apprehenſis in aulam *Ioachimi*, *Comitis Lupfenſis*, puer undecim annorum, reciperetur, ſc. vt animus mature occallesceret, mollitiemque diutina ſeruiendi aſſuetudine dediſceret; quae quidem exercitatio, quia tutius in ſchola, quam aula haberi poteſt, vt *Guthio* noſtro longe ſatius fuerit, in ea aetatis teneritudine eſſe Scholaſtico, quam aulico; hinc Nobiliſſ. eius Curatorum & Cognatorum, *Eberhardi* Senioris, & *Iohannis* iunioris à *Karpfen*, Conſiliariorum Ser. Würt. Ducis CHRISTOPHORI, vt & Nob. *Iacobi Fill a Geiſpolzheim*, cura plane paterna factum eſt, vt ex aula *Stuttgardiam* fuerit translatus, & concreditus Praeceptori fideliſſimo, ob Euangelium ex Lotharingia in Exſilium acto,

exprimet, vt exprimeret, ſi daretur ex praeſentis inconniuo intuitu, cum Apelle Alexandrum pingere. Defungente enim Camerae Ducalis Praeſide *Ioh. Iacobo* adhuc puer eram, ob lubricam aetatem mihimet ipſi incognitus, nedum vt in tanto Viro ex aliqua neceſſitudine internoſſe potuerim, quid intus lateat, & quae procul ab arbitris, atque erepta perſona fiunt, ac hominem ingenue oſtendunt, quod ad Proſopographiam exacte delineandam requiritur. *Ludouicum* filium equidem ante decennium & oculis & alloquio per occaſionem fortuitam

 vſurpaui,

Digitized by Google

acto, a quo juxta latinam etiam gallicam linguam extra Galliam in Germania feliciter didicit, jactis simul in religione iis fundamentis, vt confessionem Ecclesiae nostrae pro thesauro cum totius mundi thesauris nullatenus conferendo habuerit; Transacto igitur quinquennii & quod excurrit, sub hoc praeceptore decursu, *Guthius* noster anno 1563, domum ad matrem rediit, tanquam baculus senectutis, quo optimae matronae viduitas usque ad vitae finem, non sine singulari solatio fuit nixa, hacque de causa Vniuersitatibus, in quibus continuanda fuissent studia, subductus, satis mature oeconomum, domusque priuatae sedulum administratorem agere incepit, qualis etiam, matre post defuncta, usque ad annos coniugio bene maturos in coelibatu permansit, studio tn. sapientiae priuata lectione librorum optimorum grauiter continuato, vt sic exigente rerum eius statu

vsurpaui, sed & hoc necessitudine tam procul habita, vt si in praesens is viueret, & oculis contingeret, eum amplius vix cognoscerem, excepto, quod sermonis parcum, & cum humanitate grauem fuisse reminiscor; vt exinde ipsius haererem, assecutus ne fuerim horum virorum mentis formam, quae aeterna est, non tam ex mortalibus vultus simulachris, quam ex ingenue dictis & factis colligenda, nisi mihi licuisset non tantum ea interrogare, sed etiam ex vniuersis eorum monumentis, tam maximis, quam minimis, intelligere, quae non cuius

seque

Digitized by Google

ſtatu Studiorum jacturam tum judicii, quo pollebat, acerrimi exercitatione, tum priuatae domus ampliatione feliciter compenſatam fuiſſe ſtatueremus, ſi iſtius ſeculi ſtatus ſtatui noſtro fuiſſet ſimilis, quo orphanorum gemitibus fere nihil auditur frequentibus, nihil acerbius, nihil commiſeratione dignius, quibus curatorum ſuorum rapacitatem accuſant & deteſtantur &c. &c. Sed ne adoranda Triade ſapientior haberi velle videretur noſter *Guthius*, ſi neglecto vitae adiutoris perpetuo ſolitarius viueret, tandem finito coelibatu maritus factus eſt, optime ſciens, duorum Scalmorum naviculam eſſe oeconomiam & coniugium; hinc interiecto viduitatis triennio, duas vxores in matrimonio habuit; primo Nob. ac virtutibus cumulatiſſimam *Maiam*, Nob. ac ſtrenui *Wilhelm Giſſen a Giſſenberg* & *Agnetis*, ex Nob. *Schadiorum de Mittelbiberach*, proſapia oriundae filiam, cum qua triginta quatuor annos coniunctiſſime conſueuit. Hacque defuncta Nob. *Vrſulam Vezerin ab Okenhauſen*;

aeque fuiſſent in promtu; vt ſperem, me in enarrandis eorum donis, inſtitutis, actionibus & virtutibus quadantenus progreſſum eſſe, imprimis quia in dicendo ſimplicitati potius, quae fucum omnem reſpuit, quam coloribus quaeſitis ſtudui.

Vobis autem, Virorum Nobiliſſimi, cur Rediuiuos hos *Guthios* inſcripſerim, cauſae variae ſunt, quarum vnam atque

hausen; Ambas cum ducerentur, religioni Pontificiae addictos, ſed progreſſu temporis ita a ſe informatos, vt miſſis Sanctorum baſiis Saluatorem ſuum vnice fuerint amplexae &c. Auctus fuit in primo coniugio quinque liberis, donec his breui ſublatis, ei in ſubſidium filius *Ludouicus*, & filia *Anna Magdalena Stuttgardiae* naſcerentur, quos in Spem propagandae proſapiae, quae tn. vt mox audiemus, in *Ludouico* exaruit, ſuperſtites poſt ſe reliquit.

Primum coniugii nouennium priuatus, ſed hac moderatione transegit, vt ſtudium ſapientiae ad praxin dirigere, & quae ſapienter ſciebat, prudenter agere vbiuis ſtuderet; cumprimis grauiſſima humanitate & humaniſſima grauitate finitimis Comitibus ab *Helfenſtein*, *Fürſtenberg*, *Hohenzollern*, *Zimmern*, *Lupfen*, aliisque hac ſua induſtria dignis, ita probata, vt ibi locorum nullae illuſtrium nuptiae, aut feſtiuitates celebrarentur, qua-

que alteram attingam. Annon Vos ipſi authores fuiſtis, vt has *Guthiorum* virtutes enarrarem, aſſumta cura, ne vnquam illorum fama intermoreretur. Quis non exinde colligat, eas vos virtutes poſſidere, quas in Guthiis amatis, & vt laudarentur, procuratis? Vt ob id non poſſit vobis non grata eſſe haec inſcriptio. Accedit porro humaniſſima, ac fauore pleniſſima Veſtra conuerſatio, qua me toto illo, ſatis longo tempore, *Stuttgardiae* dignati eſſis,

Digitized by Google

quarum pararius noster *Guthius* debita dignatione non habebatur: vtut & ludos, & honorum inania ob congenitam animi grauitatem temperanter habuerit, attamen quid cuiuslibet dignitati, quid loco, quid tempori, quid opportunitati dicendi, & dicta faciendi, quid laetis, quid tristibus, quid denique nulli non casui humano debebatur, ei, vt virorum prudentissimo, sagacissime constitit, in documentum rarissimae prudentiae, qua se ad magna natum Principibus viris, inprimis Ser. atque Cels. Dno. Dno. CHRISTOPHORO, Duci Würtembergiae, Heroum sui temporis pientissimo, sapientissimo, fortissimo, ita commendauit, vt anno istius Seculi 76. in supremum Iustitiae Consilium Stuttgardiae fuerit cooptatus, ac Nob. deque Iustitia administrata meritissimo *Danieli a Remchingen*, vt nobilis Consiliarius suffectus. Quo in vere nobili officio qua vigilantia Serenissimi Principis de se latum judicium confirmauerit, qua dexteritate vocationi satisfecerit,

estis, cum *Guthiana* possessio etiam in meas manus extraderetur, qua sane condiistis omnem molestiam, quae ob multa taedia in ista actione fuit deglutienda, & cuius etiam Vos ipsi juxta alia ardua, quae humeris Vestris incumbunt, negotia, mecum pars magna fuistis: quaerenda ergo fuit aliqua commoda occasio, vestris Nominibus debitas gratias agendi, simulque rogandi, vt, quod facitis, me amare atque fouere pergatis; in quam ipsam occasio-

Digitized by Google

fecerit, qua prudentia caussas cognouerit, cognitas judicaverit, quo judicio sententias in consilio promserit, promtis rationes addiderit, quibusque meritis ad maiora, non spe, aut voto, sed ambitionis fuga aspirauerit, inde constat, quia hac in statione vix biennio transacto, grauius officium non cogitanti, grauius, nempe Praesidium Camerae Ducalis, fuit oblatum, saltem vt periculum eius administrationis faceret, donec onus in humeros susceptum 37 integros annos baiulavit, sub quo intra 27 annos sex eius antecessores succuberunt, viri mere ac vere nobiles, & dexteritate rerum agendarum grauissimi, *Ioannes Landschad a Reinach*, *Iohann Truksaes ab Hoepfingen*, *Wernerus a Münchingen*, *Gedeon ab Ostheim*, *Balthasar a Karpfen*, & in cuius locum noster successit, *Wolffgangus a Zillhart*, vt respectu eorum nostrum *Guthium*, sub tanto officii onere tamdiu obdurantem, aliquem Atlantem aut Herculem fuisse quis diceret. Nolim hic quemquam a me exspe-

occasionem, donec alia suppeditauerit, hanc inscriptionem impendere volui. Viuite ergo, & valete Deo, Principi, Ecclesiae, Aulae, Curiae, Vobis, quam diutissime, quam optime. Scrips. Tubingae, 29. Septembr. A. 1657. Nobilit. Vestris Addictissimus Tobias Wagner, D.

Post dedicationem icones virorum, incisae aeri ab artifice Cel. *Phil. Kiliano*, cum eorundem insignibus.

Circa

exspectare Rhetoricam, qua merita Nob. *Guthii* tanto tempore indefessa fidelitate Ser. Dom. Würtemb. praestita amplificari possent, quia ex ipsius officii grauitate id recte facientis pronum est sententiam ferre, si, quanta curarum moles in sarcinam Duc. Camerae Praesidis compacta sit, consideretur, si, quibus cum viris, magnis potissimum, Principibus ac Nobilibus, eidem agendum sit, expendatur, si quantitas Ducalis talenti justa bilance ponderetur, & quae sunt id genus connexa huius officii plura; de quibus nemo melius judicabit, quam qui, quanti oneris ea sint, experiendo didicit, & dexteritatis specimina fecit: sicut enim in vniuersum opus artificem comendat, ita commendant acta officii virum autoritate grauem, judicio rectum, prudentia solertem, labore infractum, ac fidelitate probatum, qualem *Guthium* nostrum fuisse, vel ipse Momus inficias ire non audebit; vt aliae expeditiones, tan-

Circa patris effigiem: *Nobilissimus ac Perstrenuus* IOHANN IACOBVS GVTH *a Sulz, in Durchhausen. Sereniss. Ducis Würtemb. Consil. ac Cam. Praeses. Aet. LXXI.*

Infra versus:

En vultum *Guthi*! mihi fas sit quaerere; numquid
Cum grauitate pium, cum pietate grauem?
Heic testamenti pietas celebranda loquatur;
Quidquid possedit, Dux habet, atque Deus. T. W. D.

Circa

tanquam προσϑῆκαι & auctuaria functionis per se grauissimae breuitatis causa in praesens transeant; quibus ferendis nostro *Guthio* nemo erat patientior, aggrediendis nemo promtior, expediendis nemo dexterior, insuper habitis periculis, quae haud raro fuerunt subeunda, tamquam optime gnaro, actiones laudabiles sua natura esse difficiles, tum demum autem expeditu faciles, si alacriter & dispofite fiant, non tumultuario processu praecipitentur: vt enim ingentia onera, si recte prehendantur, facile tolluntur: ita cumulatae occupationes ordinis beneficio vix sentiuntur; instar stupendae potentiae coeli, quod admiranda ordinis concinitate indefessum manet, vt maxime perpetuo moueatur, nunquam quiescat; in cuius imitatione noster quidem *Guthius* vix secundum habuit: quod ipsum, sicut in publicis eius actionibus fuit perspectum, perspicere quoque licuit in domus suae priuatae, reique familiaris amplis-

Circa iconem filii: *Nobilissimus ac Perstrenuus* LVDOVICVS GVTH, *a Sulz in Durchhausen, Sereniss. Ducis Würtemb. Gynaecei Aulici Praefectus. Aet. XXVII.*

Infra istam:

Quae genitor statuit, mansere per omnia firma,
Consensu, *Guthi*, cuncta probata, tuo,
Fine tuo claudis Maiorum nobile stemma,
Cuius posteritas sit sine fine memor. T. W. D.

Se-

amplissimae dispositione tam concinna & bene constituta, vt in ipsa rerum natura vix quicquam monstrari potuerit ornatius & ordinatius, inprimis quod ad accuratissimam operam attinet, quam variis, magnam partem subtilissime caelatis gemmis, ac multigenis ex Africa, Asia, America, China, Arabia, India, Turcia, Persia, Moscovia, adeoque ex omnibus mundi plagis raritatibus conquirendis impendit, in quibus gignendis, elaborandis & poliendis tam natura quam ars, tam bruta, quam homines, tam coelum, quam terra, tam aër, quam Oceanus, tam antiquitas, quam modernitas ad extremum industriae gradum progressa videri possunt, qualia, nostrismet oculis quam diligentissime recognita, sunt monstra marina & germina terrae, fructus exotici & animalia varia, ostreae, conchae, cochleae vndique collectae; veterum & modernorum icones, ligno, gemmis & metallo artificiosissime insculptae, toreumata ex gemmis & ebore, aliaque materia pretiosa, quasi Praxitelis manu, aut Phidiaco caelo elaborata; vasa item sepulchralia,

Sequitur porro Programma inuitatorium ad orationem habendam nomine Vniuersitatis & Rectoris, dat. 20. Sept. Anno 1657.

Isti subiungitur *Magni Hesenthaleri* Eligidion de hoc sermone.

ralia, lacrumarum vitra, lampades perpetuae, vrceolae, vrnulae, ac aliae id genus antiquitates ethnicae, & artificum exquiſitiſſimorum monumenta plura, cum Bibliotheca, inprimis Theologica, & quae ad rem antiquariam ſpectat, inſtructiſſima &c. juxta numismata Hebraica, Graeca, Punica, Romana, Gothica, Vandalica, Germanica, quorum ſex millia collecta habuit, recentioribus, vt plurimum ex auro & argento cuſis, non annumeratis, omnibus & ſingulis in capſulas ſuas, artificioſe in id fabricatas, repoſitis, & in eum ordinem redactis, vt quis conclaue, huic raritatum theſauro deſacratum, compendium theatri huius mundi diceret, eiusque diſpoſitione & varietate naturae ordinem crederet adaequari; quod libenter confeſſi fuerunt magnates plurimi, Electores, Principes, Comites, ipſiusque Imperatoris Legati, quoties hoc *Guthianum Cimeliarchium*, vt in tam pretioſa varietate raritatum oculos paſcerent, luſtrauerunt, quod vicies, & vltra, cum magna *Guthii* noſtri dignatione factum eſt, vt longum eſſet illu-

Ex ipſa *Wagneri* oratione ſequentia heic inueniſſe loca non facile lectores ſpero pigebit.

Autor inquit: „in hoc ill. Palladio publice celebraui memoriam Ser. ac Celſ. Principis &c. *Barbarae Sophiae* Brandenburgico-Wurtembergicae.

Digitized by Google

illustrissima eorum nomina referre, qui illius magnificentiam, magnificentiae elegantiam, elegantiae industriam, quam in adornando hoc Cimeliarchio luculenter expressit, satis admirari non potuerunt: sc. a Nobili Viro propriorum sumtuum impensis esse factum, quod vix fieret a Viro Principe. &c. Haec omnia quamquam laude sint dignissima, & ad excitandum *Guthianum* nomen e sepulchro obliuionis efficacissima, dignitate tamen valoris nondum conferenda cum nouissimae voluntatis merito, quo *Guthius* noster, & Ecclesiam & Principem suum, quibus se semper agnouit deuinctissimum, vicissim ad benedictam sui memoriam deuincire sategit, facto testamento, quo in euentum, si filius *Ludouicus* aut caelebs aut improlis decesserit, cohaeredes scripsit Ecclesiam & Principem; haeredes, inquam, quibus digniores sub coelo scribi non potuissent. Principem quidem, non vt deleniret offensum, quem semper habuit clementissimum, quo fine olim Romani non nisi malos principes, ne in posteros saeuirent, haeredes scripserunt, quemadmodum Tacitus de Testamento, quo socer Agricola vxori & filiae cohaeredem scripsit Domitianum, cum Domitianus hoc lecto, velut honore judicioque laetaretur, refert, *tam caecam* & corruptam mentem Domitiani assiduis adulationibus fuisse, vt nesciuerit, a bono patre non

Digitized by Google

ſcribi haeredem, niſi *malum principem;* non ita noſter Guthius; ſed vt gratum ſe exhiberet erga Euergetem clementiſſimum, vniuerſo & eo quidem pretioſiſſimo raritatum ſuarum theſauro, qui rebus patriae adhuc integris vltra triginta millia florenorum aeſtimabatur, Sereniſſ. Celſitudini hac lege diſpoſito, vt tria millia florenorum Stipendio Theologico, quod vt ſtatim audiemus, in hoc ipſo teſtamento fuit fundatum, redhoſtimenti loco, e Ducali Camera perſoluerentur: Eccleſiam vero, vt in eius augmentum & conſeruationem Stipendium Theologicum, cui nomen ſit Guthiano, erigeretur eum in modum, qui Sereniſſ. Principis Commiſſariis ad Vniuerſitatem noſtram viſitandam deputatis, optimus fuerit viſus; quem in finem vniuerſam reliquam, & eam quidam ampliſſimam facultatem deſacrauit, vt, ſi Principis legatum, & quod pauperum in leproſorio & xenodochio viuentium reculis adiecit, excipiamus, Eccleſiam ab eo ex aſſe haeredem ſcriptam dicere debeamus. Verum enim vero quantacunque vel tandem fuerit haec Guthii noſtri erga Eccleſiam & Sereniſſimum Principem, reipſa demonſtrata deuotio, plus tn. roboris ob ſuperſtitem filium Ludouicum non habebat, quam habere ſolent fidei commiſſa, quae nullo vinculo juris, ſed tantum pudore eorum, qui rogantur, continentur, nec aliis verbis, quam pre-

Digitized by Google

precariis erga grauatos fieri possunt. Ergo nisi filius Ludouicus, Gynaecei Ducalis Praefectus pari pietatis affectu in Deum, & gratitudinis erga Principem, paternae dispositionis vestigia sancte pressisset, in ventos abiisset vniuersa haec, nostro tempore rarissimi exempli dispositio; Natus fuit is *Ludouicus* anno supra millesimum quingentesimum, circiter nonagesimo, vel tandem defuncta Nob. sorore Anna Magdalena, vnicus paternarum virtutum & facultatum ex asse haeres. Qua cura parentis, is, velut alter Ascanius, fuerit educatus, ex educato, postquam puer in adolescentem, & adolescens in virum euasit, optime colligimus. Qui e. multigena & exquisita rerum variarum cognitione fuit imbutus, linguarum diuersarum, Latinae, Italicae, Gallicae, Hispanicae, ac si fuissent maternae, ex peregrinationibus peritus, & caetera omnia fere, quae ad genuinum politicum requiruntur, insigniter doctus, sicut Nob. hunc Guthium fuisse, omnibus, qui ipsum nouerant, constat; Qua alia ratione in talem euasisse putemus, quam quae a patre liberorum suorum fidissimo in educatione requiritur, qui in educationis subsidiis nullis sumtibus parcit nullamque occasionem negligit, vt liberi educati exspectationi ac voto satisfaciant, quemadmodum noster Guthius desideratissimi sui genitoris voto atque exspectationi superabundanter re-

Digitized by Google

ſpondit, quod ex ſeqq. ſpeciminibus, quae ſaltem ἀκροῖς δακτύλοις, quod aiunt, attingamus, luculenter patebit. Genealogias Principum tam exterorum, quam Germaniae, populorum item mores, virtutes, ac vitia, conſuetudines, ac res geſtas, & id genus alia, promtiſſima memoria tenuit, tanquam alter Vlyſſes, qui multorum civitates vidit, καὶ νόον ἔγνω, vt ſcribit Homerus, i. e. mentem cognouit; omnibus tn. etiam inter Principis ſcyphos, quibus ordinarie intererat, permodeſte, quaſi nil ſciret, diſſimulatis, donec vel interrogatus, quid ipſe ſentiret, reſpondit, vel prouocatus quod alter falſo jactabat, correxit, ea tn. modeſtia, vt locum non haberet erumpens aliqua offenſio. Amicis paucis, ſed integris, non ſine ſingulari jucunditate animi fuit vſus, multitudini ob vafritiem ingeniorum huius ſeculi diffiſus, tamquam vir ſobrii & perſpicaciſſimi judicii, ad nihil non, quod obſeruatione dignum judicabat, intentus; etiam pretioſorum exquiſitus aeſtimator, quae a patre congeſta, ſibique relicta poſſedit, ne flocci pendere, aut negligere videretur, quae tam ſumtuoſa diligentia deſideratiſſimi genitoris conſtiterunt. Summatim; conſummatum Aulicum, non tam imitatione, quam cognitione morum Aulicorum fuiſſe, cognoſcimus ex officio Gynaecei aulici Praefecturae, quod viro, non niſi tam virtute, quam ſanguine nobili, probo, mo-

deſto,


desto, prudenti, humano, solet concredi, a se autem etiam castitate in ipso caelibatu, in quo vitam transegit, probata laudatissime administratum. Tenacem quidem, parcum, vestitu & reliquo rerum vsu infra Nobilitatis statum modicum fuisse perhibent; Atqui simul & justum & aequum, ac suum cuique justo tempore, sine vlla morositate tribuentem, vt malignus oculus caussam conquerendi non habuerit, cum res suas modo sibi placito, administrauerit, nec satisfecerit oculis in alienam quadram intentis; ratione etiam habita Theologici Stipendii, quod iis bonis, quae possidebat, nouerat erigendum, ne quid de eo, quod Deo jam dicatum erat, immodico vsu, aut Sybaritico luxu dilapidaretur, etiam in exemplum eorum, qui aliquando Administratores futuri erant huius Stipendii, vt & illi oeconomiam scite & frugaliter tractent, etiam oboli ratione habita in erogando: quae ipsa frugalitas conspicienda fuit in reliquis rebus eius vniuersis, vt ideam aut exemplar boni oeconomi quis eum diceret, rerum tam minimarum quam maximarum ratione habita, ne quid quod in qualemcunque vsum prodesset, pessum iret. Sic vixerunt ambo nostri, de Ecclesia & Ser. Principe meritissimi Guthii, Pater Ioh. Iacobus, stemmatis sui penultimus, & filius Ludouicus, agmen Maiorum claudens. Pater quidem **Ioh. Iac.**

anno decurrentis huius ſeculi decimo ſexto, quem filius Ludouicus demum ante quadriennium, anno noſtri ſeculi quinquageſimo tertio fuit ſecutus, ne quidem jota paterni teſtamenti immutato, cuius executio eum in modum, quem teſtamentaria littera requiſiuit, ſed & quem praeter tragulas, a Papiſticis agnatis iniectas, ſuperioris temporis damna & ſpolia, Guthianis bonis inſigniter illata, permiſerunt, fideliter fuit ſuſcepta; vindicatis Ser. Principi, quotquot adhuc ſupererant, pretioſis; Stipendio autem Theologico fructuoſis, hoc eſt, facultate reliqua vniverſa; ex cuius reditibus praeter ſubſidiarium Sex, qui ordine coram aſſident, alumni in praeſens ſuſtentantur, numero eorum protinus duplicando, ſi dimidiata cenſuum penſio integrabitur, a quibus ad continuanda ſtudia nihil requiritur, vt afferant, praeter pietatem & diligentiam, gratitudine eorum eo ſtrictius obligata, quo magis gratuita eſt tam inſignis beneficii fruitio, beneficii, inquam, ſi quidem fideliter adminiſtra-

Sequitur, vltimo loco, Cippus Memoriae Nobiliſſimorum *Guthiorum*, *Ioh. Iacobi*, & *Ludouici*, ſtemmatis ſui noviſſimorum erectus.

Poëticum eſt elogium virorum digniſſimorum, quo ii, qui tum erant ſtipendiarii Guthiani, beneficentiam benefactorum celebrauerunt.

niſtratum apud indignos aut ingratos id non ſeneſcat. Valete ergo, aeternumque valete, Guthiorum optimi, ſicut dum vita haec manſit, Nobiliſſimi, ita in vita iſthac beatiſſimi, apud poſteros equidem ſine poſteris, ſed non ſine virtutum meritis, immortalitate nominis digniſſimi! Benedicta ſint veſtra bona, tam *pretioſa*, quae ſpoliatae domui Sereniſſimi noſtri Principis Eberhardi in ornamentum; quam *fructuoſa*, quae pauperibus Studioſis in Eccleſiae conſeruamentum conſecraſtis, vt Deo pietatem, Principi gratitudinem veſtram etiam poſt fata probaretis!



Digitized by Google

* * * * * * * * *

PROGRAMMA
DE
LIBRIS
QVIBVSDAM
RARIORIBVS,
IN
BIBLIOTHECIS DVCALIBVS
STVTTGARDIAE
SERVATIS;

AVTORE
Henr. Guil. Clemmio,
A. M.
Math. & Philoſ. nat. Prof. P. O. & Eccleſiaſte
Stuttgardiano.

Quanquam boni & bono hominum nati Principes omnium dierum deliciae ſunt, dies tamen natalis praecipuam iſtarum deliciarum partem ſibi vindicare poſſe eo magis videtur, quo feſtiuius tum atque jucundius tanti beneficii in tali Principe, ab ipſo immortali Deo hominibus indulti, recordari licet & pie meminiſſe.

Cum

Digitized by Google

Cum igitur SERENISSIMI ac POTENTISSIMI *Principis* ac DOMINI, DVCIS noſtri CLEMENTISSIMI *Natalitia ſacra* futuro Iouis die celebranda inſtent, vt boni omnes in communionem laetitiae noſtrae venire, quique literarum amore ducuntur, ſolemni de *Bubliothecis publicis PRINCIPI tam honorificis, quam Ciuibus proficuis*, Orationi die Febr. X. Natalis profeſto, pietatis, officii, reuerentiae cauſa a nobis habendae intereſſe velint, obſequioſe, officioſe, decenter, publico Illuſtris Gymnaſii nomine, rogamus atque inuitamus.

Huius vero Thematis in hac Panegyri, quam denunciauimus, pertractandi, aliquam rationem vt panderemus, occaſio nobis facta eſt exoptatiſſima. Nimirum SERENISSIMVS noſter PRINCEPS quo & quanto ſtudio, fauore, patrocinio literas & literatos foueat, protegat, ornet, extollat, neminem latere poteſt; Neque vero & hoc latere nos debet, quod intra ipſa Stuttgardiae noſtrae pomoeria ea Bibliothecarum, hoc eſt, omnis eruditionis omnisque ſapientiae officinarum, contineantur ſtamina, quae vel in exterorum apparatibus ſplendidiſſimis nequicquam quaeſiueris, quaeque euolutionem ſui pleniorem, per dimidium fere ſeculum dilatam, praecipuumque ſui incrementum a Sereniſſimo *CAROLO*, terri

ris noſtris oſtenſo, dato, ſeruato, expectare tacite ac praeſtolari velle jam dudum videbantur.

Atque ob hanc ipſam rationem, cum praeterea Bibliothecarum iſtarum vſus clementiſſime mihi ſit conceſſus, & publice de iis perorare, & heic loci de cauſis quibusdam, quae ſupellectilem hanc librariam non ſplendidam minus quam pretioſam efficiant, pauca quaedam praefari animus erat.

Pretium Bibliothecis eo maius ſtatuitur, quo pluribus, quo melioribus, quoque rarioribus ſuperbiunt libris. Bonos vero & raros neque etiam paucos in Bibliothecis Stutgardianis ſeruari libros, & STRVVIVS, qui numerum ſelectumqne de iis praedicat, ſuo jam tempore ſub initium huius ſeculi in *Introd. in Notit. Rei Lit. C. IV. de Biblioth. Germ.* §. 14. aſſeruit, & nos ipſi alio loco pluribus euincemus, heic tantummodo de Libris quibusdam rarioribus dicturi.

Raros vero eos innuimus libros, qui ſimul boni ſunt, atque, etiamſi denuo excuderentur, rari tamen manerent; Cum multi alias libri raritatis ſuae, quam olim habuerunt, jacturam facerent, ſi typis rurſus exſculperentur; quod pluribus

Digitized by Google

ribus exemplis docuit celeb. HEVMANNVS *Hist. Lit. C. VI.* §. 28. (*a*)

Ex nostra igitur sententia, saluis caeteroquin & aliqua ratione praesuppositis iis, quae CHRIST. AVG. HEVMANNVS, SAM. ENGELIVS, FRID. GOTTH. FREYTAGIVS, IOH. VOGTIVS, IOH. GEORG. SCHELHORNIVS, DAV. CLEMENT aliique hac de re tam erudite quam copiose disputarunt, tres rariorum librorum classes constituendae sunt.

Vna est eorum, qui etiamsi vel doctissimorum Virorum studiis & opera denuo ederentur, suae tamen pristinae raritatis ne hilum quidem amitterent; Altera eorum, qui ob paucitatem literatorum, quorum operas nouae eiusmodi editiones desiderant, non habent, cur pretio sui & raritati metuant, etsi in recudendis iis nulli caeteroquin

(*a*) Rarissimi eiusmodi libri erant TVLDENI *de cognitione sui*; SCHEFFERI de *Philosophia Italica*; KEVENHVLLERI *Annales Ferdinandei*; NAVDAEI *Additiones ad Historiam Ludouici IX.* RICH. BVRII *Philobiblion*, HAMELMANNI *Historia Euangelii renati per inferiorem saxoniam*, quam SEKENDORFIVS, in Historia Lutheranismi ea vsurus, frustra quaesiuit; novae autem editiones, quae venales passim jam prostant, quicquid raritatis olim habuerunt, libris hisce rursus ademerunt. conf. HEVMANNVS l. c.

Digitized by Google

teroquin ſumtui parceretur; Tertia denique claſſis eorum eſt librorum, qui ob leges, quibus ſupprimuntur, publicas, vel ob ſingularia, quae ſcire paucorum intereſt, themata, vel ob controuerſias dudum ſepultas, vel ob molem juſto maiorem, ſumtusque propterea iis impendendos, vel ob ſocordiam emtorum, vel ob alias ab HEVMANNO *Hiſt. Lit. Cap. VI.* §. 23. allegatas cauſas nouas ſui editiones, & propterea aliquam pretii diminutionem vilitatemue ſui extimeſcere non debent.

Huius quidem claſſis libros in nulla Bibliotheca non deprehendes; Primae vero & optimos quoque ſecundae claſſi adſcriptos vix centeſima quaeque habebit Bibliotheca; habent vero eos Stutgardianae, & ea, quae Conſilio Regiminis ſuperiori, & altera, quae Conſiſtorio inſeruit, Bibliothecae Ducales.

Eminent inter hoſce libros, ſummam primae claſſis raritatem merito prae ſe ferentes, Biblia Germanica, A. 1462. impreſſa, omnium conſenſu rariſſima, eaque vel ſui generis vnicum, vel, ſi ſuſpicioni locus ſit, poſt duo olim in Ludouiciana & vnum hodienum in Lipſienſi Senatoria Bibliothecis ſeruata, quartum exemplar, hucusque in omni Germania cognitum; quod qui-

Digitized by Google

quidem primum a B. D. BENGELIO passim citatum, postmodum abs me in *Amoenit. Acad. fasc. II.* 1754. descriptum, & DAVID CLEMENT, & SCHOEPFLINVS, & MICHAELIS, (*b*) at quales quantique Viri, vt adhuc notius redderetur, peroptarunt, quodque raritatem sui tam illibatam tuebitur, quam Msc. licet centies typis exscripti ac editi codices eam tuentur.

In alteram classem eos coniecimus libros, quorum nouis & cum fructu legendis editionibus

(*b*) Ipse Celeb. MICHAELIS, vt nouam recensioni limam adhiberem, me excitauit: verba Recensionis publ. Gotting. a. 1755. p. 1336. ita habent: „Herr Prof. Michaelis hat im 26. 28. 30. St. des Hall. Intelligenzzettul 1752. eine vralte teutsche Bibel, die sich gedoppelt in der ludewigischen Bibliothek befand, vollstendig beschrieben; von der er vermuthete, dass sie eben diejenige seye, die sich im Stuttg. Bücherschaz befinde. Aus dieser Beschreibung und einigen schriftl. Anmerkungen dess Hr. Prof. wie auch aus denen Nachrichten, die der Hr. Hofprediger Knoch erzehlet, beschreibt Hr. Clement diese Bibel p. 305-308. dess III. Theils seiner Bibliotheque curieuse; nun geschahe zu Stuttg. Nachfrage, ob dieses eben die Bibel sey, die sich in der Stuttg. Bibliothek befinde; das scheint Hr. C. Beschreibung veranlasst zu haben. „ Er hat die Signatur dess Papiers der Stuttg. Bibel mitgetheilt, dahero ein jeder so Gelegenheit hat, das eine Ludewigische Exemplar zu sehen, das sich jezo in der Bibliothek der Herzogin Elisabeth Sophie Maria von Braunschweig befindet, nunmehro urtheilen kann. Die Bibliotheque curieuse

bus paucitas literatorum, qui manum tali operi admouerent, multum obeſt. Neque enim ſuos GRONOVIOS, ſuos GRAEVIOS, ſuos MONTEFALCONIOS, qui palaeographiis legendis, illuſtrandis, atque vſui publico adaptandis pares ſint, Germania hodie in tanta frequentia habet, vel ſi habet, ſatis alit. Poſt BRVKEROS, HEVMANNOS, SCHELHORNIOS, ERNESTIOS,

curieuſe macht p. 320-22. einige Zweifel gegen die Vnterſchrift der Stuttg. Bibel, weil deſs P. Schefers von Gernsheim keine Meldung dabey geſchehé. Allein dieſe Zweifel fallen nun hinweg, dann die Vnterſchrift iſt von dem ſel. Hr. Bengel allzukurz angeführt, von Hr. Prof. C. aber umſtändlich beſchrieben worden. Hr. Prof. C. würde ein nuzlich Werk thun, wenn er etwa künftig, nach Durchleſung der vorher gemeldten Nachrichten, meldete, ob das Stuttg. Exemplar mit dem Ludewigiſchen einerley ſeye, dann in ſolchem Fall müſste man doch vier Exemplarien dieſer erſten deutſchen Bibel haben, wenn man das zu Leipzig auf der Raths-Bibliothek mitzehlt. Noch verdienter aber würde er ſich um die Geſchichte der deutſchen Bibeln machen, wenn er die Zeit entdeckte, in welcher dieſe Veberſezung, die vielleicht lange vor Erfindung der Druckerey in Handſchriften herumgegangen iſt, verfertiget worden wäre, und wer der Veberſezer iſt. Data igitur occaſione, quod cepimus, quodque recentiſſime Vir Celeberrimus denuo ſuaſit, conſilium ipſo opere perſequemur, & alteri forſan Amoenit. faſciculo deſcriptionem pleniorem inſeremus. Quae enim praeterea deſiderauit Vir. Cel. & leuia eſſe, & facile ſuppleri poſſe ipſe agnouit.

STIOS, GESNEROS; (*c*) quotusquisque vel tandem ex junioribus prodibit, qui Doctiſſimorum horum Senum humeris aliquando inſiſtat? Quod de Romanis ſcite olim, licet alio ſenſu, cecinit HORATIVS, *Epiſt. L. II. Ep. I. v. 156. ſqq.*

Graecia capta ferum victorem cepit & artes
Intulit agreſti Latio - - -
- - - Sed in longum tamen aeuum
Manſerunt, hodieque manent veſtigia ruris;
Serus enim Graecis admouit acumina chartis,
Et poſt punica bella quietus quaerere coepit,
Quid Sophocles & Theſpis & Aeſchylus vtile
ferrent;

id ex duplici ratione noſtrae elegantioris aetatis caeteroquin plane non culpandum fatum eſſe dixe-

(*c*) Non ingrata, opinor, memoria erit Viri de re literaria optime promeriti, B. GESNERI, qui d. 9. Aug. 1761. viuis eſt ereptus. Rottha, Principatus Onoldini oppidum, Patria B. Geſneri erat; vbi 1691. in lucem editus, Parentis, qui loci Paſtor erat, praematuram jacturam fecit, Vitricique poſtmodum Zukermantelii curis adoleſcens, poſitis in Gymnaſio onoldino ſcientiae fundamentis, Ienam conceſſit 1710. Quinquennium academicum cum abſoluiſſet 1715. Rector Gymn. Vinarienſis & Bibliothecae Ducalis inſpector per tredecim annos praeclare de re Scholaſtica meritus, a. 1728. onoldino Gymnaſio praefici ſe paſſus, & biennio exacto ſcholae Thomanae Lipſienſi Rector datus eſt. Tandem, non infe-

dixerim, modo qui bellariis litterarum tantum delectantur, solidiores cibos concoquere non dedifcerent. Scilicet Sueuos fub *Fridericis* fuis Italorum victores Itali poftmodum feculo XV. vti & alias gentes fua eruditione rurfus ceperunt, agreftibusque, & noftris quoque terris artes intulerunt. Ab illo inde tempore magna in Germania prodierunt fubinde ingenia, in quibus tamen ruris veftigia non pauca manferunt. Ex quo factum eft, vt libri eorum folidiffimi nihilominus tamen ruris aliquid haberent, horridique fermonis, noftrisque delicatis auribus infueti,

rioribus fed fuperioribus & academicis fcholis natus Vir eximius Göttingam a. 1734. aetatis 43. euocatus Eloquentiae Poefeos & linguae graecae Prof. P. O. & Bibliothecarius vniuerfitatis conftitutus, munia Viri eruditi ita obivit, vt eius licet grandaeui fenis jactura omni tamen rei literariae quam funeftiffima fit nec facile recuperanda. Ex coniugio per 42. annos ftabili & breui tempore ante mortem B. Viri foluto, plures fufcepit liberos, quorum duo Parentibus fuperftites, Ioh. Car. Gesnerus Potent. Polonorum Regis Confiliarius Aulicus & Archiater, atque Chriftiana Elifabetha quae Confiliario aulico & Archiatro Haffiaco, Hubero nupfit. Scriptis fuis fibi ipfe monumentum pofuit aere perennius, vt jure dicendum fit, maximam eius partem vitaffe & fuperaffe Libitinam. conf. Cel. MICHAELIS *Programma funebre memoriam Viri Illuftris Ioh. Matthiae Gesneri fatis functi ciuibus pofterisque commendans.*

Digitized by Google

ti, quapropter a paucis, etiamsi recuderentur, legi & intelligi possent, atque ideo breui iterum, vel mercatorum iniuria, quia nemo alius emturus foret, in piperis thurisque inuolucra & cucullos transmutandi, oppido rarescerent, inque pristinam obscuritatem relapsuri essent.

Deinceps, quod seculi genio debetur, eosdem hos libros obstetricantibus licet & Latinis & Germanicis DV FRESNE & WACHTERI Glossariis tam non intellecturi essent nostri homines, quam auctores classicos non intelligunt, etsi vocabulariis ac dictionariis fuerint circumvallati. Accedere enim cognitio historica, antiquaria, critica, philosophica, judicium subactum, eaque omnia debent, in quibus maiores nostri quam maxime excelluerunt.

Tum vero, quemadmodum *Tacito* LIPSII, *Curtio* FRENSHEMII, *Horatio* BENTLEII, *Hesiodo* GRAEVII, *Nouo Testamento* MILLII & BENGELII sexcentis aliis aliorum editionibus plane nihil derogatur, ita & vero pretio librorum rariorum denuo edendorum, si tales nacti fuerint commentatores, ne tantillum quidem derogatum iri, tam certum est, quam certum & hoc, quod absque talium tantorumque Virorum opera editi, nihilominus rari & ignoti essent

Digitized by Google

manſuri; nimirum licet recuſi, in tabernis tamen ita delitesſcentes, vt, quemadmodum antea, vix vnum alterumue exemplar ſolis eruditis, iisque paucis, in deliciis & pretio ſoret. Ipſi enim vel proxime ſuperioris ſeculi Scriptores longe alios deſiderant lectores, quam noſtrae aetatis homines, qui, niſi in lectores illorum temporum arte & ſtudio transformari ſeſe patiantur, ex optimis libris parum ſane ſapient.

En Tibi raritatis librorum cauſas, quae quidem ea ratione creſcunt, qua numerus vere eruditorum decreſcit. Ita ſeculis obſcuris rariſſimi erant libri, qui hodie vel puerorum manibus teruntur; PHAEDRVS & QVINCTILIANVS ante decurſum ſeculi XV. non rariſſimi tantum, ſed & prorſus ignoti erant, vsque dum illum PETRVS PITHOEVS, Gallorum Varro, hunc FR. POGGIVS Florentinus ex Bibliothecis ſqualore & ſitu obductis in dias luminis auras cum multis aliis protraxerint. (*d*) Quo maior itaque inge-

(*d*) POGGIVS *Florentinus Fabium quinctilianum* ſub tempus Conſtantienſis conuentus ex gallia Romam deportavit, quem ignotum, ſqualidum, tetroque carceris paedore conſumtum, in ſalſamentarii taberna repertum in apertum retulit; Eodem tempore idem *Poggius Silium Italicum* cum blattis ac Tineis miſere per aliquot ſecula conflictantem e latebris in lucem produxit; Huic praeterea

ingeniorum verae eruditionis gloria illuſtrium fuerit prouentus, eo minor huius claſſis librorum rariorum, incognitorum, obſcurorum, lectu difficiliorum erit copia, & eo maior librorum inutilium, malorum, indoctorum e republica literaria proſcribetur farrago!

Ne vero aſymboli heic diſcedamus, nonnullos ex hac claſſe libros, maxime in vicinia Sueviae noſtrae excuſos, eosque in Bibliothecis Stuttgar-

terea debemus Aſconium item *Argonauticorum Valerii Flacci* L. 1. 2. 3. & partem quarti, quod ex Mſc. Laurentii Pignorii probat VOSSIVS de *Hiſt. lat. linguae* L. 3. c. 5. in quo codice haec leguntur: *C. Valerii Flacii Argonauticon. Hoc fragmentum repertum eſt in monaſterio S. Galli prope Conſtantiam XX. millibus paſſuum, vna cum parte. Aſconii Paediani. Deus concedat alteri, vt vtrumque opus reperiat perfectum. Nos quod potuimus egimus. Poggius, Florentinus. Phaedrus* Fabulator, Auguſti libertus, plenus bonae ſpei fuit, fore, vt ad poſteritatem perueniant, quas ſcripſit, fabulae, vt multis locis non obſcure oſtendit, praeſertim fab. 86. vel vlt. ad Particulonem;

Particulo, nomen chartis victurum eſt meis,
Latinis dum manebit pretium literis.

Sed haec ſpes fuiſſet vana, niſi clariſſimi PITHOEI fratres vitam ei nouam dediſſent. conf. IOH. LOMEYER de Bibliothecis c. IX. quod agit *de Bibliothecarum per & poſt expulſam Barbariem* παλιγγενεσια, p. 169. *Thuanus Hiſt. L.* 37. VOSSIVS *de Hiſt. lat. linguae L.* 3. *c.* 5.

gardianis publicis extantes digito ſaltim indice deſignabimus, nimirum ex Philoſophicis HENR. CORN. AGRIPPAE *de Philoſophia occulta* 1733. editionem rariſſimam, quam 50. Imperialibus & vltra redimendam, ſed fruſtra in Germania haud ita pridem quaeſiuit eruditus Anglus, vt SAM. ENGEL *in Cat. Libr. rariſſ.* p. 4. docuit; ex Genealogicis WIGVLEI HVND *Bayriſcher Stammbaum*, cuius nouam, qualem in hac claſſe deſiderauimus, editionem, auctam, notisque eruditis illuſtratam, cenſurae iam ſubiectam, neſcio quid quantumque humani paſſus, Cenſor, quod familiae ſuae nomen fruſtra in ea euoluerit, flammis abſorbendam dedit, prelique beneficio priuauit, teſte IOH. TOB. KOELERO *in den Nachrichten von dem Leben und Schriften Herrn Wiguleus Hund, p. 14.* eoque ipſo raritatem libri jam antea rariſſimi non tantum auxit, ſed & aliam editionem aeque bonam reddidit difficiliorem; Ex Hiſtoricis SEB. FRANKII, hominis polygraphi, ſed quibusdam fanatici viſi, & propterea perſpicacem ac doctum Lectorem poſtulantis, *Chronicon* ſiue *Zeytbuch*; cuius variae, hodie omnes rarae, quae prodierunt editiones, prima autem 1531. ob quam Argentorati in carcerem coniectus Auctor & poſtmodum in exilium fuit actus, longe rariſſima, in Bibliotheca Ducali extant; Ex Iure Publico

MAR-

Digitized by Google

MARQV. FREHERI ICti superioris seculi Celeberrimi *de Lupoduno antiquissimo Alemanniae oppido* 1618. praestantissimum & ob diplomata quaedam inserta perrarum nec nisi ab eruditis legendum scriptum; (*e*) Ex Poeticis CONRADI CELTIS, Protucii dicti, Opera rarissima, in quorum recensione NIC. HIERON. GVNDLING, BRVKERVS, SCHELHORNIVS, FREYTAGIVS elaborarunt; aliosque libros complures, qui lectores criticos, antiquarios, historicos, philosophos, linguae tum temporis vsitatae, geniique seculi perquam gnaros desiderant. Vnde operae pretium facturi essent, qui, si non nouas moliantur editiones, saltim excerperent ex iis, quicquid literarum ac reipublicae commodis hodie inseruire posset; quod posterius quidem consilium, ex quo hac supellectile vti nobis licuit, cepisse nos eo minus dissimulamus, quo plus subsidii ad tale negotium ab Eruditis in hoc studiorum genere exercitatissimis praestitum nobis iri,

(*e*) Sub finem, vbi recensiones librorum tum veterum quam nouorum subiungere animus est, Marqu. Freheri scriptum de Lupuduno & Seb. Frankii editionem primam Argentoratensem in hoc vel certe sequenti fasciculo cum excerptis aliis ita recensebimus vt desideriis lectorum & promissis nostris satisfieri possit. In aliis fasciculis alios autores heic allegatos illustrabimus.

Digitized by Google

iri, ex amicissimo, quo nos dignantur, literarum commercio haud temere suspicamur & coniicimus.

Pergimus ad tertiam classem, editionesque vnanimi omnium suffragio rarissimas praestantissimasque, lectoribus tamen vel mediocriter doctis peruias, jucundas, nec lectu difficiles, alia data occasione recensemus, heic tantummodo indicamus. Ornant vero Bibliothecas nostras libri ex hac classe optimi, splendidi, rarissimi, praestantissimi, v. c. IOH. BALEI *de Scriptoribus Magnae Britanniae illustribus*, ANDR. BACCII *de Historia vinorum*, BENED. CVRTII *de Hortis*, ALB. DüRERI *vom Zirkel und Richtscheid*, VBBON. EMMII, *de rebus Frisicis*, ANDREAE FRICCII *de Republ. emendanda*, IOH. DE LAET *de America vtraque*, LOVIS DE St. AMOVR *Iournal de ce qui s'est fait à Rome dans l'affaire des cinq Propositions;* D'AVBIGNE *Hist. vniuerselle*, DAVID BLONDEL *des Sibylles celebres tant par l'Antiquitè payenne que par les Saints Peres*; DV CHESNE *Histoire des Rois, Ducs, & Comtes de Bourgogne*, DELLA CORTE *Storia di Verona (opus in ipsa Italia rarissimum,)* GVALDO *Storia di Leopoldo Cesare & delle guerre di Ferdinando;* VITTORIO SIRI *Mercurio & Memorie recondite;* SANTOVINO *delle famiglie Illustri d'Italia &c.* quae editiones

nes maximam partem in regali forma, vel quod aiunt, in folio apparent, & iusta continent volumina; vt taceamus minoris formae libros raririssimos SEPTALII, SCIOPPII, GELENII, HELMOLDI, HENKELII, LICETI aliosque complures, satis quod sit, pro scopo praesenti dixisse nobis visi, cum alio tempore & loco copiosius & ex instituto praestantiores eiusmodi libros recensendi, & quae vsibus literarum publicis accommodari possunt, excerpendi consilium ceperimus. Neque enim multa nedum omnia heic nos dixisse quisquam putet; cum vix partem dederimus eorum librorum, qui primo quasi intuitu nobis, nonnisi inde ab vna alteraue septimana Bibliothecas hasce, quantum per hiemale tempus licuit, frequentantibus, sese obtulerunt.

Sed ad scopum, cuius gratia haec scripsimus, redeundum est. SERENISSIMO ac POTENTISSIMO PRINCIPI CAROLO haec Musarum Cimelia debemus, PRINCIPI inquam *erga Musas Clementissimo*, cuius *Anniuersaria Natalium sacra* indicimus, atque, vt saepissime in orbem feliciter redeant, novasque subinde laudis diuinae materias nobis subministrent, ardentissimis precamur votis! Seruet Deus PRINCIPEM *Splendidissimae Domui Wirtembergicae*, Patriae, Musis, bonis omnibus; & *Natalitia IPSIVS Sacra semper auspicatissima* esse jubeat.

Digitized by Google

* * * * * * * * *

ORATIO DE BIBLIOTHECIS PVBLICIS, PRINCIPI TAM HONORIFICIS, QVAM CIVIBVS PROFICVIS;

AVTORE

H. G. C.

---

* * * * * * * * *

Qui Natalitia SERENISSIMI Wirtembergicarum terrarum DVCIS innouet reddatque nobis Sacra, illucescere jam incipit dies ac ciuium corda in sancta, in pia, in continua resoluit vota pro vita Principis Proui-
di,

Digitized by Google

di, Constantis, domi militiaeque sibi paris, quem Deus amet, tueatur, protegat, terrisque nostris saluum, incolumem, & ciuium amantissimum quam diutissime seruet.

Quod vero omnes ac singuli ab immortali Deo sibi expetunt, id segreges quoque ciuium familiae, pro suo singulae, quod sequuntur, vitae genere, cur junctis precibus votisque flagitent, suas hodie causas habent & multas & exoptatissimas. Vnum duntaxat hominum genus, ac ne hoc quidem vniuersum, sed partem eius, rei literariae inprimisque Bibliothecariae addictam, excitamus; Patrocinia enim literis praestita quanta & quam laeta sint, ii norunt, qui artibus liberalibus ingenium habent assuetum. Vix vero Principem reperias, qui Serenissimo nostro CAROLO in tuendis scientiis ac literis sit superior; quapropter, qui Musas colunt, omnes, iique praecipue, qui illustri Gymnasio a Serenissimi DVCIS nostro Auo gloriosissimae memoriae natales suos ducenti bene cupiunt, Tanti Musarum Protectoris natalitia sacra eo ardentioribus prosequentur votis, quo magis habent, cur talem tantumque Principem sibi & rei literariae gratulentur. Gratulandi vero Argumentum ex multis hodie nonnisi vnum, rei literariae praecipuum, Bibliothecas nimirum publicas

blicas propterea constituimus, quod Serenissimus Princeps, pro ea, qua pollet judicandi facultate, quantum iisdem scientiae juuentur, probe perspiciens, haec literarum ac literatorum subsidia nostris quoque hominibus parata esse voluerit.

Dicam igitur de Bibliothecis publicis Principi tam honorificis quam ciuibus proficuis, sed ita dicam, vt simul, quod tenuitati orationis deesse sentietis, vos ipsi, Auditores spectatissimi, honoratissimi, vt vestro judicio, vestro acumine, vestra eruditione, vestra aequitate, compensare, supplere, restituere, excusare velitis, submisse & obsequiose rogem.

In Themate, quod pertractandum selegi, ad Principem eiusque gloriam, ornamentum, decus, quae dici possunt, praecipue referenda sunt. Scilicet aeternitati nomen suum consecrant, sibique honorificentissimas esse Bibliothecas publicas summi imperantes eo ipso jam docent, quod talia Musarum templa, se maxime digna, exstruant, ornent, perficiant. Deinceps ob vsum in omnes ciues sese diffundentem non suae tantum gloriae consulunt, sed etiam tuendis literis, prouehendis, ornandis, amplificandis, ipso scientiarum gustu allectos ad officia, non

Digitized by Google

non metu poenae coactos ſubditos efficiunt dociles, tractabiles, rationi & legibus ſponte obtemperantes.

Primae orationis parti ſatisfactum iri putem, ſi de libris, qui Bibliothecam conſtituant, primum comparandis, deinceps de ſummo Imperante, Bibliothecarum Protectore, tentio loco de Magiſtris, quorum curae eiusmodi ſupellex commendanda ſit, quod neceſſarium fuerit, dixero.

Sunt vero in Bibliothecas publicas comparanda opera inprimis maiora, quae priuatorum hominum ſupellectilem librariam nimis redderent impendioſam, quaeque noſtra aetate magno prodeunt numero & Theſauri non tantum vocantur ſed vere etiam ſunt; inter quos poſt *Gronouianos*, *Graeuianos*, *Sallengrianosque priorum ſuppletorios VGOLINIANVS* (*a*) hodie tum exſerit caput,

quam lenta ſolent inter viburna cupreſſi!

Iungantur hiſce ſcripta ſummorum in arte ſua Magiſtrorum, Baronii, Pagi, Harduini, Mon-

(*a*) *Gronouianus* & *Graeuianus* theſauri, ille graecas hic romanas antiquitates complexi ſatis noti ſunt; *Sallengriana* Graeuiani continuatio, per mortem tamen autoris

Montefalconii item Socitatum' integrarum Petropolitanae, Parisiensis, Londinendis, Berolinensis aliarumque Commentarii, porro in Theologicis Acta Sanctorum, Bibliothecae Patrum, Biblia maxima, aliique Thesauri commentatorum in sacram scripturam, & plura adhuc, quorum non pauca etiam Bibliothecas Ducales Stuttg. ornant, volumina, a priuato emtore citra jacturam rei domesticae vix redimenda.

Haec vero maiora opera vti nemo dubitat, quin

ris justo citius interrupta fuit. Prodiit Hagae Com. sub Tit. Nouus Thesaurus Antiquit. Romanarum congestus ab *Alb. Henr. de Sallengre* Serenissimae Principis Arausoniensis Consiliario T. I. in fol. 1716. T. II. 1717. T. III. 1724. reliqui Tomi, quos ad denarium numerum perducendi consilium cepit Auctor, morte eius praematura impediti sunt, quo minus lucem conspicerent. Vgolianus vero Thesaurus & ob selectum materiarum, & ob eruditionem Auctoris, prioribus palmam praeripit. Titulus est: *Thesaurus antiquitatum* sacrarum complectens selectissima clarissimorum virorum opuscula, in quibus veterum hebraeorum mores, leges, instituta, ritus sacri & ciuiles illustrantur, opus ad illustrationem vtriusque Testamenti & ad philologiam sacram & profanam vtilissimum maximeque necessarium. Volumen primum Auct. *Blasio Vgolino* Venetiis 1744. in fol. T. II. 1744. Tom. III. 1745. T. IV. 1745. T. V. 1746. &c. vsque ad T. XXV. ex consilio Auctoris & forsan vltra continuandum opus. Continentur in hoc opere & Pontificiorum

Digitized by Google

quin in Bibliothecas publicas congerenda ſint, ita etiam minoris voluminis immo paucularum plagarum libros, ſiue recentiores illos ſiue vetuſtate jam tritos magna, quod quibusdam paradoxum videri poſſet, Bibliothecarum publicarum ornamenta eſſe, vel ex hoc vno euicero, quod eiusmodi plagulae plus boni ſaepe contineant, quam integra alias volumina & inertia Bibliothecarum pondera. Quod enim de apibus, at

rum & Proteſtantium ſcripta v. c. T. I. nr. 5. Herm. Witſii aegyptiaca; T. II. nr. 3. Hadr. Relandi Antiquitates ſacrae, nunc primum a Blaſio Vgolino ampliſſimo commentario illuſtratae; T. III. nr. 1. Thom. Goodwini Moſes & Aaron cum notis Ioh. Henr. Hottingeri; nr. 2. Petri Cunaei de rep. Ebraeorum, libr. III. T. IV. nr. 3. Ioh. Buxtorf de ſynagoga Iudaica; nr. 4. Aug. Pfeifferi antiquitates ſelectae nunc primum a Blaſio Vgolino notis illuſtratae; T. V. nr. 3. Iac. Rhenferdii periculum criticum in loca deprauata Euſebii caeſareenſis & Hieronymi de ſitu & nominibus locorum hebraicorum; nr. 5-8. Ioh. Lightfooti opera pleraque; T. VI. nr. I. Hadr. Relandi Paleſtina ex monumentis veteribus illuſtrata. nr. 3. Ioh. Quiſtorpii Nebo, unde tota perluſtratur terra ſancta; nr. 4. Ioh. Henr. Hottingerii de Geogr. Terrae Canaan; nr. 21. Chriſtoph. Cellarii differt. de Excidio ſodomae; nr. 34. Chriſt. Cellarii de amoenitatibus hiſtoricis & Geographicis ex Itineribus S. Pauli Apoſtoli; T. VIII. nr. 3. Theodor. Haſaei differt. de ligno ſittim, cum aliis differt. paſſim inſertis; 7. Ioh. Buxtorfii de manna. Humphr. Pri-

at quam minutis animalculis, ſcite olim cecinit Virgilius,

Ingentes animos anguſto in corpore verſant;

id rectius adhuc de libellis, quamtumlibet anguſtis ac paruis dici poſſe ac debere ii norunt, qui notitia eorum aliqua imbuti ſunt.

Porro & rarioribus licet non ſemper optimis libris, modo raritate ſe ſua commendent, ſtudendum eo magis, quo plus hominum guſtui, nouis & raris delectato, in hac quoque ſcientiarum parte concedendum eſt; ſemper enim

Rara

Prideaux Praef. ad Tr. Maimonidis de jure pauperis & peregrini; Leonh. Sturmii ſciagr. templi hieroſolym. &c. ut Bibliotheca omnibus numeris abſoluta hic theſaurus dici poſſit ac praecipuum Bibliothecarum ornamentum. *B. Baumgarten* ita de hoc opere: Dieſe Sammlung von Schriften, welche die jüdiſche Alterthümmer erläutert, iſt ihrer Einrichtung nach weit gröſſer vollſtändiger und nuzlicher als die Beyden vorhandenen Theſauri der Römiſchen vnd Griechiſchen. Die äuſſere Schönheit der Ausgabe in Abſicht des Papiers, Druks, der Menge von Kupfern vnd Vignetten iſt ganz vnverbeſſerlich; daſs dieſes Werk mit Recht als eine Zierde einer Bibliothek angeſehen werden kann. conf. Nachrichten einer Halliſchen Bibliothek T. II. nr. 191. p. 526.

Digitized by Google

Rara placent, primis ſic maior gratia pomis
Hybernae pretium ſic meruere roſae;

Comparandi eiusmodi Bibliothecas duae ſuppetunt viae. Vna eſt, ſi Bibliothecae virorum ab omni rei literariae notitia inſtructiſſimorum integrae vindicentur ac parato aere antea redimantur, quam diſtractae in omnes terrarum partes diſſipentur.

Tales fuerunt Bibliotheca *Thuani*, qui quadraginta annos collectioni eius impendit, & Teſtamenti tabulis, licet fruſtra, cauit, ne diſtraheretur, Bibliotheca *Beſſarionis*, Patris purpu-

(*b*) Commode ob hanc rem NAVDAEVS, in gallica de Bibliothecis inſtruendis diſſertatione, concedatur, inquit, illis rarioribus licet non optimae notae libris locus in Bibliotheca, vt inter alios libros ſint velut ſerpentes ac viperae inter caetera animalia, zizania inter triticum, ſpinae inter roſas; & quidem ad imitationem huius vniuerſi, ad cuius vltimam perfectionem noxiae etiam, ac, ſi loqui ita licet, inutiles beſtiae inſeruiunt, & per omnem ipſius Machinam ſeſe diffundunt.
Inde vero occaſionem arripuit Vir Doctiſſimus, prohibitis Haereticorum Deiſtarumque libris ſub nomine Zizaniorum in publicis Bibliothecis tolerantiam expetendi, ne Clerum Romanum offendere videretur. conf. *Gabr. Naudaeus* de Biblioth. inſtr. nr. II. *Collect. Mader.*

purati vel Cardinalis, qui Venetorum rempublicam suae supellectilis librariae & numerosissimae & splendidissimae haeredem scripsit; Bibliotheca *Scaligeri* qui vniuersitati Lugduno-Batauae, *Wolfii*, qui Senatui Hamburgensi, *Myleri* ab *Ehrenbach*, (*c*) qui Consilio regiminis superiori Stuttgardiano, libros suos legarunt. Plura enim, cum domesticum habeamus, exempla afferre superfluum foret.

Altera

(*c*) Placet heic Viri de Virtembergia optime meriti resuscitare memoriam. Natus est NICOLAVS MYLERVS ab *Ehrenbach* Vraci d. 16. Martii 1610, Patre *Henrico Mylero*, ciuitatis Vracensis consule & ordinum prouincialium assessore, matre *Anna*, *Georgii Schulteri*, redituum ecclesiasticorum procuratoris Roseccensis filia; Literarum fundamentis in triuio patrio iactis, academica Tubingensis vniuersitatis salutauit subsellia, eoque feruore studiis incubuit, vt ab itinere literario per Germaniam Galliam ac Italiam redux summos in vtroque Iure honores Tubingae obtineret. Postmodum Ephorus nobilibus quibusdam datus secunda ac tertia vice omnem rursus Galliam ac Italiam peragrauit, nec hominum tantum mores vidit, sed & prima supellectilis suae librariae admodum numerosae stamina collegit. Tandem Tubingae sedem fixit ac Dicasterii supremi aulici Aduocatus constitutus collegia Iuris practica multo cum applausu legit, vsque dum a. 1643. Stuttgardiam vocatus in Consilium regiminis superius adscisceretur. Inde ad maiora subinde fastigia meritis suis euectus, tandem serenissimo Duci ab intimis consiliis esse coepit (Geheimer Regiments-Rath)

Digitized by Google

Altera comparandae Bibliothecae methodus, paulo difficilior, perreptare nos jubet omnes tabernas, etiam eas,

- - - *quae vendunt thus & odores*
Et piper & quicquid chartis amicitur ineptis,

Bibliopolia frequentare, commerciis literariis per omnem

Rath) ac praeterea Consistorii Ducalis ac Fisci Ecclesiasti Director est constitutus. a. 1661, sub auspiciis Ferdinandi III. nobilitatis diploma cum agnomento *ab Ehrenbach* accepit.

Tubingae adhuc, vbi sedem ab initio fixit, *Annam Mariam*, *Andr. Baieri* I. V. D. & Prof. P. O. *Tubingensis* famigeratissimi filiam, B. *Ioh.' Iac. Zobelii* I. V. D. & dicasterii supremi aulici Aduocati tum temporis viduam duxit, ex quo matrimonio tres suscepit liberos, fato vero ante Patrem functos. A. 1676 ad secunda vota progressus *Vrsulam Veronicam*, *Iosiae Luzii*, Ducalium redituum Procuratoris schorndorfensis filiam tori sociam elegit, vix vero anno exacto viduam reliquit, cum a. 1677. d. 10. Octobr. placide obdormiret, rei tam literariae quam Ecclesiasticae, quia improlis decessit, magnam bonorum suorum partem per modum legati vltima destinans voluntate. Nimirum 4000. fl. quorum reditus vracensibus inprimis studiosis Theologiae sacri esse debebant, & praeterea 400. fl. vrac. & stuttg. Diaconis legauit, deinceps locupletissimam non minus quam selectissimam Bibliothecam Consilio regiminis superiori pro-

omnem Europam vti, Catalogos Librorum perlustrare, consilium de adornanda Bibliotheca vbique significare, propalare, in vulgus notum reddere; qui certe rumor multos ad aemulam liberalitatem excitabit, vt libros, quotquot in ma-

priam dicauit, suique nominis memoriam, vti aliis ita & hoc de re literaria merito immortalem fecit, Vir suo tempore cum Doctissimis ICtis annumerandus atque in jure publico inprimis ita versatus, vt Celeb. Halensium Cancellarius *de Ludewig* in Praef. ad II. Partem aureae Bullae scripta eius hodienum praerogatiuam singularem habere ac vel optimis ex recentioribus aequiparanda esse, diserte pronunciaret. Nota sunt, quae edidit, varii generis scripta, quibus pro genio illorum temporum titulos eiusdem terminationis v. c. Nomologiae, hyparchologiae &c. praefixit, materias vero ipsas perstudiose, accurate, ac multo cum judicio pertractauit. Subiungere heic placet coaeui Eruditi testimonium, quod in Cluueri Geogrophiae edit. 1687. Guelpherbyt. reperi, atque vbi Editores Ioh. Buno & Ioh. Frid. Hekelius, ille Luneb. hic Rudolphst. Professores ita: „ Stuttgardia Prouinciae Metropolis habet arcem elegantissimam. Heic claret jam Theologorum Sueuorum Caput *Christoph. Woelflinus*, Vir summi judicii & solidissimae eruditionis; &, vt spero, adhuc clarebunt ibidem *Nicolaus Mylerus* ab Ehrenbach, & *Magnus Hesenthalerus* meus, a qua insigni Virorum laudabilium Triga non pauca singularis beneuolentiae atque affectus documenta a. 1668. & 69. omnino mihi data. conf. *Phil. Cluuerii* Introd. in vniuersam Geographiam L. III. c. X. p. 197. Edit. cit. Iungi-

Digitized by Google

manus inciderint, vltro conferant, ſeruent, ab interitu vindicent atque conatus tam laudabiles promouere quouis modo ſtudeant.

Sed & domicilium Libris parandum eſt, quod quale debeat eſſe, ex ſcopo Bibliothecarum

Iungimus hisce teſtimonium ICti Celeb. *Ioh. Petri de Ludewig*, qui l. c. in Praef. ad P. II. A. B. p. 7. §. 10. ita: die andere additiones ad Rumelini diſſert. ad A. B. ſind deſs nuzlichen vnd berühmten Nicolai Myleri vom XI. Buch biſs auf das XXX. vnd lezte. Dieſem Mann haben die deutſche Staatsrechte gar vieles zu danken. 1) Hat er geſehen, was in Reichs vnd Landes-Sachen vorkomt, vnd zu dem Ende die Spanniſche, Italiäniſche, Franzöſiſche vnd andere Rechtsgelehrte *in faſt unglaublicher Menge* geleſen, vnd daraus nicht vnnüzliche ſondern eitel ſolche Fragen ausgezogen, die im Staat entweder täglich vorkommen, oder doch nöthig ſind, vnd wouon man ſonſten nicht viel aufgezeichnet findet. Vnd ſolchen Ruhm müſſen wir auch dieſen ſeinen Additionibus ad Rumelinum in den XX. lezten Büchern laſſen. 2) Bringet er viele, beſondere Fürſtliche Häuſer betreffende Dinge vor, welche man ſonſten nirgends findet. Vnd mus überhaupt einer, der die Staatsrechte zum täglichen Gebrauch lernet, glauben, daſs dieſes Myleri ab Ehrenbach ſeinen Büchern, abſonderlich die zu ſeiner Zeit geſchrieben, *nichts gleich komme, ſelbige auch vor unentbehrlich zu achten.* Seine Archontologia in 8vo hat die rarſten Rechtsfragen in regalibus vnd iſt die Seule vom deutſchen Staatsrecht; Seine Archologia ordinum imperialium zeuget, daſs dieſer Mann auch von Fürſtlichen Häuſern in Deutſchland Lecture vnd Nachricht gehabt; in

rum publicarum facile intelligitur. Scilicet in media parte domus, quae vndique diem libere admittat, & tempeſtatum iniurias a pretioſis hisce cimeliis, animorumque medicis officinis, auertat; armariis praeterea vel loculis, ſi non ebur-

in ſeiner Hyparchologia gehet er die einem Fürſtlichen Bedienten vorkommende vnd ſein Amt betreffende Rechtsfragen durch; In ſeiner Etologia handelt er von dem Alter in welchem ein Fürſt zur Regierung zu laſſen. In der Metrologia von Maas, Ehlen vnd Gewicht, vnd den dahin laufenden Rechtsfragen; in ſeiner Gamologia gehet er alle in Fürſtlichen Heurathen vorkommende Rechtsfragen durch; vnd in ſeiner Nomologia, was in dem Geſezgeben der deutſchen Fürſten vorkommt. Des Buchs de jure aſylorum, welches mit vielen vnuermutheten Sachen angefüllet, nicht zu gedenken. Zu wünſchen wäre daſs ſeine Apanalogia vnd Stratologia ans Licht gekommen. Welches ihn bewogen, daſs er, gleich dem Hiskia nur noch vm ein paar Iahre vm Verlängerung ſeines Lebens, wie wohl mit vngleicher Folge, gebeten, indeme er in ſolcher Krankheit als Wirtemb. Kanzler vnd Geheimer-Rath im 68. Iahr ſeines Alters geſtorben; Vnd da *dieſer tapfere vnd gelehrte Mann ſeines gleichen in Deutſchland nicht gehabt*, vnd in ſeinen Schriften ſich vm den Würtembergiſchen Staat mehr, als bisher alle Wirtembergiſche Profeſſores vnd Bedienten verdient gemacht, ſo möchte man fragen, wie es der Autor Wirtembergiae literatae verſehen, daſs er dieſem Mann keine Lorber gewunden? At ſatis eſt, Dominum de Ludewig ſerta haec nexuiſſe; Laudari enim a tam laudato viro longe maior laus eſt! Ne vero partium ſtudio aliquo ductus

Digitized by Google

eburnis, vt veterum Bibliothecae, ligneis tamen & ſufficientibus, & ſculptis, & nitidis; deinceps pluteis, hoc eſt, tabulis transuerſim inclinatis, quibus libri legendi imponantur; cuneis denique ſiue ſcamnorum ſeriebus, inſtructiſſima ſit.

ductus haec videatur ſcripſiſſe ICtus celebr. gente pariter ſueuus, priori pagina 6. de conterraneo alio, Martin. Rumelino Prof. Iuris Tub. cuius diſſert. Mylerus continuauit, longe aliter ſentit; es ſeye eine flügende vnd zuſammengeraffte Arbeit. u. ſ. w. Scripta B. Myleri ab Ehrenbach ſunt additiones ad Rumelini diſſ. de aurea bulla. 2) Archologia, ſeu de Principum & aliorum ſtatuum Imperii Rom. Germ. priſca origine; 3) Nomologia, ſeu de Principum & aliorum ſtatuum Imperii Rom. Germ. obligatione legali. 4) Etologia ſeu de Principum aliorumque ſtatuum Imperii Rom. Germ. Iure concedendi veniam aetatis; 5) Gamologia ſiue de cauſis matrimonialibus perſonarum imperii illuſtrium. 6) Metrologia de jure ſtatuendi de Menſuris, ponderibus, & Moletrinis; 7) de jure Aſylorum tum eccleſiaſticorum, quam ſecularium; 8) Hyparchologia ſeu de officialibus, Magiſtratibus & adminiſtris. Quae ſingula ſcripta, excepto primo junctim ita comparuerunt an. 1693. vt duo juſta volumina in 4to conſtituerint. Praeterea 9) de Principibus & Statibus Imperii Rom. Germ. vel Comp. Iuris publici edidit in 8vo 1669. II. edit. pag. 896. 10) Stratologia, ſeu de militandi libertate germanorum & inprimis imperii Rom. Germ. ordinum apud exteros. in 4. Quod ſcriptum Catalogus Theod. Mezleri habet edit. Gamolog. 1723. adiectus. Apanalogia vel opus de Apanagiis in Msc. Stuttgardiae ſeruatur.

Digitized by Google

ſit. (*d*) Caeteroquin mirari ſubit, quod, qui *Vitruuium* expoſuerunt Architecti, tantum non omnes, Caput de Bibliotheca quod Libri VII. eſt quintum, ſicco pede tranſiuerint. Forſan quia hodie minus, quam Vitruuii temporibus, Bibliothecarum palatiis ſtruendis intenti ſunt homines, minus vero etiam, quam illis temporibus, docti.

Horum vero omnium nihil, quod laudabile ſit, efficietur, niſi Princeps ingeniorum amantiſſimus, qualis AVGVSTVS olim erat, & qualis hodie CAROLVS noſter eſt, votis Literatorum ſuccurrat ac reſpondeat. Quemadmodum enim nullum unquam Principem vere magnum fuiſſe conſtat, quin magnitudinis ſuae partem in literarum quoque cultura poſuiſſet; ita nec vllam Bibliothecam publicam memorari poſſe putem, quae absque tutela Principis ad aliquod ſui faſtigium excreuerit.

Ita *Aſinium Pollionem*, Nobilem Senatorem, qui primus Romae Bibliothecam ornatiſſimam dicando, ingenio hominum, vt *Plinius* ait, rempublicam fecit, imitaturus olim *Auguſtus* duas conſtituit Bibliothecas, vnam in honorem Sororis

(*d*) conf. IVST. LIPSIVS in peculiari de Bibliothecis ſyntagmate c. IX.

roris Octauiam, alteram a loco Palatinam dictam. (*e*)

Sed ad noſtram aetatem propius eſt accedendum. Galliarium Reges Franciſcus Imus, arte, marte, fatis Celebratiſſimus Rex, & Ludovicus decimus quartus, a quo, literarum quoque cauſa integrum Ludouici Magni ſeculum nomen habet, quis eſt, qui neſciat, quid quantumque literis ac Bibliothecis impenderint?

Subſiſtimus vero intra Germaniae fines! Maximiliani Imperatores Vindobonenſi, a Leopoldo poſtmodum perfectionem vlteriorem nactae, Hei-

(*e*) Secutus eſt Traianus, qui Vlpiam, a Gentili ſuo nomine vocatam, eamque ſeculo adhuc V. celebratiſſimam dicauit Bibliothecam; cum ipſa etiam Sidonii Apollinaris, Bibliothecarii, ſtatua eam ornaret:

Cum meis poni ſtatuam perennem
Nerua Traianus titulis videret
Inter auctores vtriusque fixam
Bibliothecae,

Haec Sidonius. Caeterum ſtatuarum honos propterea ſingularis fuit, quod ipſi Imperatores eum ſibi haberi permiſerint; Numeriano enim Caeſari, Vopisco teſte, in eadem Bibliotheca Vlpia ponebatur ſtatua, cui ſubſcriptum erat: Numeriano, Caeſari, Oratori, temporibus ſuis potentiſſimo.

Digitized by Google

Heidelbergenſi Fridericus III. Gothanae Erneſtus Berolinenſi Fridericus Wilhelmus, Elector, cognomine magnus, Guelpherbytanae Auguſtus, at quales quantique Principes, dederunt natales!

Guelpherbytanae inprimis digna ſunt, quae ponderentur, memorabilia a Conringio tantum non cum ſeptem miris mundi collata; quod nimirum auctorem ac ſtatorem habuerit principem ipſum, quod Princeps ſolus, nemine praeeunte, nulla aliorum aemulatione excitatus, ad ſtupendam eam magnitudinem perduxerit, ſuis ſumtibus ex Germania, Gallia, Hiſpania, Britannia omnia comparauerit exemplaria, quod numerum eius vix credibilem, quod in numeroſa ſupellectile peculiarem tamen ſelectum fecerit, quod accuratiſſimo ordine libros diſpoſuerit, quod denique ab egregia, ſuique generis vnica loci ac domicilii opportunitate Bibliotheca haec Auguſta commendanda ſit. (*f*)

Grata

(*f*) Haec ex mente Conringii ſeptem Bibliothecae Guelpherbytanae mira ſunt; quibus & hoc ſingulare addidit, quod Princeps Auguſtus in coemendis libris ea fuerit religione, vt, cum Parlamenti Pariſienſis decreto illa Eminentiſſimi Cardinalis Mazarini Bibliotheca vili pretio diſtraheretur, quamuis eſſent, quae multum deſideraret, vetuerit tamen Princeps optimus, quidpiam eius ſibi emi, ne quid ex illa in omne aeuum haud temere excuſanda

Grata huius Principis memoria nobis esse debet ob literariam cum Wirtembergia nostra connexionem, quae quanti a Brunsuicensis Ducatus eruditis aestimetur, quia jacturam doleo, *Hermanni Hardtii* quam meis verbis exponere malo: Ita vero laudatus Auctor in memorabilibus Bibliothecae Helmstadiensis: „In Scrinio Manuscriptis dicato se sistunt quatuordecim Volumina epistolarum Serenissimi Principis Augusti, ad miraculum inter principes docti, quas celsa sua manu ad Venerabilem Abbatem Würtembergensem, Doctorem Ioh. Valentinum Andreae, Consiliarium Augusti Ecclesiasticum, variis de rebus eleganter olim perscripsit, Princeps literatorum quondam vere Princeps ac celsum fastigium. Hae cum aliis personarum illustrium epistolis a laudato Abbate Bebenhusano collectae, ab illius obitu, haeredum voluntate, aere non paruo sunt recuperatae. Elegantissimus variae doctrinae & excelsae sapientiae thesaurus, variis iconibus perpulchre distinctus.

Dixi

cusanda venditione, quam boni publici amore auersabatur, forte aduenicns sacra Augustae suae contaminaret. Quam generosam pietatem pristinae post felicitati redditus Cardinalis, actis gratiis & agnouit & miratus est. conf. HERM. CONRING epistolam ad Dn. de Boineburg de Biblioth. Aug. Guelpherbyt.

Digitized by Google

Dixi quantum ſatis eſt & euici, nullum magnum extitiſſe vnquam Principem, quin Bibliothecis aliisque ſubſidiis publica rei literariae commoda promouerit. Quid ſereniſſimo noſtro CAROLO Muſae debeant, & in poſterum debiturae ſint, ex eo, quod jam praeſtitit, facile & gratulabundo animo colligimus.

Sed omne hoc Patrocinium, ſi non vanum certe inſtabile eſt, niſi ſint, quos Principes Bibliothecis ſuis praeficere poſſint, Viri docti, affabiles, in exteros & ciues benigni, nullo partium ſtudio ducti, & Bibliothecariorum nomine digni.

Quod *Buchananus* olim ad incomtum illud, ſalue Magiſter ſine libris, alio tempore ſcite regeſſit, ſaluete libri ſine Magiſtro, id recte ad Bibliothecas, quicunque fuerit, applicare poſſe docuit. Nimirum Magiſter ſaluere ſine libris poteſt, hi ſine illo non poſſunt.

Conſules fieri quotannis & proconſules, ſolum aut regem aut Poetam & eruditum non quotannis naſci, eleganter *Lipſius* pronunciauit.

Nihilominus tamen inficias iri non debet, quod Rege nato naſcantur etiam homines, Rege digni, vel Poeta interprete,

Sint

Digitized by Google

Sint Maecenates, non deerunt Flacce Marones,
Virgiliosque tibi vel tua rura dabunt. (g)

Ex qno enim Hanoueranae Bibliothecae *Leibnitius*, Guelpherbytanae *Conringius*, Vindobonensis *Lambecius*, Mazarinianae *Gabriel Naudaeus*, Florentinae *Magliabechius* Vir doctissimus, licet confusae & indigestae quam ornatae librorum molis amantior, Gottingensis *Gesnerus*, magno literariae rei damno fato nuper functus, aliarumque Bibliothecarum alii Viri summi curam gerere non dubitarunt, eruditionis hae officinae in lautissimo statu esse coeperunt; situm vero contraxerunt, vbi dissimiles priorum Magistros sunt nacti.

Quod si igitur tria haec concurrant, & complicata quasi ac confusa fuerint, nimirum Biblio-

(g) Quodsi igitur hos homines Bibliothecis publicis praefecerint, non habebunt, quod cum *Dn. Oelrichio*, Viro doctissimo in nupera de Bibliothecis comestis dissertatione doleant, multas bibliothecas licet instructissimas parum vtilitatis praestare eruditis. Viros enim haud raro offendi Bibliothecis publicis praefectos, indoctos, ne externam quidem eruditi faciem prae se ferentes, non Bibliothecarios sed Bibliothecae quasi aedituos, seu potius commentarienses, librorum non lectores, sed spectatores, lustratum aduenientium non hospites blandos, aut Comites officiosos, sed bardos & pro numis tantum introductores agiles, studiorum causa frequentantibus non ferentes

Bibliothecae numeris ſuis abſolutae ſplendidus apparatus, deinceps Patrocinium ſummi Imperantis, dexteritas denique ac eruditio Bibliothecarii, qui Bibliothecae tantum non anima eſt, fieri non poteſt, quin peculiaris quaedam gloria in Principem ipſum ex hiſce ſtudiis redundet; quam quidem gloriam & ſereniſſimo CAROLO & nobis omnibus eo magis gratulamur, quo certius eſt, nihil horum omnium, quae paſſim deſiderantur, ſub tali ac tanto Principe deeſſe poſſe!

A Bibliothecis vero publicis quemadmodum honoris, gloriae, magnificentiae publicae argumenta pendeant ac deducenda ſint, hactenus dixi; dicendum quoque eſt de vſu in ciues redundante.

Ciuium

rentes opem, ſed prauo otio & inani colloquio tempus perdentes, occupatos ad ſummum in abſtergendo ſemel per annum librorum puluere, aut tollendis aranearum telis, atque ſic hoc negotio libros & Codices ab iniuria ſatis ſe vindicaſſe, deque toto orbe erudito vel ob hoc ſolum inſigniter eſſe promeritos, ſtipendiumque annuum jure optimo maximo meruiſſe, non ſolum ſibi perſuadentes, ſed inſuper ab Herculeo hoc labore laureolam exſpectantes. Haec OELRICHIVS. Nos quidem haud negamus, ſplendidiſſimas nonnunquam Bibliothecas his fatis ſuccubuiſſe; at medelam rebus lapſis afferri poſſe, atque identidem adhiberi, etiam negari non debet.

Digitized by Google

Ciuium saluti ex literis consuli multum posse, vix quisquam erit, qui dubitet: Artibus enim ingenuis, scientiis, & dulcissimo Musarum gustu

Nemo adeo ferus est, vt non mitescere possit.

Si praeterita Barbariei saecula cum nostra cultiori aetate conferamus, experientia rerum Magistra hanc nos docebit felicitatem, quam & summi Imperantes, a cultis & sapientiae verae gustu imbutis ciuibus quod metuant, nihil habentes, sibi inprimis gratulabuntur. Hanc vero culturam literis ac subsidiis literariis debent, hoc est, bibliothecis publicis aliisque institutis ad ingenia hominum emollienda accommodatis. Vsum vero duplicem esse contendimus; vnum ad ciues alterum ad exteros emanantem. Priuatorum non est, magnas Bibliothecas colligere ac parare. Vnde si ex publicis sapere non possunt, ego vnde sapiant, & in cultos ciues euadant, aliud remedium video nullum.

Bibliothecae igitur publicae non patere tantum, sed &, quae Lectorum studiis inseruiunt, communicari ex iis debent. (*b*)

Tale

(*b*) Quod primum Bibliothecae augustanae institutum admodum laudabile erat; in Codic. enim Msr. indice vel catalogo publici juris facto haec inuitatio legitur: Quis-

Tale studium ciuibus inseruiendi eo magis est commendandum, quo turpius olim peccarunt, qui libros catenis vinctos & scriniis alligatos omnium eruditorum vsibus subduxerunt, atque propterea a *Georgio Sabino*, MELANCHTONIS Genero, hac inuectiua sunt notati:

Haud secus ac duro fugitiuos carcere seruat
Vestra catenatos Bibliotheca libros;
Quid mirum, si nulla viget doctrina, colendi
Doctrinae auctores hic vbi vincla gerunt.

Vsque adeo igitur catenandi non sunt libri, vel squalori, situi, blattis ac tineis relinquendi, vt potius qui barbaros mores, inscitiam, socordiam, & vitae socialis damna inde propullulantia extirpare student, reipublicae quod optabilius, quod laudabilius, quod vtilius sit, nihil praestare possint, quam si artium scientiarumque pabula vndique conquirant, conquisita exponant,

Quisquis rei publicae literariae faues, siue lector, siue Typographe, horum omnium Codicum, siue interpretandorum, siue conferendorum, siue edendorum ita tibi futura copia est, si de iis incolumibus restituendis caueris. Quod etiam Bauaricae, quae Monachii seruatur, Bibliothecae electorali laudi ducitur, licet lectorem mutuo quid petentem in catalogo admodum raro praecise desideret romanae Ecclesiae addictum.

Digitized by Google

ponant, expoſita, an in ſuccum ſanguinemque conuertantur, ſtudioſe examinent.

Sed & extraneis aliquid dandum eſt, quod centuplum deinceps nobis reddunt. Quodſi enim tantam literarum artiumque liberalitatem inter nos vigere intelligent, noſtras oras ſponte inuiſunt, ſuis ſtudiis ciues acuunt, ſumtibus ditant, moribus emendant, gratiſſimique animi indiciis honorant. Neque enim, vbi talis rerum facies fuerit, alii, quam ſciendi cupidi, hoc eſt, bene morati terras noſtras, ingrediuntur homines, a quibus tantum abeſt, vt vel quicquam, quod moribus obſit, metuas, vt potius verae ciuium ſaluti eiusmodi peregrini tam inſeruiant, quam peregrinantes olim Graecorum Philoſophi terris, quas inuiſerunt, inſeruiebant. Accedit, quod opes quoque hac ratione creſcant; Alexandria, ad quam vrbem non concurriſſe, ſed confluxiſſe olim Bibliothecae ſplendidiſſimae cauſa tot ciues nouimus, ſi recentiora exempla taceamus, inſtar omnium nobis eſſe poteſt.

Inde ab vltimis olim Gadibus Italiam petiit Hiſpanus, non ſplendidiſſima palatia, non Graeciae & omnis orientis exuuias, non ſpolia opima, non gentem inuictiſſimam, non tot terrarum Dominos, non ſpectacula, non pompam, non Romam Caput mun-

di, ſed hominem, vnum hominem, Liuium viſurus, Hiſtoriae romanae artificem ſcientiſſimum, & bibliothecarum ob librum hunc eximium praecipuum quoddam ornamentum.

Talia igitur inſtituta ſi faciles Principum aures habeant & inueniant dici non poteſt, quam honorifica ſint Principi, quam proficua ciuibus.

Eo igitur vnde digreſſa eſt oratio noſtra jam redit.

Celebramus anniuerſaria natalium ſacra Sereniſſimi ac Potentiſſimi noſtri Principis, a quo res literaria cur omnia fauſta, proſpera, ſtabilia, laeta ſperare poſſit, ſingulis diebus noua inuenit argumenta.

Quid enim ſub tanto Muſarum Protectore, qui tot viros doctos praeterea alit, fouet, ornat, in poſterum ſibi polliceri non poſſint, ſed debeant bonae artes, ipſi auditores ſpectatiſſimi animo citius praecipitis, quam orator verbis exponit.

Nihil igitur reliquum eſt, niſi vt pro Sereniſſimo Duce vota nuncupemus publica, Deumque ſupplices oremus, vt eum amet, ornet, protegat atque tantum annorum numerum complere jubeat

qui

Digitized by Google

qui bonis omnibus suo Principe diutissime gauisuris exoptatus sit.

Quapropter, vt veterum non tantum mori sed & affectui pietatis nostrae obtemperemus, licitum nobis esse arbitramur, hac acclamationis, olim tam solemnis aliqua imitatione & significatione Serenissimum Principem salutare:

Serus in coelum redeas, diuque
Laetus intersis populis, amesque
Ciuibus dici Pater atque Princeps
Te Duce saluis.



Digitized by Google



ORATIO

DE

ANIMAE HVMANAE IMPERIO IN NERVOS NON VOLVNTARIO,

AVTORE

D. Philippo Friderico Gmelino,

Botanices ac Chymiae Prof. P. O. Tubing.
Societt. Scient. Regiarum Londinensis
& Gotting. Sodali.

Augustum quotiescunque Medicorum imperium, latamque de humanis corporibus potestatem considero, toties etiam obuersatur animo angusta horum naturae ministrorum cognitio, quae fila texat Ariadnaea, tuto per illos infinitos ducentia labyrinthos, quos insignis illa casuum, quibus ars medica plena est, offert diversitas.

Quem

Digitized by Google

Quem enim huius vel obiter peritum fugit, veritates etiam primarum eiusdem disciplinarum tantis passim premi dubiis, certe tenebris obuolui spissis, quas nulla discutit facile vel exactissima demonstratio anatomica, vel aliud aliarum scientiarum auxiliarium lumen?

Clamant physiologi & veteres, & recentiores insignem si non necessitatem, tamen vtilitatem huius & illius partium situs, & obseruationes leguntur de multis vnius cadaueris visceribus, etiam nobilissimis prorsus situ transpositis. Talem in actis Parisinis descriptam legimus in cadauere militis: in eo scilicet cordis basis latus respiciebat sinistrum apex in dextra haerebat thoracis parte, magna vasa egredientia e corde parem sequebantur situm, in abdomine ventriculus ita erat positus, vt pylorus in sinistro haerens latere duodeno intestino continuaretur, hepar sinistrum hypochondrium, dextrum vero lien occupabat, intestinum caecum, colique initium in sinistro haerebat ilio; sed haec leuiora forte sunt. Quis autem post intellectam per acutissimum HARVEVM sanguinis circulationem, eiusque necessitatem ad animales, vitales, & naturales actiones omnes credidisset, vocem edi posse ab homine, cui iam exscissum est cor & tamen magnus VERVLAMIVS in Historia vitae & mortis exemplum habet hominis, cui viuo

exſciſſum fuit per carnificem cor, & qui, dum illud iam carnifex manu teneret, auditus eſt protuliſſe tria, vel quatuor precum verba. Quis porro ſibi perſuadeat, poſſe fieri, quemadmodum BOERHAVIVS in Commentario ad ſuos aphorismos ex obſeruatione Anatomici Edinburgenſis refert, vt in animali ſano, nimirum ſorice maiore, (nam de hoc obſeruatio loquitur,) cor aſſideat regioni dextri renis ſine vlla vel auricula, vel venarum, aut arteriarum maiorum vllo veſtigio? quis praeterea ſibi fingat, poſſe dein in eodem animali, vti factum eſt ibi, e thoracis vertebris, loco pulmones inter medio, emergere auriculam dextram, tanquam radicem arteriarum pulmonalium, vaſa ſanguinem e pulmone reducentia in vnum coniungi truncum, qui aorta ſit, ſolito dein diſtributa more? Nusquam autem obſcurior eſt phyſiologia, quam vbi functionibus & vtilitatibus encephali ſuam impendit operam; perpetuas ibi nouasque nebulas offundunt in determinandis variarum eius partium & regionum vſibus diuerſiſſimi variorum eius vulnerum euentus. Cum enim alius e ſuis obſeruationibus demonſtraſſe ſibi viſus eſt, cerebellum, eiusque hanc, illamve aream vitalium actionum eſſe fontem, alius calloſi corporis vulnera ſubito letalia declarat, mox reclamat alter contrariis obſeruationibus, vt vndique lubrica videatur vſus harum nobiliſſimarum partium theoria;

ria; neque parum eo faciunt etiam obſeruationes e brutis deſumta. Quis ita non miretur hiſtoriam Tauri, quam habent Acta Pariſina, cuius ferocia ceteria vice lanionum inſultauit minis, tandem cedere debuit; huius totum quantum cerebrum repertum fuit lapideum absque vllo medulloſo nucleo. Sed neque deficiunt ſingulares de homine obſeruationes, quae theoriam vſus harum partium turbare mirifice videntur. Sic in Aduerſariis Celebris MORGAGNI e Liſtero, Clerico & Kerkringio allegantur obſeruationes deficientis cerebri, vbi motus & ſenſatio tamen ſubſiſtebant aliquantum; imo quod magis eſt, recenſet Morgagnus obſeruationem ſibi cum Vallisnerio communem de infante, cuius optimus fuerit habitus, & omnia recte conſtituta viſcera, ſed nullum vel cerebri, vel cerebelli veſtigium. Addit aliam e Littrio vbi ſimul nec ſpinalis medullae vlla comparuerit vmbra, quodque maxime mirum eſt, nerui omnes aderant aeque molles ac apparent, quales cerebro perite atque recens ſublato in cranii baſi alias oſtendi ſolent, vltra durae matris cranii baſin inueſtientis ſuperficiem prominentes. Similes hiſtoriae paſſim occurrunt in E. N. C. *actis Berolinenſibus*, *miscell. phyſico-med. gallicis*, & *tranſactionibus anglicanis*. (a)

Quan-

(a) Quis crediderit, effuſi ſub cranii olla ſanguinis vnciam totam delere poſſe humanitatem, vti teſtantur hiſtoriae acad

Quantae igitur ex his paucis non elucent tenebrae, quae profecto veritatum de vſu partium primarum, axiomatum forma incautis imponentium, ſummas talo ſatis adhuc infimo ſtare manifeſto edocent? Tamen haec Medicinae pars, quae Phyſiologia dicitur, eſt primarium fundamentum reliquarum eius omnium partium, in quibus, quae addi huic noua debent, nouam aperiunt dubiorum ſcenam. Quanta enim, quaeſo, non obſcuritas regnat in determinandis per omnes

acad. ſcient. Paris. Quis eandem ſubitae mortis agnoſcat à priori cauſam, prouti tamen multis demonſtrant exemplis TVLPIVS, WEPFERVS, BONETVS & alii? quis effectuum horum cum ſuis cauſis oſtendat connexionem, cum de partibus encephali nobiliſſimis etiam adeo dubia ſit ad vitam ac ſanitatem aut neceſſitas, aut vtilitas? Quis poſitis iis, quae de his vel optimi tradunt phyſiologi, facile intelligat exemplum apoplexiae, quam deſcribit WEPFERVS, poſt duodecim letalem horas, vbi diſciſſo capite neque oſſis, neque meningum, neque ſubſtantiae cerebri quidquam fuit laeſum, ſed cruor tantum duorum cochlearium menſura e disruptis interioribus venis in cerebri baſi procubuit? quis enodet TVLPII hiſtoriam apoplexiae a fracto cuneiformi oſſe, ac ſanguine in cranii baſi collecto? Quis fieri poſſe arbitretur, vt cerebro lamellatim exſciſſo per horam viuat adhuc animal, vti experimentum e cane habet PERRAVLTIVS? quis eundem ſperet effectum e medulla vtriusque hemisphaerii diffracta, vti multis experimentis demonſtrat ABRAH. KAAW BOERHAVE? Quid, quaeſo, reſpon-

Digitized by Google

omnes conditiones medicamentorum viribus, & explicando eorundem agendi modo? quam difficilis morborum diagnoſis? quam tecta cauſarum eorundem ratio? quam occulta indoles miasmatum atmophaerae innatantium, vel ope ſaliuae miſtorum humoribus, vel reſorbentium vasculorum oſcúlis per omnem corporis corticem patentibus receptorum, grauiſſimarum febrium epidemicarum, benignarum & malignarum, exanthematicarum, ipſiusque peſtis fabrorum?

Imo

ſpondebunt phyſiologi ad Tulpii hiſtoriam de puero quinquenni, hydrocephalo laborante, qui ad mortem vsque integris gaudebat mentis muniis, cuius tamen cerebrum ab exuberante aqua ita fuit diſtentum, vt amisſa figura globoſa in formam conuexi fornicis redactum inſtar alicuius membranae craſſioris adhaeresceret vndique arcuatae oſſium diſſolutorum circumferentiae? Par eſt ratio hiſtoriae Veſalianae de hydrocephalo biennis puellae, ad mortem vsque integris vſae ſenſibus. Ibi ſcilicet aquae vis erat collecta in dextro, ſiniſtroque cerebri ventriculo, quorum amplitudo ita increuerat, vt nouem fere aquae libras continerent, cerebrum vero ita erat extenſum, vt in capitis vertice membranae quaſi modo eſſet tenue, ac quodammodo continuum cum tenui ſua membrana corpus, cum cerebellum interim, cerebrique baſis vniuerſa ſecundum naturam ſe haberent, nonniſi cerebri ventriculos perfluente aqua. Quomodo reſoluent phyſiologi exemplum pueri bimuli hydrocephalici, quod recenſent anglicae Philos. Tranſactiones, qui nimirum ſemper alacris, nunquam ſtupore vexatus, aut dolore capitis,

Digitized by Google

Imo vero, quam occulta eſt efficacia venenorum vel per infecta inſtrumenta, vel morſum rabidorum animalium applicatorum humano corpori? dum nicotianae oleo tumens filum per vulnus acu inflictum trahitur in animali viuo, cito illud perit. Viperam ſpatio minore, quam eſt octaua horae pars, necauit ſic Cel. Italus FRANCISCVS REDI, qui tamen in omnibus herbae huius ſpeciebus non inuenit hoc oleum eandem habere malignitatem. Alii perhibent, quod fere idem

capitis, vel anorexia laborans aegrotauit, niſi paucis ante mortem diebus, cuius in vnoquoque cerebri ventriculo laterali aquae vnciae xx. ſunt repertae. Pariſini ſimilem habent hiſtoriam duorum puellorum, ſine vlla vel conuulſione, vel rationis defectu extinctorum. In his duo anteriores ventriculi & tertius vnam referebant cauitatem, quae tres aquae plenas libras continebat, ſubſtantia cerebri ad minimi digiti redacta craſſitiem.

Imo quomodo ſua cum theoria conciliabunt DIEMERBROEKII exemplum aegri, cuius in ventriculis cerebri anterioribus plus quam ſemilibra puris fuit inuenta, qui nihilominus ſanae ſemper extitit mentis, motuque non fuit priuatus ad mortem usque? Quomodo intelligent, fieri poſſe, vt, quemadmodum WEPFERVS in tractatu de apoplex. exemplum refert, homo ad vltimum vsque vitae halitum accurate videns & acute audiens, ſaluo vbique ſenſu poſſit mortuus exhibere corpora ſtriata, & calloſi corporis portionem exulcerata, inaequalia & quaſi lacera ex abſceſſu oui magnitudine in dextro reperto

Digitized by Google

idem eſt, vnicam huius olei guttam, infuſam apertae viui animalis venae ſimilem effectum edere; tamen quotidie nouimus per os, fauces oeſophagum & ventriculum, forſan & oris interni reſorbentia vaſcula impune miſceri humorum maſſae oleum hoc per tabacophilos. Letalia illa Bantamenſium tela, quae leuiſſimo vulnere indubitatam inferunt mortem, infuſa vino alioue liquore per plures dies nullam liquido induxerunt malignitatem, in quo tamdiu haeſerant,

perto ventriculo? Quis, vti e *Valſaluae* ſchedis poſthumis refert MORGAGNVS, perſuadeat ſibi, poſſe virum ſeptuagenario maiorem, nullo laborantem morbo, niſi quod per aliquot annos incederet languidius, in colloquiis tarde reſponderet, debilique admodum viſu eſſet, ſubita correptum apoplexia letali praeter multum per cerebri ventriculos effuſum ſanguinem offerre cerebri ſubſtantiam ad extimam usque ſuperficiem eroſam alte, ac praeterea in latum ad pugni dimidium, ita quidem, vt eroſio maxime thalamum nerui optici dextrum occuparet? Quomodo concipiemus ſanationem integram hominum, quibus traiecto per ſuperiorem oculi orbitam in cerebrum plumbeo globulo multum laeſa fuit oblongata medulla? Quis canem ſibi concipiat per multas horas vegetum, cui cerebellum profunde laeſum eſt; & huius rei experimenta tamen proſtant? Quis cerebelli vulnera perſanari poſſe ſtatuat, vti VESLINGIVS cum Cairi moraretur in Aegypto, ſenem Abyſſinum, cui acinace iuxta lambdoideam ſuturam vulnus erat inflictum, quod, vtramque peruadens meningem, cerebellum ad duorum digito-

Digitized by Google

rant, vti legimus in *obſeruationibus* FRANC. REDI *de viperis*.

Similis obſcuritas animalia premit. In viperarum morſu vulneri dentibus impreſſo immiſſus venenoſus latex certo & hominem, & animalia maiora, gallinas, columbas, & alia necat. Dum Magni Hetruriae Ducis Eruditiſſimi Viri, expiscaturi veneni huius indolem, ſuſpicionem in fel viperinum coniicerent, Veterum autoritate, Recentio-

digitorum latitudinem ſtringebat? ſic de corticis cerebelli portione notabili enſe ablata ex MAIRIO, Chirurgo Argentoratenſi, ſimilis fere curationis caſum narrat Platnerus.

Quis non miretur, cerebellum cum parte dimidia poſteriore medullae oblongata ſcirrhoſum, in maſſam albam ad ſenſum homogeneam concretum in puero per duos ante mortem annos ſtupido, pulſu paruo quidem, ſed regulari reſpiratione debili quidem, ſed frequente gauiſo? Qui fieri poteſt, vti caſum tamen habent philoſophicae Transactiones Anglicanae, vt puella, ſex fere annos nata, quae ſtipem oſtiatim petere ſolebat, ſcirrhum exhibeat enormem duarum vtrinque vnciarum diametro, in quem tota vel medullaris, vel corticalis cerebelli ſubſtantia degenerauit? HARDERVS reperit in cerebello puellae, per quosdam ante mortem dies ſumma vexatae cephalalgia, tres ſcirrhos, globulorum inſtar tangendos, quorum vnus erat myriſticae nucis magnitudine. Similem vidit morbum LANCISIVS in cerebello

Digitized by Google

centiorumque multorum ducti testimoniis, in angulo stans viperarum captator, Marsis audacior, Psyllisque, viperae bilem dimidio frigidae mistam cyatho bibit intrepidus, nihil inde mali pass s; neque diuersis brutorum speciebus oblatum hoc fel vllam intulit noxam, neque instillatum vulneri recenti aliquid mali effecit, testibus proxime laudati Franc. Redi observ. de viperis. Inquisiuerunt deinde in vlteriorem veneni huius fontem, eoque fine accuratissime perlustrauerunt omnem

cerebello hominis, motibus obnoxii conuulsiuis. E. N. C. describunt puerum hydrocephalicum, cuius cerebellum repertum fuit induratum cum dura matre cranio cohaerente, nulla superstite cauitate. Alibi eaedem obseruationem habent cerebelli putrefacti, corpusculis scatentis glandulosis ex aegro e conuulsionibus mortuo. Cl. GIGOT la PEYRONNIE, primarius Regis Galliae Chirurgus, tumorem durum, in ventriculo haerentem, delineauit oui gallinae magnitudine, occupantem locum cerebelli, quod in laminam tenacem, lineam crassam redactum tumorem inuoluebat. Aeger paucis ante mortem diebus conuulsionibus correptus ad extremum usque halitum vsus est animae functionibus integris, & exquisito sensu, nec respiratione turbata, nec cordis actione.

BRISSEAV in actis Parisinis obseruationem habet tumoris duri, oui columbini magnitudine, in medio siti cerebello. BONETVS in suo *sepulcret. anat.* adolescentem nominat capite percussum, die post vulnus inflictum vndecimo mortuum: resecto cranio inflammatae appa-

omnem oris internam ſuperficiem, inuenerunt ſingulares loculos, dentibus aſſidentes, humore plenos, qui colore atque ſapore ſimillimus erat oleo amygdalino, quantus quantus mitis, omnis expers acrimoniae. Obſeruarunt autem, quoties morſum infert vipera, compreſſis maxillis neceſſario vulneri adſpergi debere illud liquidum. Quamuis autem virus hoc vulneri dente viperae facto immiſſum tam letales ederet effectus, idem tamen ille venator, qui viperae bilem deglutierat, audacia pari expreſſam viperae maximae, ſimulque iratiſſimae, his è loculis liquorem, ſimul omnem ſpumam & ſaliuam, quam

apparuere meninges, & cerebellum corruptum, nunquam febricitauit, vel delirauit, niſi paucis ante mortem horis. Idem Bonetus deſcribit cerebellum hominis phrenitide atque conuulſionibus mortui ſubito, turpi abſceſſu, qui ſcatebat humore pallide flauo.

Quomodo, quidquid etiam vel caſtiſſima de corpore calloſo, eiusque vſu ſtatuat hypotheſis, pro iis, quae Phyſiologia dictat puriſſima, credat quis: dari bruta ſatis adhuc aſtuta, imo vero ſagacitate quadrupedibus maiora paſſim, exemplo apum, quae illo corpore naturaliter careant? & tamen clamat experientia, praeter hominem & beſtias quadrupedes eo deſtitui animalia omnia. De auibus & piſcibus extra omnem dubitationis aleam hoc poſuit acutiſſimus WILLISIVS; de ſtruthione in ſpecie ſuis in actis hoc demonſtrauerunt Pariſini; de aliis res eſt veri plus quam ſimilis.

Digitized by Google

quam ore continebat, diluta hausit sine noxa. Simili successu idem ingestus fuit ab animalibus variis, vti discimus ex obseru. Franc. Redi. Hinc est, quod ANNAEVS LVCANVS, vbi per Lybiae aridissimas solitudines ductum sapientissimi Catonis exercitum describit, & sitientes milites non ausos bibere de fonte, serpentum turba frequente traiecto, hortantem Ducem, vt biberent audacter, introducit his verbis:

Vana specie conterrite leti
Ne dubita miles tutos haurire liquores.
Noxia serpentum est admisto sanguine pestis;
Morsu virus habent, & fatum dente minantur,
Pocula morte carent; dixit, dubiumque venenum
Hausit, & in tota Libyes fons vnus arena
Ille fuit, de quo primus sibi posceret vndam.

Sed satis est dubiorum, satis nebularum, veritates certo proxime accedentes obnubilantium. Videamus etiam sereniorem saluberrimae Artis Medicae frontem, perlustremus illas eius regiones, in quibus cortinis reductis pleno iubare veritates refulgent. Splendorem hunc mutuantur inprimis ex obseruationibus chemicis, anatomicis, nosologicis & aliis, quarum castitas & seueritas applicata phaenomenis instar gladii Alexandrini est, qui vel durissimos rationum nodos

Digitized by Google

dos diuidere poſſit & reſoluere. Res infinitis clara eſt exemplis, demonſtratur autem ex illis praecipue, quae tantum non difficillimorum problematum rationem habent; juuabit horum aliquod ex infinitis numero ſeligere pro themate ſermonis, ſed juuabit etiam, vt vna fidelia duo dealbentur parietes, in gratiam aegrorum & aegrarum, praeſentis aeui, apud quos inualuit mos, vt, quemadmodum ſpiritu ſingulares ſibi formant aetiologias pathologicas, ad quas omnes fere reducunt morbos, ita nunc praeſertim vbique neruos accuſent, eorumque debilitatem, vel quodcunque vitium, tale discutere Medicinae obiectum, quod etiam hanc eorundem theoriam clariori exponat luci, & magis in aprico ponat, & determinet, quomodo toties nerui patiantur etiam ab ideali cauſa, non corporea. Indicabo illam primam, quam experiuntur nerui, mutationem, & deſcribam eius effectus mediatos & immediatos, in variis corporis partibus maxime autem vaſis & neruis. Erit, vt paucis multa dicam, ſermonis argumentum:

Imperium Animae Humanae in Neruos non voluntarium!

Vtinam vero materiae dignitati facundia parem haberetis me A. O. O. & D. longe Aeſtumatiſſimi Oratorem. Sed fateor ingenuus, eam

non

Digitized by Google

non fauere mihi ſuadam. Vnde ſpe fretus, fore, vt Veſtra Gratia & Benignitas meas ſuppletura hallucinationes, temporis breuitas omiſſa excuſatura, & jucunda materiae varietas tenuiſſimam dicentis eloquentiam perfectura ſit, non ante plura faciam verba, quam Veſtram mihi A. O. O. & D. longè Aeſtumatiſſimi, ſubmiſſis precibus exorauero in audiendo benevolam patientiam.

Humano in corpore quicquid exercetur motuum compoſitorum, id vero primam ſui corpoream cauſam habet in neruis omne; id euidentiſſimorum experimentorum infinita ſeries loquitur; ſed obſeruatur inſignis differentia horum motuum in ſolidis partibus; alii enim mere corpoream agnoſcunt cauſam, nullam ante, vel ſub ipſis mutationem exhibentes in mente ſimultaneam, vel praeuiam, cuius aliquis cum corporea nexus perſpici queat, vti ſunt omnes motus non voluntarii, actio vaſorum ſanguineorum & aliorum, multarum fibrarum muſcularium, quae actionibus ſeruiunt naturalibus, vitalibus & ex parte quoque animalibus, alii autem plurimi nunquam accidunt ſine praeuiis vel ſimultaneis mutationibus mentis, immo vero ita fiunt, vt diſtincte intelligas, nunquam in ſano homine illum celebrari motum, niſi aut antecedat, aut

 ſimul

Digitized by Google

ſimul praeſto ſit idea mentis qualiscunque; licet ipſam rationem, qua cohaerent inter ſe, influuntque mentis ideae in corporeas mutationes, nondum humana ſatis aſſequatur perſpicacia. Tales autem corporis mutationes illae praecipue ſunt, quae voluntariae audiunt, vel e voluntariis & non voluntariis mixtae, quaeque nunquam fiunt ſine praeuia deliberatione mentis decidentis, vt haec fiat, vel illa in corpore mutatio, nec determinatae proxime ab obiectis externis ad hoc imperii exercitium; ſed, qui humanae vitae hiſtoriam deſcribunt omnem, alias etiam oppido mutationes in corpore obſeruant, mentis mutationes ita excipientes certe, vt, quo modocunque res fiat, nunquam accidant illi effectus ſine his praeuiis mentis mutationibus, ea quidem non illas decernente, vt fit in actionibus voluntariis dictis, & mixtis e voluntariis & non voluntariis, ſed patiente quaſi magis, ita tamen, vt mutatio in corpore plurimis in caſibus aut obſeruari non poſſit, aut certe nullum notabilem, noxium inferre ſano corpori effectum queat, vbi mens per ſeueras Ethicae ſublimioris leges exercitas caſtiſſime ad eam ſerenam compoſita eſt tranquillitatem, quae vim impresſionum ab obiectis extra mentem eam impugnaturam omnem eludat efficaciter, vti huius rei exempla illuſtria ſola ratione ducti dederunt jam

ante

Digitized by Google

ante ſecula Chriſti cognitione caſſi Philoſophi, vt ab omni alienum ſit dubio, eam rationem reuelationis illuſtratam lumine plenam tandem reportaturam eſſe ab his irritationibus victoriam.

Hoc ergo mediatum animae dominium verum eſt in corpus imperium, in eo quidem diverſum ab illo conſueto, quod anima in voluntariis actionibus & mixtis exercet in corpus, quod hic anima nihil immediate decernat, quemadmodum proprie fit in actionibus illis, ita, vt ſimplex adſit idea, ſed non volendo agat in corpus anima, corporisque mutatio cum hac ſimul exiſtat, quae, cum ſemper in motu conſiſtat, e neruis tanquam cauſa primaria pendente, ſua ſponte indicat, eſſe hoc animae imperium proximum in neruos, ſed non voluntarium eo ſenſu, quatenus, dum fit effectus, non proximam in voluntate rationem habet, eo autem ſenſu voluntarium, quatenus remote voluntas hominis ita diſponere poteſt animam, vt ſuas has mutationes inexpectatas non experiatur cum ſubſequentibus mutationibus corporis, vel, cum afficitur mens, aliae obuiae ideae multum diſſimiles ſupprimant eas, quae corpori adeo forent noxiae.

Cum ergo nunc de hoc Imperio dicendum eſt mihi, poſſetis à me poſtulare, A. O. O.

& D. longe Aeſtumatiſſimi, vt 1) demonſtrarem Vobis ſummatim, ita diſponi poſſe mentem, vt illas eludere impreſſiones extrinſecus factas poſſit: 2) vt Vobis exempla ſiſterem effectuum harum in mentem impreſſionum in corpus euidentia ſatis: 3) Vt ex obſeruatis non modo demonſtrarem, certe analogice, quod nerui proxime mutationem illam experiantur corpoream, ſed &, quod ita implantati ſint partibus illis corporis reliquis, quae ſub illa & poſt illam animae mutationem patiuntur, vt ex ea implantatione intelligi effectus in eas vlterior queat.

Videntur autem primo illi poſtulato jam ſatisfacere, quae allegaui, exempla philoſophorum a ſacris chriſtianis alienorum qui ſuam ita ratione caſtigauerunt mentem, vt vel grauiſſima & vehementiſſima pathemata, quae ſic alias audiunt, nullo modo in ſanitatis praeiudicium afficere corpus potuerint, & ferire quidem pectoris aheneum murum, oppugnare autem nulla valuerint ratione, imo vero, vt ab animi affectibus gratis nonniſi ad eam mente mouerentur menſuram, quae ſalubris eſſe corpori, eiusque ſanitatem confirmare debet, ab ingratis vix tangerentur. Addo his exempla eorum philoſophorum, qui ſua illa ethica praecepta reuelatione decenter condiuerunt, vnde ad animi ſerenitatem

Digitized by Google

tem ac tranquillitatem constantem fere dixeris plus quam humanam euecti sunt. Rationis enim & religionis lucta cum his affectibus validissime pathematibus resistunt, hocque humana conditio patitur. Hinc Medici, qui obseruant hos effectus, demonstrant ex ipsa praxi, plurimum contra morbos effici posse animi hilaritate, patientia sopiendo, diuertendo magnos affectus ratiocinio, & excitato contrario affectu; ita scilicet illud singulare gratum, vel ingratum, quod cogitatam comitatur ideam, differens ab idea cogitata, & principio cogitante, omnes tamen sibi relictae mentis ideas turbans, & ipsam voluntatem, libertatemque quasi tollens, cogensque ad volendum, & nolendum haud difficulter deletur. Quanta philosophiae huius applicatae leguntur exempla in sacris Litteris, & priuatis etiam scriptis! quam miri effectus in mente atque corpore, qui vndique ipso facto clamant fieri posse, quod demonstrauimus imperium hoc non voluntarium, tale visum magis, quam existens vere! O felices mortales, & ter quaterque beatos, haec sua si bona nossent, & singularem illam mentis excelsitatem, qua sibi & corpori dominari simul potest, non intelligerent modo, sed & in succum verterent & sanguinem!

Transeo autem ad alterum orationis momentum, quod praecipue versabitur circa histo-

riam effectuum, quos animi pathemata edunt in corpore; diuidam autem eos in tales, quos aegrum experitur corpus, & illos quos patitur sanum, in vtraque secuturus praecipue catalogum animi affectuum & simplicium, & compositorum, vt vocant. Quantum ergo attinet ad eos effectus, qui ex animi affectibus redundant in aegrum corpus, quis nescit, & in morbis chronicis, & acutis, eorum summam esse vim. Vidit *Boerhauius* in acuta continua febre pessime delirantem hominem mox resipuisse, dum incendium satis vicinam occupasse domum audiret. *Abrah. Kaau Boerhaue* maiorem adhuc & valde mirabilem incussi terroris effectum in libello, quem inscribit: *Impetum faciens Hippocrati dictum*, recenset ex obseruatione Auunculi *Herm. Boerhaue.* (*a*)

Ita

(*a*) Verba ita habent: *in Nosodochio Harlemensi perterrita puella incidit in morbum neruorum conuulsivum, certis reducem paroxysmis; adstantium & adiuuantium quaedam in eam intenta itidem corripitur eodem morbo, postridie altera, deinde tertia, quarta, imo fere omnes tam pueri, quam puellae, status miserrimus! corripitur hic corripitur illa, imo fere omnes eodem tempore, dum vnum alter aspicit, prosternuntur; Medici solertes adhibent frustra, quae dictat ars, antepileptica medicamina saluberrima.* BOERHAVIVS aduocatus Harlemum, dum rem examinat, inuadente in vnum paroxysmo vidit conuelli plures epilepsiae specie, datis incassum optimis medicamentis a Medicis sapien-

Digitized by Google

Ita pauore cranii ſuturas disiunctas narrat *Stalpart van der Wiel* Cent. I. obſ. 79. & hinc per tranantis ſpiritus impeditum tranſitum ſanatas paralyſes, lethargum, podagram. Croeſi filius, ab incunabulis mutus, tum factus fuit vocalis cum Sardibus a Cyro captis, a Perſarum militibus aliquis ferro ſtricto in patrem occidendum irrueret, exclamans: Ω ανθρωπε, μη κτεινε τον κροισον, teſtante *Valer. Max.* Antiquiſſimi Arabum Medici, *Auenzoar* & *Alcacaris* ſuo jam tempore docuerunt: vteri procidentiam terrore poſſe ſanari, vnde obſeruationem repetit ex illis *Zakutus* Luſitanus.

In

pientibus, & per imaginationem ex vno in alterum traducto morbo, rite perpenſis momentis omnibus, hanc auertendo credidit poſſe curam obtineri, & obtinuit. Scilicet praemonitis Ephoris, praeſentibus omnibus, juſſit per cameram diſponi furnos portatiles, prunis inſtructos ardentibus, atque iis imponi ferreos hamulos, ad certam adaptatos figuram; tum ita mandauit: quia omnia fruſtra forent, ſe aliam neſcire medendi methodum, quam vt, qui primus puer foret, vel puella, infauſto morbi correptus paroxyſmo, in regione quadam nudati brachii candente ferro ad os usque inureretur, (utque dicendi grauitate pollebat,) perterriti ſic omnes ad crudele adiumentum dum inſtare ſentiunt paroxyſmum, omni mentis intentione, metuque peracerbae inuſtionis eidem reſiſtunt, oblata fortiore idea. Similes epilepſiae per terrorem ſanatae caſus memorant etiam E. N. C. BARTHOLINVS, BINNINGERVS, BIERLINGIVS.

Digitized by Google

In Curlandia tertianae curam per terrorem institui solitam recensent E. N. C. in quibus etiam exemplum legitur grauiter febricitantis cum summa virium debilitatione, restitutae per terrorem subito conceptum e visitantis ipsam Agnati epileptica correptione; alius etiam in somnio perterrefactae morti proximae paucis diebus restitutae; per terrorem fugatae quartanae casum habent *Ambros. Paraeus*, & E. N. C. in quibus etiam extat specimen ablatae quartanae per cymbae in aqua submersionem. (*b*)

Mox addam, quae in corpore sano efficit terror;

(*b*) Sic etiam tertianam ex immersione in aquam frigidam fugatam narrant E. N. C. vti & e bombardae improuisa explosione narcosin quoque terrore dissipatam inuenimus tribus exemplis in E. N. C. paralysin inueteratam, & contracturam victam in BECKERO de *cultrivoro Borussico*; arthritidem, recensente PHILIP. SALMVTHIO; sanguinis ex vtero fluxum, vt & oris inflammationem terrore sublata testatur, ROLFINCIVS; herniam carnosam terroris ope sanatam PECHLINVS, ischuriam pertinacem cum ipsa melancholia inopinato solutam terrore N. C. E. edocent, singultum curatum eo, & agrypniam inductam RIEDLINVS tradit. In vita communi lippis & tonsoribus notum ischaemum est terror, maxime contra narium haemorrhagias, vbi terror incutitur, non opinanti per aquam frigidam nuchae affusam; Similem saepe habuit effectum ille terror contra lipothymias, e quibus admodum efficaciter excitat.

Digitized by Google

ror; vniuerſalis in ſano corpore, qui obſeruatur, hic eſt: ſubito perculſus homo terrore pallet, friget, contrahitur toto corpore, quo procul dubio in ſtatu fit, quod Generoſus de *Haller* primarum phyſiologiae linear. §. 71. aſſerit: eſſe, vbi ex adfectu animi ſanguis e minoribus arteriis retrocedit in maiores, vti hoc etiam e ſubita reuulſione per V. S. magnam, & e conuulſione accidere ſuſpicatur ibidem; pulſus eſt celer, ſed paruus & inaequalis, cor palpitat, ſumma circa pulmones oppreſſio adeſt cum ſuſpiriis, omne membrorum robur ſoluitur, tremor fit corporis totius, vel & aliquando attoniti obrigeſcunt ſtatuae inſtar, vox faucibus haeret, vt, vbi accedit admiratio, verum fiat illud Poëtae:

Obſtupui, ſteteruntque comae, vox faucibus haeret!

Hinc timorem terrori affinem Iliad. Lib. IX. frigidum dixit *Homerus*, qui pallidum etiam eundem vocauit Iliad. Lib. XIV. dum irruentem Menelaum fugit Alexander, tremor occupauit membra, & retro ſeceſſit, & pallor occupauit genas, recenſente *Virgilio* Aeneid. Lib. XII. (*c*)

Sed

(*c*) Morbi e terrore maxime ſolennes ſunt ſpasmodici, vti plurimis exemplis teſtantur E. N. C. quae ſpecimina etiam habent morbi caduci letalis ex eo, a viſo ſpectro aphoniae atque conuulſionis. SCHENKIVS in ſuis obſeruationibus narrat epilepſiam e terrore natam, Catochen ortam

Sed *Metus* terrore paulo tardior affectus saepe similia fere prioribus patrat: eum ebrietatem arcentem, summaeque hinc ebrietatis furorem sopitum narrat *Riedlinus*: in femina quadam illustri aluum clausam subito hinc lubricatam testatur *Riedlinus*; alias autem a potiori noxii sunt effectus metus, nisi praecise opponantur contrario affectui, quemadmodum experientia docet; v. c. supplicii metum furentem ira hominem compescere posse, vbi

ortam in puero CRVGERVS in scripto peculiari. Sic prostant etiam obseruationes aliorum e terrore morborum, in E. N. C. historia iuuenis bis e terrore variolis correpti; terroris variolas repellentis, sicque in mortis causam transeuntis: iuuenis duodecennis a viso sene apoplexia tacti, sic perteniti, vt immediate dextram manum & pedem instar stipitis esse sibi animaduerteret. Eaedem E. N. C. describunt etiam e terrore lochiorum suppressionem, & inde phrenitidem, conuulsionem, ac tantum non mortem insecutam, tristissimos effectus in praegnante, nimium catameniorum profluuium, quale habet etiam SALMVTHVS, tandem letale: seruam quandam Bataviae in furorem e terrore prolapsam refert BVSCHOFF: alium e terrore per incendium incusso lapsum in dyspnoeam & catarrhum suffocatiuum, tandem in hydropem, describit SCHNEIDERVS in tract. de catarrhis, aliudque simile habent exemplum BARTHOLINVS. Terrorem grauidae foetum peregrino tingentem colore, matremque in febrem coniicientem RIEDLINVS memorat: aliam grauidam describit idem Autor arthriticam. B. Alex. CAMERARIVS exem-

vbi pulcherrima praecepta Ethices applicantur frustra: iram non ſupprimit ſummus metus. Videamus autem noxios effectus: dum ſubitaneo percellitur homo metu, mox tota contrahitur facies, pallent labia, genae, oculi, ſanguis ruber contractis vaſis interiora verſus repellitur; & circa cor & pulmones in maioribus collectus alueis ſtagnat fere, vnde intolerabilis anxietas, cordis palpitatio, ſyncope, rarior perſpiratio, ſaepe ſudor, ac alia peſſima, ſaepe

exemplum habet puellae a viſo ſpectro expallescentis, nec poſtmodum pallorem vnquam cum alio mutantis colore: amauroſes e terrore natas alegat SCHAARSCHMID: alui laxationem BOCCO: artus luxati & repoſiti elapſus per terrorem exemplum PECHLINVS habent; vrinae ſuppreſſae laxationem SCHELHAMMERVS, herniarum in abdomen reditum ſpontaneum PECHLINVS: hydrophobiae in aqua ſanatio ad effectus metus magis pertinet, vt & inflammatio topica, quam recenſet ROLFINKIVS; frigus ſubitum, polypos e terrore nominat FRIDERICVS HOFFMANNVS; fluentis e vena ſanguinis ſuppreſſionem SCHELHAMMERVS, & menſium idem; criſium repulſarum cauſam FRIDERICVS HOFFMANNVS, ſiccatorum vlcerum idem: lactis ad vterum repercuſſi BOCCO; icteri & abortus, lactis coagulorum FRIDERICVS HOFFMANNVS; Sed contrariorum etiam effectuum haud pauca proſtant exempla. Denique frequentiſſimus etiam terroris effectus eſt animi deliquium, quorſum & refero reſuſcitatas terrore paſſiones quasdam hyſtericas; ſic etiam huc pertinent diarrhoeae, quas paſſim terror excitat.

Digitized by Google

ſaepe per omnem vitam manentia mala. Sic & facilis eſt inde receptio peſtis, variolarum, aliorumque morborum, quos miasmata, quae innatant atmospherae, gignunt, vti patet ex obſeruationibus *Pechlini*, *Riuini* & *Friderici Hoffmanni*; passim & curationes maniacorum peractas metu legimus, quales habent *Hoffmannus* praeſertim & *Pechlinus*.

Indignatio praeſtat, quae ſummus metus & ira, de qua poſtea dicam. *Aegles* ſamius athleta, mutus, cum victoriae titulus & praemium ipſi eriperetur, indignatione accenſus ſubito vocalis fuit factus, teſte *Valerio Maximo*. Nauſimenis vxor Athenienſis interueniens ſtupro filii & filiae, inopinati monſtri perculſa conſpectu in praeſens tempus ad indignandum, & in poſterum ad loquendum obmutuit; vti teſtis eſt idem *Valer Maximus*.

Quid *Pudor* efficere queat, frequenter apparet in puellis potiſſimum, quarum facies facile rubore ſuffunditur, licet alias in iisdem idem color tanquam virtutis indicium adametur. Multo autem euidentius habent exemplum *Plinius* de *Diodoro*, Sapientiae Dialecticae Profeſſore, morte proſtrato repentina, cum quaeſtionem luſoriam non protinus ad *Stilponis* interrogationes diſſoluiſſet. Taceo illa mala, quae per indirectum in vtroque ſexu pudor patrat.

Moeror

Digitized by Google

Moeror nunquam facile obſeruatus fuit in ſalutem hominis ceſſiſſe, niſi vbi praeciſe contrario affectui oppoſitus forte fuit. Praecipui autem effectus in ſano & aegro corpore noxii hi ſunt: humores ab exterioribus ad interiora magis recedunt, cor pulſat languidius, vnde pulſus eſt minor, palleſcit facies, liuescitque, obſcurantur oculi, ſanguinis per pulmones impeditur iter, hinc e capite reduci naſcitur impedimentum, inde lachrymae, deficit appetitus, membra ſunt flaccida, laſſa, ſolitudinem, imo loca tenebricoſa quaerunt triſtes, exareſcit corpus, vigiles agunt noctes, imo, quod maximum, non tantum deſinit homo eſſe homo, ſociale animal, & miſanthropus euadit, ſed & apanthropus in propria ſaeuiens viſcera, ſua manu laqueum obdens collo, & caede ſui ipſius miſera ſe ipſum e medio tollens, vti id exprimit potiſſimum *Wedelius* in ſua Phyſiologia reformata. (*d*) Quis

(*d*) OVIDIVS *Metamorph.* L. VI. deſcripturus *Nioben* in moeroris affectu ſummo conſtitutam egregie ita eam depingit:

In vultu color eſt ſine ſanguine: lumina moeſtis
Stant immota genis: nihil eſt in imagine viuum.

Plus affectus huius & admodum graphice videtur expreſſiſſe VIRGILIVS, vbi depingit Andromachen Aeneae aduentu in Epirum perterritam: ita enim *Aeneid.* L. III. ille canit:

- - magnis

Digitized by Google

Quis autem nescit *irae*, quam breuem *Horatius* vocauit furorem, insignes effectus, qui omnes potis-

- - magnis exterrita monstris
Diriguit visu in medio: calor ossa reliquit,
Labitur, & longo vix tandem tempore fatur.

Ad Harpyae vaticinium simili fere vsus verborum elegantia idem exclamat MARO:

- - Sociis subita gelidus formidine sanguis
Diriguit. - - -

Perspiratio imminuitur est, supprimuntur menses iuxta SCHREIBERVM & SCHELHAMMERVM, denique atonia totius corporis & ad succumbendum in morbis certissima dispositio inde fiunt; in feminis frequentem inde singultum, pulsum & respirationem vix sensibilem, immo frigus perfectum deduxit BOYLEVS: aphonias, coecitates, hysterica mala, conuulsiones, epilepsias SCHELHAMMERVS: Mammarum scirrhi e moerore haud rari sunt, quod dudum SANTORIVS monuit: cancros ex eodem affectu ingrauescere obseruauit PECHLINVS: idem a metu solo conuulsiones, variaque periculosa symptomata recenset: quam difficilem saepe partum reddat metus, frequens loquitur experientia.

Sed multa prostant testimonia de clandestinis & furtiuis insidiis, quas corpori moeror struit. Ita ipsae Sacrae Paginae illas confirmant, vti videmus e *Prou. Salom.* Cap. XVII. 22. & *Syrac.* Cap. XXX. 25. Ita exemplum habetur viri, qui amissum filium vnicum, sibique peramatum adeo lugens prae moestitia expertus est paralysin artuum superiorum & inferiorum. Dominus *Monpensier* in tumulo paterno illachrymans obiit. *Wilhelmus Roschild* in cadauere Suenonis Daniae Regis. Aulilicus quidam a Principe, cuius in gratia fuerat, abire iussus,

Digitized by Google

potissimum huc redeunt: rubet subito facies, mox etiam pallet, oculi torui sunt & protuberantes, mican-

jussus, quia fefellerat Dominum, intra triduum extinctus est, vti refert Generosus de HALLER in commentariis Boerhauianis ad Institutiones. Rasciacus scire cupidus, quisnam acriter pugnando in obsidione Budae occubuisset, compertus, fuisse carum sibi filium, moerore fuit extinctus in eiusdem cadauere. Ita *Bartholinus* subitam tristitiam mortem excepisse perhibet, abortum e moerore, qui accidit feminae per quinque menses grauidae, multaque hinc, eaque grauissima enata symptomata, prolixe recenset in E. N. C. Dominus de *Muralto*, Medicus inter Heluetios celebris. *Benningerus* pariter abortum e tristitia memorat excitatum. Forsan etiam ad moerorem spectat illa Heluetiorum tristitia, vehementissimo nupta desiderio, quod juxta *Zwingerum* gignit speciem febris alicuius, eiusque aliquando satis acutae, sub qua, dum absunt a patria, contabescunt; vocatur morbus pothopatridalgia, vel nostalgia.

Ita plura sunt exempla subitae mortis, moerorem consecutae per modum apoplexiae, praecipue in muliebri sexu. *Rondeletius* a moerore catalepsin obseruauit in puella XV. annorum. Moestitiam febrem malignam exasperantem describit Riedlinus; Schenkius nobilis iuuenis exemplum habet, qui ob crimen capitale in carcerem coniectus & ad mortem damnatus e tristitia, mortisque horrore vnica nocte canitiem contraxit. Simile quid obseruari e nimia sollicitudine, curis, anxietate, res est maxime familiaris: hinc etiam iis, quibus angusta domi res est, nec omnia cedunt e voto, multa solent e solo moerore hoc accidere mala.

Digitized by Google

micantiſſimi, labia pallida criſpantur, vultus horridus eſt; accedunt narium tremor, expanſio, rubor, musculi ſubſultantes, vox inarticulata haeſitans; febris ardens, furor facile conſequuntur; modo etiam totum tremit corpus, cor ſaepius contrahitur, pulſus magnus eſt, celer, reſpiratio concitata magis, paſſim & ſudor prorumpit; dentibus ſtridet iratus, pugnis verberat pectus, pedibus fortiſſime terram allidit, crines euellit, canis inſtar in lapidem, quo ictus eſt, irruentis, in faucibus agitatur ſaliua, vt interdum etiam ante os appareat ſpuma, & quae ſunt alia ſymptomata. *Robbinſon* notabilem caſum habet in moribundo irato redeuntis pleni & citati pulſus, ſed hoc animi affectu ceſſante mortis cum debili pulſu intra horam. Quartanas & tertianas febres contumaciſſimas vehementi & ſubita ira ſublatas E. N. C. deſcribunt. De podagrico interueniente ira ſanato egregiam habent obſeruationem *Pechlinus Horſtius* & *Bartholinus*: arthriticam irae beneficio ſanatam refert *Hildanus*. (e)

Zelo-

(e) LIBAVIVS arthriticum deſcribit, qui, cum ambulare non poſſet, nec mouere crura, ira concitatus haec extendit, & ad offendentem vxorem per medium ſolus excurrit cubiculum: paralyſin inueteratam, & ſingultum enormem ira ſanatum, aluumque clauſam eadem ſolutam deſcribunt *Valleriola* & *Bekerus* de cultriuoro Boruſſ. *Crato* conſil. L. VI. in paralytico & phlegmatico iram cum

Digitized by Google

Zelotypia multum cum ira commune habet, & maximam partem ex ea & metu consistere videtur. Vti autem *Io. Baptista Montanus* notauit, ex ea mulieribus accidere aliquando vteri suffocationem: Ita in vtroque sexu malorum plurimorum foecunda mater ab omnibus agnoscitur.

Quam enormes sunt effectus & salubres & insalu-

cum insigni euphoria proritari afferit. *Horstius* triennem refert paralyticum, qui ob praesentiam hostis in furorem actus prosiliit subito, & cum sociis ciuibus euasit. Mutum ex ira loquentem habent Acta Hafniensia. *Hippocrates*, eiusque Commentator, *Galenus*, in frigidis morbis iram medicamenti loco suadent, quoniam scilicet tanquam igneum affectum describunt Auctores, vnde *Homerus* qui pluribus in locis mascule naturam expressit, ita de ira versibus in latinum translatis:

Aegre ferens adeo, praecordia sanguine plena,
Vtque micent oculi subito, velut ignea lampas.

Sic etiam Achillem ad conspectum armorum, quae Thetis attulerat, ira correptum eleganter his verbis depingit: oculi terribiliter sub palpebris tanquam jubar apparent. In Agamemnone ignis instar oculi lucebant, mens caligine circumfusa erat, obiurgante Chalcantem ob Chriseidem petitam. Achilles Aiaci suadenti reditum respondet: sed mihi cor tumescit ira, cuius etiam effectus, tanquam formae noxios, admodum concinne describit *Naso*, dum dicit Amorum L. III.

Pertinet ad faciem rapidos compescere mores
Candida pax homines, trux decet ira feras.
Ora tument ira, nigrescunt sanguine venae,
Lumina Gorgonio saeuius angue micant.

Digitized by Google

insalubres gratissimi pathematis, quod *Gaudium* dicimus! in eo sc. pulsus celerior apparet & plenior, vti *Schwenke* recenset in sua Haematologia: aliquando enormiter validus, vti habet *Kemperus* de valuulis. Deinde obseruantur calor maior, facies rubra, lachrimae, quae omnia fere sanguinis maiorem ad caput determi-

Apud *Terentium Geta* iracundia se ardere dicit. De vxore cuiusdam Atheniensis *Valerius Maximus* refert, quod ex ira muta euaserit; multos ex ira febre continua, paralysi, apoplexia, grauissimisque aliis morbis correptos memorat HILDANVS in Epist. I. ad *Aemilium Portum.* Idem obseruationem foetus in vtero epilepsia hinc correpti habet, aliam de artuum contracturis, ira excitatis, multas autem irae in praegnantibus & aliis per varias epistolarum suarum centurias sparsit quoque, quorsum praecipue spectat illa iuuenis capite vulnerati, qui ex ira sola in phreniridem incidit, & mortuus est. Periculosam vulnerati haemorrhagiam ira concitatam, nec non irae noxam in ulceribus recenset ac obseruationibus confirmat idem Autor: puerperis valde noxiam obseruationibus euincit TVLPIVS: febrem tertianam, ex ira enatam, in virgine describit RIEDLINVS, Poliater olim Vlmensis: mortem superuenisse grauiter iratis CVSPINIANVS & CROMERVS testantur: exemplum irae vrinae colorem insigniter mutantis narrat pariter RIEDLINVS; ab ira & offensione sanguinem menstruum e mammarum profluentem papillis obseruauit *Stalpart van der Wiel*: ruptam ex ira cicatricem arteriae obturatae, inflammationem hinc natam, bilisque effusionem, aluum motam, auctam perspirationem, voluulum ab ira testantur, *Hildanus*,

terminationem indicant: deinde homo in geſtus concitatur jucundos, oculi ſplendent, imbecilliores fundunt lachrimas, tota facies fit ſerena, exuit rugas, cor promtius pulſat, homo exultat, ridet, & neſcio quibus non motibus affectum excitatum prodit. *Baco de Verulamio* in Hiſt. vitae mortisque, gaudii extremi effectum, vulgo ad ſubitam quandam ſpirituum diſſipationem relatum, hinc ortam debilitatem deducit. *Pechlinus* obſeruationes habet podagricorum dolorum exorto gaudio ſopitorum, dein etiam exemplum tertianarii, ſimul icterici, gaudio ſanati, atque *Conringium* cum *Meibomio* colloquentem moto gaudio a tertiana liberatum refert. Sunt vero etiam triſtes gaudii effectus: ita jam *Galenus* L. II. de cauſis ſymptom: ex ira, ſcribit, nunquam aliquis (cito ſc.) mortuus eſt, gaudio autem non pauci. Ita mortem inde illatam repentinam *Gellius* recenſet in *Noctibus Atti-*

nus, *Pechlinus*, *Sanctorius*, *Tulpius*, & acta Hafnienſia: ex ira profectum abortum E. N. C. deſcribunt: effectus irae in humano morſu, abortu, & lactantibus deſcribunt ſingulares praeternaturales eaedem *Ephem.* in quibus etiam ira tanquam cauſa inflationis inteſtinorum in alio caſu, in alio alui deiectionum non voluntariarum legitur. Cel. IOH. RVD. CAMERARIVS in ſuis Memorabilibus medicis exempla habet aliquot hominum ex ira mortuorum, praeſertim eorundem Cent. X. *Zeno* apud *Plutarchum* iram τωνπαθων πανσπερμιαν vocat.

Digitized by Google

Atticis, & alii plures teſtantur idem. De ſubita infantis e gaudio morte N. C. E. & *Foreſtus* exempla habent. (*a*)

De ſingulari gaudii effectu, quem riſus exprimit, & qui ſaepe nouos ſingulares effectus & ſalutares & noxios in humano corpore progignit, nihil addam: eſt enim ibi ſimul concurſus variarum nouarum conditionum, quae proprie non pertinent ad ipſum affectum, quaeque proxime conſequuntur ex illis motibus inſigniori-bus mere mechanicis, quos riſus depoſcit.

Poſſem nunc tranſire ad illos varios affectus mixtos, gratos & ingratos, quorum quidem priores

(*a*) Sic Neptis LEIBNIZII aureos nummos ab eo collectos conſpicata gaudio improuiſo extincta legitur in Memorab. Acad. ſc. anno 1716. Philippides comoediographus victor renunciatus exſpirauit, teſte *A. Gellio. Sophocles* & *Dionyſius*, in tragicis victor illico exanimatus eſt vti habent *Plinius* & *Valer. Max. Marc. Iuuentius Thalna* Corſica ſubacta ſacrificans, acceptis literis nunciantibus a ſenatu decretas ſupplicationes ob ſpem triumphi, prae gaudio collapſus ante focum mortuus humi jacuit, vti habet VALER. MAX. *Chilon Laco* amplexus filium, in olympicis coronatum victorem moritur prae laetitia. Duarum matrum altera, nuntiata clade, quae ad Lacum Thraſymenum inciderat, filio ſoſpiti ad ipſam portam facta obuiam in complexu eius exſpirauit; altera cum e falſo mortis filii nuntio moeſta ſederet, ad primum redeuntis conſpectum exanimata eſt, vti deſcribunt *Plinius* & *A. Gellius*.

Digitized by Google

res inter maxime amor multis medicis conſiderationibus anſam dedit. Ita *Eraſiſtratus* ex amatorio pulſu animi latentem ignem agnouit, *Galenus* autem fuſe narrat, qua ratione ipſe amorem feminae diuinauerit e mutatione pulſus, eiusque inconſtantia, vultusque variato colore, ad auditum amatum nomen, & nuperus demum ſcriptor e pulſus incremento atque turbatione, ac faciei mutatione ad praeſentiam amati obiecti, amorem latentem dignouiſſe ſe refert: videatur *Schurigius*: nam in amore pulſus eſt celerior, & augentur a feminae deſiderio haemorrhagiae, vti habet *Rolſinkius* apud *Schelhammerum*: hunc deinde pulſum interturbat metus, quo & minor & lentior ſit, & ſpes, & alii affectus, e quibus amatorii pulſus inconſtantia conficitur.

Itaque nunc, vbi vlterius excurrere in affectuum etiam mixtorum hiſtoriam & poſſem, & deberem, ſi tempus id permitteret, multum adhuc dicendum ſupereſſet de inſignibus ceterum & in vulgus notis & in ſano, & aegro corpore hominis effectibus ſpei, deſiderii, odii, fiduciae, inuidiae, deſperationis, miſericordiae, aliorumque ſimilium; ſed abrumpendum eſt ſermonis filum, ne maiora excludam & grauiora eius momenta, quae demum inſtar inſulae Rhodi eſſe poſſunt, in qua ſaltare non cuiuis licet.

Digitized by Google

Scilicet jam in eo praecipuus' rei cardo vertitur, vt demonſtrem, omnes illas mutationes, quas patitur corpus ab illis mentis mutationibus, ex animi affectibus natis, redundare primo quidem in neruos. Id autem facile omnes horum effectuum conditiones teſtari poſſunt, neque tantum concludimus ex analogia: vti omnes corporis mutationes ex anima, ſive volente, ſiue alia ratione mutata profectae proxime fiunt & incipiunt in neruis, vti loquuntur ſenſus, motusque voluntarii musculorum, fibrarumque myoidearum, ita etiam procul dubio hae, quas animi pathemata efficiunt proxime transfunduntur in neruos, verum etiam, cum ex hiſtoria illorum effectuum pateat, eos omnes poſſe reduci ad motus huiuscemodi fibrarum, quis quaeſo, aliter ſuſpicetur, niſi quod etiam hos effectus proxime nerui experiantur: demonſtrat enim abunde Phyſiologia, & prorſus vniuerſaliter, quod, in corpore quidem vivo, alia ratione nullus fibrarum motricium naturalis accidere motus poſſit, cuius non prima corporea cauſa ſit mutatio neruis impreſſa. Ergo nunc ſolum adhuc demonſtrandum reſtat hoc ex ipſa corporis fabrica, quod nerui ſint ita fibris implantati motricibus, vt ex ea implantatione intelligi poſſit, quod mutatus neruus vim inferre fibris motricibus queat. Atqui vero

ro

Digitized by Google

ro hic plurimam lucem affundunt anatomicae demonstrationes, quibus nimirum euincitur, quod non tantum omnia vasa suam contrahendi vim neruis acceptam referant, vnde his etiam praeter immediatam mentis voluntatem, vel stimulos corporeos, quales v. c. sunt influxus liquidorum, congestio eorundem, & hinc fibrarum lenissima pressio, tensioque, potest maior ad motum actiuitas hoc modo conciliari, sed &, quod praeterea e variis plagis fibrae singulares nerveae ad vasa excurrant, quae arcus eorundem, e quibus constant, instar laqueorum ambiunt, atque sic, vbi ex omni arcus puncto motum experiuntur fibrae tales nerueae motum eum, quasi oscillatorium transfundunt in illos vasorum arcus, quos nobis fingimus. (*b*)

In

(*b*) Licet enim diu, jure meritoque, a Physiologis explosa sit hypothesis, quod nerui tanquam chordae agant, modo strictae, modo relaxatae: tamen, si quis considerat, nunquam neruorum mollem medullam incedere nudam, sed vbique fere, quousque anatome prosequi fibras potest, tectam & inuolutam membranis, quae continuatae sunt ex ipso encephalo & productiones durae matris, paulisper immutatae, piaeque meningis, quibus etiam tertium addit MORGAGNVS inuolucrum, quod intermedium vocat, quo nerui, eorumque principia praesertim manifestissime obuoluantur, Aduersar. II. p. 69. Haec qui considerat, intelliget, posse, cum in nerui medulla sit aliquis motus, siue partium fluidi neruei mi-

 nimarum

Digitized by Google

In ſpecie autem nunc, vt de anſis, laqueisque arteriarum, venarumque dicam, primo quidem, ſi ab intercoſtalis nerui reti carotico recedendum eſt, *meningeae arteriae* principis exemplum proſtat, quae paulo prius, quam ſubit cranium, inter ramos duos tertii rami quinti paris media intercipitur, hi vero rami porro ad durum neruum, cui tum inſeruntur, ſecundum oram inferioris maxillae emergunt, deinde *temporalis vena* inter ramos duri nerui, qui ad faciem transuerſi ante maſſeterem musculum exeunt, media continetur; ſed *arteria* profunda ceruicalis, a qua dura membrana ſpinalis medullae multo potiores habet ramos, ex arteria ſubclauia orta inter neruorum brachialium ſecedentes ſurculos manifeſte per anſam tranſit.

Multo

nimarum oſcillatorius, ſiue alius qualiscunque, adhuc non facile determinandus, ex illo certe inuolucrorum tenues pelliculas intumescere tantiſper, ſicque canales, quos fibrae nerueae ambiunt, ſtringere aliquantum. Formantur autem vt plurimum illi laquei e neruis bifidis, quos mediae traiiciunt arteriae, & ex his praeciſe putauerim explicandas eſſe ſingulares illas & notabiles adeo efficacias neruorum in artum ſpecialem, aut viscus vnum tantum ex animi affectu pendentes, vbi nihil e priori ſtatu emouentur reliquae corporis partes: tunc enim in peculiaribus etiam neruis affectis efficaciae potius quaerenda eſt ratio, quae cerebro magis toti aliis in caſibus inſidet, in quibus vniuerſum corpus patitur ſemel

&

Multo autem insignius est exemplum *vertebralis arteriae*, quae nimirum ab inferiore ceruicali ganglio, quod sub arteriae thyroideae curuatura retro, & paulo super subclauiam ductui thoracico jam ad finem properanti adiacet, circuli ad modum ambitur, dum pars huius ganglii dexterior ipsi adiacet arteriae, pars sinistrorsum, circa arteriam circumacta redit in ganglium, vnde venerat. *Lancisius* in dissert. de azyga vena statuit, eius truncum & ramos a neruis

& simul. Vti enim cerebrum, i. e. omnis illa pulpa cerebri, cerebelli & medullae oblongatae, quin & nascentis jam spinalis fons est & origo neruorum omnium: ita profecto, cum fiunt mutationes in toto corpore simul, veri magis est simile, hunc potius affici fontem, quam aliquem tantum neruum singularem, qui huic modo, vel illi singulari parti prospicit, quamuis etiam non diffitear, debere in priore quoque casu mutationem loco illi sensorii communis imprimi, qui fons est afficiendi singularis nerui; quin etiam, cum obseruemus, plurimos effectus animi pathematum imprimi potissimum sanguini, laqueosque illos nusquam frequentius occurrere, quam in vasis sanguineis: quid, amabo, vero accedit propius, quam quod ipsi hi laquei, cum stringuntur, tenduntur, leniter intumescunt, hac ipsa sua mutatione sanguinis fluxum tantisper modo coerceant, modo intendant & accelerent? adeoque ansis hujuscemodi magna ex parte certe debetur neruorum in arterias imperium illud, quod quidem oculis demonstrari potest, forsan etiam juxta ea, quae supra proposui,

neruis intercostalibus posse stringi, vt sanguine in musculis retento maior edi posset conatus. Porro *arteria subclauia* eleganti continetur ansa, quam duo rami formant, in quos neruus intercostalis, vel potius eius ganglion modo dictum diuiditur, minor eorum anterior, ante subclaviam arteriam ad interiora orientis mammariae descendit, retrorsumque flexus circa subclauiam arteriam in primum thoracicum ganglion se immittit, hoc autem ganglion oritur e maiore trunculo,

sui, ad effectum eius faciunt aliquid capsulae neruosae, vel, vt alias vocant, neruorum vaginae. Laqueorum horum exempla natura exhibet plurima, per corpus sparsa, & praecipue vasorum sanguineorum systema. Ita ex intercostali neruo, vel simplici, vel duplici, vti Generosus de Haller vidit, radice orto, varie fisso rete prouenit rubrum, semimucidum, innatum inuolucro carotidis internae, quod eam arteriam obnubit, per omnem viam, quam longam satis transpetrosi ossis canalem emetitur & alter nerui ramus plerumque supra eam arteriam, alter infra positus mediam eam continet, donec percurso jam osseo meatu in vnum iterum confluant truncum. Ab eodem intercostali neruo, eiusque principe ganglio ceruicali ad posteriorem carotidis internam faciem rami aliquot abeunt, & in ipsa diuisione, qua secedit ab interna externa, formant ganglium, huius autem ganglii rami & in carotidem arteriam descendunt, & lingualem atque temporalem sequuntur satis notabiles. Ita propius vtrimque trunculus a neruo intercostalis cardiaco sub arteria thyroidea, vbi caro-

Digitized by Google

culo, in quem idem ceruicale inferius ganglion producitur, retro subclauiam pergente arteriam.

Recurrentis nerui nimis notum est exemplum; is nimirum vtrimque a summo pleurae vertice reflexus, hinc ab azygae contactu inde secundum arteriosi ductus latus exterius ascendit retro aortae truncum in sinistro, retro magnam subclauiae radicem, & carotidis in latere dextro, & ascendit ad laryngem.

Aortae

carotidem attigit sinistram, vel paulo inferius, ab inferiori ceruicali ganglio, quod vertebrali assidet arteriae, ramus ad aortam vtrimque descendit, & in eius membranis euanescit. Maiores autem & magis noti sunt mirifici plexus neruosi a magno semilunari ganglio nati, tum iste, cuius nerui mesentericam comitantur arteriam, & porro ad intestina diuiduntur, tum alius, qui lienalem obnubit ramum arteriae coeliacae, sed minor, & qui dextrum hepaticum, venamque portarum sequitur, a plexu magno solari ortus vterque, & eius propaginibus, quae coeliacam amplectuntur arteriam, & insuper a ramo peculiari nerui splanchnici ad imas orto costas externo & diuerso ab altero longiore, diversumque assidens renali arteriae ganglion patiente, inferius illo magno, a ramis denique intercostalis trunci, alii porro rami huc faciunt, qui a ganglio semilunari proueniunt, iidemque circa renalem ludunt arteriam. Denique illi plurimi, qui sinistram mesocolicam obducunt arteriam, orti a ramis multis plexus vtriusque lateris renalis proxime descripti, retro venam cauam descendentibus, & ab intercostali trunco prope secundam

&

Digitized by Google

Aortae truncus descendens inter diaphragmatis appendices non vndique quidem, sed magna ex parte a magno illo plexu continetur, qui vtrinque a semilunari splanchnici nerui ganglio & a medio plexu ab vtroque hoc ouali ganglio nato componitur, idem vero ganglion *coeliacam* & *mesentericam arteriam* ita suis illaqueat propagi-

& tertiam lumborum vertebram tum a plexu magno semilunari ramis secundum duodenum descendentibus. Ex his ergo videntur mesentericarum arteriarum nerui miris modis suis innati vasis, numeroque valentes & magnitudine, haud parum posse in mutanda circulatione, lienales autem & hepatici medio se habere modo, vt neque aliquid posse negare liceat, neque plurimum tribuere iisdem; neruis vero, qui vnice arteriis assident magnis, vix quidquam tribuendum esse videtur, cum eorum neruorum impetus, si quis est, in omnes partes vicinas perinde distribuatur, & subiectam, aut lateri assidentem arteriam liberam, cedentemque debiliter urgeat. Ita carotis quidem a pare octauo, & magno intercostalis nerui ganglio parum patitur, &, si quid omnino in eam possunt nerui, fit ideo, quod & ante arteriam ramis suis & retro transeunt, adeoque ansam aliquam, licet imperfectiorem efficiunt, neque digitorum nerui, qui suas inter diuisiones ad digitos, tanquam sub furca transmittunt arterias, venasque illorum digitorum satis videntur ea coercere posse vasa, cum ansa sit anterius aperta, & vasa, si stringeret ea neruus, eo cedere possint; artuum summatim arteriae neruos habent comites, non autem efficaces in istis comprimendis.

Digitized by Google

paginibus, vt non alibi manifeſtius ſit neruorum in arterias imperium; obſeruatur etiam, ſubclaviam arteriam, quae nunc *axillaris* eſt, & arterias illas *tres*, quae prodeunt e pelue ad nates, penem & rectum inteſtinum per interualla plexus neruorum brachialium & iſchiadicorum tranſire.

Igitur nunc ex ipſa corporis ſtructura demonſtratum eſſe abunde arbitror, quod ita ſint implantati nerui partibus, quae ſub illa & poſt illam animae mutationem patiuntur, vt ex ea implantatione intelligi effectus in eas vlterior poſſit. (*c*)

Poſſem

(*c*) Iuuabit tamen, etiam propius nexum hunc oſtendere, atque hactenus dicta exemplis applicare quibusdam. Primo quidem generatim luce clarius eſt meridiana, cum ſupponimus neruum aliquem, qui mediam continet arteriam, praeter modum ſtringi, retineri ſimul vndam ſanguinis, morarique, eundemque, vbi cedit maiori niſui ab obſtaculo cordis, recurrere in nouam conſtrictionem elanguido corde, ita noua vi conſtringi arterias, maiore vi ſanguinem in ſubiectam partem pelli, ſecretiones, musculorumque motus alterno hoc cordis, neruiqne renixu augeri videmus, non aliter, ac vulgo notum eſt, in motu musculorum alternato, quem animalem vocant, alternas venarum compreſſiones & relaxationes ſanguinis circulum accelerare. Iam vero, ſi ponas, eundem neruum contentione paulo maiore perpetim ſtringere, renitique

Possem ex illis, quae hactenus enarraui, longam nectere vtilissimorum porismatum seriem; vereor autem, ne inter dicendum crescente dicendi materia justo sim longior, & sentio patientiam Vestram A. O. O. & D. longe Aestumatissimi, non posse non languere; vtinam veniam a Vobis impetrem, cum meditationis meae impetum secutus in abstrusorum phaenomenorum eruendis rationibus nimium forte coniecturis dedi! Dabitis tamen insuper, vt, cum hactenus de animae imperio non voluntario in neruos multa feci verba, nunc etiam copiosis illis affectibus imperium concedam, qui testes esse possint summae mentis submissionis, Obsequii, Vene-

tique cordi: facile hinc intelligis cordis palpitationem, contra insolitum nitentis obstaculum, vt sanguine per aortae truncum retrorsum pulso, liberet se; denique, si fuerit strictura validior, perfectam efficit sanguinis quietem, frigus animi deliquium. Ita &, si venas per neruorum transmissas laqueos, stringi fingas, liberis sociis arteriis, facile inde sequitur cruoris in eam partem congestio, hinc tumor & rubor. *Sunt* vero etiam casus vbi nerui hi relaxantur nimis, faciunt tum contraria prioribus, quod, vt rite intelligatur, aduertendum simul est ad motum tonicum ab omnibus receptum, in quo mediocritas roboris omnium humani corporis partium posita est suam nimirum quaeque arteria, vti sanguinis a corde adlabentis velocitas, ita etiam renixum habet, eum renixum praeter arteriosarum

Venerationis, quibus me non modo Sereniſſ. atque Potentiſſimo Patriae Patri, CAROLO Noſtro, verum etiam Ampliſſimo Senatui Academico multis obſtrictum percipio nominibus.

Itaque ad Te omnium primo Sereniſſime atque Potentiſſime CAROLE! conuerto me, quem, vbi vel nomino tantum, ſine ſummo pietatis & ſubmiſſiſſimorum affectuum de temporis praerogatiua inter ſe inuicem certantium in me imperio compellare non poſſum. Obſeruo enim in mente mea, dum gratiſſima reuoluit Gratiae Tuae inſignis ſpecimina, tantum beneficiorum concurſum, quem verbis exprimere non ego quidem, ſed ne facundiſſimus etiam poſſet Cicero:

rum membranarum robur neruos facere circumplicatos demonſtratu eſt facile, ſi ab effectu adſcendas ad cauſam, & ſphincterum etiam vniuerſae cutis, & omnium in corpore vaſorum exhalantium miras in terrore ac horripilatione ſtricturas, in ſudore a metu, aliisque in eo affectu turpioribus ſphincterum laxationibus remiſſiones conſiderauerimus pulſusque ſubitas in terrore iraque mutationes & alia vulgo nota phaenomena e neruorum vnice pendentia influxu nobis repraeſentauerimus. Minuatur ergo neruorum actio, diminuta liquidi a cerebro affluentis celeritate, ita manebit quaedam circulum obituro ſanguini vna motus cauſa, ſc. cordis impulſio, ſed altera deficiet, debilitata conſtrictione arteriarum, vtpote quibus neruorum vires deſunt; minuetur ergo circulatio, ſiſtentur in vaſis minimis humores, naſcetur diathe-

cero: Tu enim es, cui post Deum omnia debeo, Tuarum in terrarum sinu natus Tua vsus sui gratia, Tuo Tutamine, Aiacis clypeo maiore. Neque tantum mihi contigit in ciuium Tuorum communi numero esse, verum & ita felici, vt Almae huius Vniuersitatis Tuae, quam continuis perfundis gratiae Tuae riuis, fruerer per seriem annorum bene longam largissimis beneficiis, tanto quidem maioribus, quanto magis singularis illa Tua Gratia huius Ciues omnes maiorum, minorumque ordinum, ab aliis extra eam constitutis distinguit. Neque suffecit liberalitati Tuae admirabili, tantum effudisse in me bonorum cumulum, quin etiam addidisti proxime plane nouum

diathesis ad anasarcam, ad scirrhum, & minuentur subtiliores secretiones omnes, vt pari gradu crassiores augeri, aut non meabilia congeri oportet; adeoque omnibus ex his concludimus, in ira procul dubio neruorum motus augeri maxime, tum in desiderio validissimo, sed maxime venereo, aut vitae seruandae, denique in gaudio, quod non ad summum insperatum peruenit apicem, contraria prioribus patrant; & motus neruorum debilitant terror cum desperatione, metus qui chronicus terror est moeror ex amisso bono, vel praesente malo.

In casus autem eundo praesentes, si concipimus maximam ansam nerueam, quae intestinorum vasa magna mesenterica & coeliacam continet, constringi magnis & alternatim laxari, rationem habemus mechanicam, quare

nouum & singulare continuatae huius, an potius ex aggeratae celsissimae benignitatis testimonium, dum Professoris Dignitatem nupero mense clementissime in me contulisti. Quid autem Tibi, Celsissime Princeps! Quid Clementissime Patriae Pater! tenuis mea Musa pro tantis & amplissimis beneficiorum cumulis rependet, quod vel gratum tantum ostentet eum animum, qui tanto debetur Principi, tanto Euergetae? obruit beneficiorum copia cogitantem, elinguem reddit largissimae Gratiae plenitudo locuturum vltra!

Id vnicum est effugium, vt in tantis mentis adfectibus supremum in Coelis implorem Numen,

quare in ira secretio bilis augeatur, quae autem in metu alui solutio contingit, ea relaxatione vniuersali debetur non tam laqueorum neruosorum, quam potius inuisibilium sphincterulorum, qui vasculorum in intestina exhalantium diametros limitant: his enim remissius agentibus liquor spissior loco vaporis tenuis descendit, vnde aluus stimulatur, fluidaequae feces prodeunt. E laqueis vero illis magna stringere solitis abdominalia vasa, in tristibus autem adfectibus laxatis & inertibus haud obscure deduci possunt sanguinis circuli retardationes, appetitus deiectio, flatus & nauseae, coagula illa hypochondriacorum, & hepatis scirrhi, nec non lienis, pancreatis & mesenterii, ventriculique debilitates, quin etiam intestinorum ad egerendum segnities. A plexu renali conuulsiue stricto & perpetim deriuari possunt

men, velit insignia illa beneficia suis resarcire diuitiis, suisque latissime diffusis in vniuersam serenissimam Domum gratiae documentis, sicque tenuissimarum mearum virium debilitati succurrere.

Nuncupo itaque ardentissima, Serenissime atque Potentissime Patriae Pater! vota pro Tua, & Serenissimae Coniugis, inconcussa salute. Seruet Vos cum vniuersa serenissima Domo supremum illud in Coelis Numen ad Nestoreos usque annos in sanitate perfecta, omnique delectamentorum & prosperitatum affluxu! Tua, Clementissime Princeps! Deus fortunet consilia omnia, Tua singula fortunato

possunt subitae illae feminarum hystericarum ischuriae, a vi autem constrictionis paulo minore aquosae, pallentesque vrinae, Hypochondriacis etiam familiares, in illo casu arteriae nihil, in isto fere sola transmittunt ea, quae diminuti vasis diametrum superare possunt, tenuissima scilicet & aquea, non exclusis sphincteribus tubulorum Bellinianorum.

E nerui recurrentis spasmodicis constrictionibus impedito per maximos in corpore humano vasorum truncos circuitu explicare sic poterimus palpitationes, deliquia, & ipsas forte mortes repentinas e terrore, aliis tamen neruis, & ipso communi sensorio non prorsus exclusis. In pudoris effectibus maxime juuabit phaenomenorum explicationem repetere a laqueis illis, venam temporalem stringentibus, & aliis forte minus cognitis arti-

Digitized by Google

nato euentu beet coepta, Tuis annuat votis omnibus justissimis, Tuam ita foecundet gratiae plenam in ciues mentem, vt ab his nunquam aliter obserueris, quam eo affectu, qualem vel inuitis, (si quidem tales sub Tuo imperio esse possunt,) prolicit illa paterna Tua Celsissima Humanitas. Ita quidem ex omni parte beatum largiatur Tibi supremus Vniuersi Princeps regimen, nullis interruptum externorum, internorumue bellorum turbis, idque Tibi ad innumerabiles annorum series producat, vt Tuo sub vmbone laeta recubare Tuorum ciuium societas

artificiis, nam certe, quod videmus effectuum huius pathematis, moestitiae metusque peculiaris generis, id quidem constat potissimum in sanguinis a genis impedito reditu, quo stagnare in venis & maiora vasa implere cogitur.

Ex arteriae vertebralis coercentibus laqueis, & forte quoque illo, qui carotidem continet, debiliore quidem intelligi possunt rubores subiti, alternique pallores, nec non frigora hystericarum, iratorum & meticulosorum, prouti vel strictiores alterne nerui sanguinem in carotide accelerant, vel continenter comprimendo suppriment; e meningeae arteriae constringente laqueo diras illas hystericarum cephalias enodare tantisper licet; imperium denique intercostalis nerui, quod supra patuit, in arteriam subclauiam, miras illas dilucidat sanguinis retardationes a metu, quibus fit, vt saepissime nihil cruonis effluat e secta vena, qui tamen in valido affectu cum impetu prosilit arterioso.

Digitized by Google

cietas possit, & de summa prudentissimi & indulgentissimi Regiminis Tui efficacia totus resonet Orbis, vt in seros vsque annos resplendescat Illustrium Tuarum Virtutum Iubar, vt, quae nostram vitam sequuntur tempora, gestiendo glorientur de Imperio Tuo tanta gesto prudentia, vt eius fructus non possint non vel Posteros exhilarare, vt denique Ciues omnes inueniant jugis serenitatis, mentisque tranquillitatis materiam e gratia Clementissimi Patriae Patris per plurimos annos producto conceptam.

Verum etiam Vobis, Patres Conscripti, Academiae, totiusque Orbis Eruditi Lumina, publicas refero grates pro singulari non modo Patrocinio, quo me adhuc vestro in sinu fouistis, verum etiam, quo collatam mihi nunc a serenissimo Principe Medicinae Professoris dignitatem adeo non inuidistis, vt potius fauentissimis eam declaraueritis mihi labiis, & plus quam beneuolis confirmaueritis gratulationibus. Vtinam Vobis obseruantia, obsequio, veneratione gratum testificari animum possem eo gradu, quo debere me agnosco, persoluere nequeo. Deum interim orabo T. O. M. vt Vobis omnibus atque singulis ex omni parte benefaciat, vt omnia sua Vobis impertiatur emolumenta Gratiae, quibus & animi Vestri & corpora indigent, vt cum

vita

Digitized by Google

vita longaeua vlteriores Vobis infundat & conseruet vires, quibus adhuc amplissimum scientiarum campum tanto cum successu arastis, vt sic etiam porro profundae Vestrae meditationes & in orbem literatum & Patriam vberrimos emittant fructus, nouis fertiles seminibus doctrinarum, quae Deo placeant, & Serenissimo Principi, quaeque in totius Patriae, singulorumque ciuium, immo vero totius Orbis commoda radices agant nullis laedendas iniuriis, nulla consumendas vel temporum aerugine, vel falsorum dogmatum putrido corrumpendas miasmate.

O! quam laete sic florebit antiquissima haec Eberhardina! quam amoeno spectaculo virebunt artes & scientiae omnes! quam bene omnibus erit, qui operam illis nauant! quam hilari obuiam ibit alter alteri vultu, cum vterque beatissimae sub his conditionibus vitae in fronte jugiter explicata offeret testimonium!





IOH. WESLEY
GNOM. IN N. T.
EX
BENGELIANO GNOMONE
MAXIMAM PARTEM
IN
ANGLICVM IDIOMA
TRANSLATVS,

Sub tit. *Explanatory Notes upon the new Testament By Iohn Wesley, M. A. Late Fellow of Lincoln-College, Oxford the second Edition. London. Printed in the Year.* MDCCLVII. in 4. mai. 8. Alph. (*a*)

Multum valet eorum Theologorum authoritas, qui, cum Deum vereantur Servatoremque ament ipsi, omnem operam impendunt, vt alii etiam eodem Dei timore

(*a*) Quae & quanta huius Viri apud Methodistas anglos auctoritas sit, Lectores nostri ignorare non possunt. Variis scriptis, ex quo a *Whitefieldio* in doctrina de Praedestinatione & electione aliquod diuortium fecit, famam suam vltra mare in Germaniam quoque extendit. Pro-

Digitized by Google

re percellantur, & ad eundem Domini IEſu amorem alliciantur; & tamen hac in re neque ſuis ipſorum inſtinctibus, neque laetis aliorum ſucceſſibus abripiuntur, neque frigidis eorum, qui nil quidquam contra torrentem audendum eſſe putant, conſiliis detinentur, ſed ſtrenue & caute agunt, quidquid agunt, & propterea in genuinis & natiuis Sacrae Scripturae ſenſibus indagandis non minus laborant, quam in animabus lucrifaciendis; qua coniuncta opera id efficitur, vt tum abditos humanorum animorum receſſus non tam in rebus politicis, quam ſpiritu-

Prodierunt *ſermons on ſeueral occaſions by* Iohn Wesley. Vol. I. Lond. 1746. Vol. II. 1748. de quibus Krafftiana Bibliotheca: Es ſcheinet, daſs bey dieſen Hr. Wesley, (Fratrem enim Carolum Wesley corperatorem habet) ſich viel gutes findet, vnd daſs ſie viel gutes ſtiften können. Bibl- T. II. p. 664. & T. III. p. 534. In germanicam quoque linguam verſum legimus ſcriptum: Das Muſter eines wahren Chriſten in der Beſchreibung eines Methodiſten von Ioh. Wesley. Frankf. und Leipzig 1753. Notas vero Gnomonicas quae praecipuum huius Theologi opus conſtituunt, ac Bengeliano N. T. Gnomoni admodum honorificae ſunt, earumque recenſum deſiderari paſſim animaduerti; quapropter meletema hoc a Rev. Dno. Paſt. Orphanotroph. Stuttg. M. SEIZIO meo hortatu compoſitum inſerendum heic eſſe, vel propterea quoque duxi, vt ſpecimen recenſionum noſtrarum jam nunc aliquod habeant Lectores.

Digitized by Google

ritualibus, tum abyſſum mentis diuinae perſpectam habeant, qua re veri nominis Theologus non ſibi ſoli ſed aliis etiam ſapiens carere non poteſt. In his numerandum cenſemus Anglum vere Chriſtianum, ſolide doctum, multorum Dominum quaerentium Patrem in Chriſto & συνεργον αντιλεγομενον quidem, vt fieri amat, ſed tamen in multis a Spiritu Dei perſcriptis tabulis commendatiſſimum, Iohannem Wesley, M. A. Edidit is ante aliquot annos, idiomate Anglico, Nouum Teſtamentum, notasque illuſtrando illi inſeruientes ſubiunxit. Huius inſtituti rationem heic recenſere animus eſt, vt in plurium, quam quidem factum eſt hactenus, notitiam iſte liber veniat, ea ſpe, fore vt pie eruditis, *Antonii*, *Weismanni*, *Oporini*, *Bengelii* &c. ſimplicitatem doctam rite aeſtimantibus labor iſte Anglicus multo ſit gaudio. Secunda jam in Anglia lucem vidit editio. Summa *praefationis*, vbi de finibus ſuis conſiliique via author ipſe differit, haec eſt:

„Iam ante plures annos cupidinem inceſ„ſiſſe animo ipſius, omnibus eis, quae ipſi le„genti, cogitanti, cum aliis conuerſanti ad rem „facere viſa fuerint, adhibitis atque congeſtis, „talem adornare Noui Teſtamenti editionem, „quae feriis quidem, nec tamen literas edoctis

„homi-

„hominibus vsui esse posset ad intelligendum „DEi verbum; sed semper se abductum esse a suscipiendo eo negotio, cum perspiceret, ad „illud rite conficiendum, non solum plus „eruditionis, sed multo magis plus αἰσθήσεως „& sapientiae opus esse, quam quidem in „se deprehenderet; adeoque identidem missum fecisse hoc consilium, vel certe, cum „etiam atque etiam vrgeretur, apud animum „statuisse, tamdiu institutum istud reseruandum „esse, quam fieri posset, ita vt & opus illud „& vita authoris simul, si DEo ita placeret, ad finem perducerentur. Nouissime „de praemeditanda morte, & absoluendo, „quidquid eius sit, penso admonitum, & infirma quidem, sed tali tamen tentatum valetudine, quae a faciendis itineribus habendisque orationibus, non vero a legendo, scribendo & cogitando ipsum prohiberet, manum operi admouisse, & potius duxisse, aliquid facere, quam consilium istud fructuosum plane posthabere. Etiam atque etiam „demonstrat Author, non eruditorum, non „eorum qui vias Deii longo vsu perspectas „& notas habent, rationem se habuisse, sed „illiteratorum, DEi vero timentium & suam „salutem agentium commodis explicatius reddere voluisse Nouum Testamentum; propte-

Digitized by Google

„rea vſitatam in Anglia Verſionem niſi vbi
„momentum rei, id eſt, vſus ad capiendam
„eo melius mentem ſcriptorum ſacrorum id
„ſuaderet, non immutaſſe; idque eo minus,
„quia perſuaſum ſibi ipſi ſit, graue quid &
„venerabile prae ſe ferre, quidquid in ver-
„ſionibus iſtiusmodi antiquitatem redoleat,
„& quia ipſe indigne ferat, ea ſibi ſurripi
„verba, quibus in ſuo cum DEo commercio,
„& in admiſſis diuinis conſolationihus ſtimu-
„lisque a teneris inde ſit aſſuetus; Omnem
„porro ſe nauaſſe operam, ne Commentarius
„inobſcuraret vel abſorberet textum; ob
„dictum ſupra conſilium, Criticas ſe & curio-
„ſas quaeſtiones, linguarum eruditarum vſum,
„immo omnes loquendi modos & formulas
„apud plebem non vſitatas ſtudioſe cauiſſe,
„dubiis obuiam iuiſſe potius, quam vt ſcru-
„pulos, qui iniicerentur, recenſuerit, difficul-
„tates data opera ſaepe diſſimulaſſe; Pergit
„author, ſe in animo pridem habuiſſe, non-
„niſi actos a DEI ſpiritu Scriptores in con-
„ſilium adhibere, & ea tantum perſcribere,
„quae hac ratione digna inuenturus eſſet; cum
„primum vero in magnum iſtud Chriſtiani
„orbis lumen, Bengelium puta, inciderit,
„ſe mutaſſe mentem, & perſuaſum habuiſ-
„ſe, ſe, quod e re foret religionis, melius
„facere

„facere nihil poſſe, quam ſi vertendo in
„vernaculam Gnomoni eius Noui Teſtamenti
„operam daret; (*b*) hanc ob rem multas
„ex notis iſtius libri egregiis ad verbum
„verſas ſuo N. T. inſeruiſſe, omiſſis iis,
„quae rem criticam ſpectant, & medulla
„tamen appoſita; lectiones variantes, quas
„graui & firmo antiquitatis teſtimonio niti
„Bengelius comprobauerit, ſe textui, abeſſe
„juſſis ſcrupulis, intuliſſe; etiam in ſignan-
„dis textus interuallis morem Bengelii ſe eſſe
„ſecutum, introductos ſeculis quidem obſcu-
„rioribus, ſed jam receptos, capitum ver-
„ſuumque numeros in margine reponendo,
„ſpatiis maioribus minoribusue ſeriei textus
„magis minusue connexae attemperatis; id
„enim ad capiendam exactius ſententiam plus
„conducere, quam imperitis perſuaderi pos-
„ſit.

(*b*) Operae erit pretium, attendere ad modum, quo Gnomon N. T. ita captui plebis attemperari poſſit, vt & in eum redundet vſus charismatis Bengeliani; vel & ea penſitare loca, vbi ſubtilius, ſed reuera tamen a Bengelii ſententia diſcedere videtur hic tantus eius aeſtimator. Quapropter alia data occaſione, & vbi diſſentiat a Gnom. Beng. & vbi eum non ſatis aſſecutus fuiſſe videatur, pro ſcopo recenſionum noſtrarum ſingulis faſciculis addendarum, quod neceſſarium fuerit, vlterius exponemus.

Digitized by Google

„ſit. Laudat porro Heylinii, Guyſiii, Dod-
„dridgii labores, quos in rem ſuam con-
„verterit. Suam tandem teſtatur animam,
„nullam ſe lineam duxiſſe eo animo, vt in-
„dignae iſtae & exoſae humaniſſimo Salua-
„tori contentiones fouerentur. Ordinem ar-
„gumentorum tabellis Bengelianis cuiuis li-
„bro praefixis exhibuit, vt argumentis ſin-
„gulorum capitum lector facile carere poſſet.

„Sermonis emphatici, ex natiua linguae
„vi aeſtimandi, affectuum ſanctorum, nec
„non morum, των ηϑων ab aliis propemo-
„dum neglectorum, & tamen per N. T. mi-
„rabiliter diffuſorum, praeferente lucem
„Bengelio, rationem habere ſuo etiam
„inſtituto duxit conueniens.



Digitized by Google

HENR. GVIL. CLEMMII

Prof. P. O. & Ecclesiastae Stuttg.

NOVAE AMOENITATES LITERARIAE.

Nota leges quaedam, sed lima rasa recenti,
Pars noua maior erit — —



FASCICVLVS SECVNDVS.

STVTGARDIAE
SVMTIBVS IOH. BENED. MEZLE[illegible]
MDCCLXII.

V

Digitized by Google

Digitized by Google



SYLLABVS THEMATVM.



V.


Digitized by Google



PRO-

Digitized by Google



PROGRAMMA
DE
QVIBVSDAM
SAPIENTIAE MORBIS,
RELIGIONI ET SALVTI
ANIMORVM NOXIIS,

AVTORE

Ieremia Friderico Reussio,

S. S. Theol. Doct. & Prof. Primario, Vniuersitatis Tubing. Cancellario & Abbate Monasterii Laureacensis.

Redit, Ciues desideratissimi! quae immensa DEI benignitas est, Festum Christi, Domini & Saluatoris nostri, natalicium. Innumerabilibus per quatuor annorum millia Sanctorum, Prophetarum, Regum maximorum votis & suspiriis expetitus fuit Dies ille, cuius memoria nunc ab iisdem illis in aula coelesti, cum sum-

summis Angelorum omnium ordinibus, & ab omnibus, qui in toto orbe terrarum Auctorem salutis suae norunt, reuerentissime colitur. Ad huius diei festiuitatem, ad quam omnes Caesarum omnium pompae & triumphi leues ineptiae sunt & nugae inanes, quo animo accedere debeatis, Cives aestumatissimi! vos ipsi iudicate. Quum Vespasianus Imp. Romam ingrederetur, si *Iosephum* (*a*) audis, *tota Ciuitas Templi instar erat*, sertis & odoribus plena. Illius vero diei, quem Saluatoris nostri gloriosissimi aduentus nobilitauit, quem saluberrimus Filii DEI in gentem nostram ingressus, quem DEI omnipotentis ἐπιφάνεια non humano tantum generi, sed ipsis etiam Angelis coelisque omnibus venerabilem fecit, dignitati quid consentaneum sit, non possunt non videre omnes, quibus *Mysterii* ipsius adorandi sublimitatem fructusque diuinissimos agnoscere datum est diuinitus. Parum est, in aedibus sacris laudibus celebrari Immanuelis dulcissimi infinita in nos merita; Ciuitas tota, vniversus christianus orbis, Templi instar esse debebat, & ardere gratiarum actionibus, votis, precibus, & omnibus sanctissimis quibusque integerrimae pietatis exercitiis.

Ast o tempora! o mores! quam ingens est eorum multitudo, quorum pectora glaciale fri-

gus

(a) Lib. VII. de Bello Iud. c. 4.

Digitized by Google

gus obſidet? & tantum abeſt, vt ex radiis, quos Sol iuſtitiae vniuerſo orbi terrarum exortus latiſſime ſpargit, ignem aliquem diuinum flammarumque aliquid concipiant, vt, quo efficacius diuina Euangelii luce percelluntur, tanto magis obrigeſcere videantur. O vanas hominum mentes & cœleſtium inanes! Terrenarum rerum curis ita immerſa eſt magna pars mortalium, vt animum eorum, vitiorum ſordibus obtectum, ſeria rerum diuinarum cogitatio ſubire vix vlla poſſit. Is eſt haud paucorum, neque ex infima tantum hominum faece, ſtupor, ea ruditas, vt vix voces & ſyllabas, quibus auguſtiſſima religionis noſtrae myſteria efferri ſolent, memoria teneant, doctrinarum ipſarum diuiniſſimarum veram indolem, & vim fructumque incomparabilem, ipſamque rerum maieſtatem nec rite perceperint nec pie meditati ſint vnquam. Neque vero ex ſtupore tantum & prauarum cupiditatum furore illa animarum pernicies venit; ſed quidam etiam eſt, vt Plinius appellat, (*b*) *ſapientiae morbus*, non minus exitialis ille animis hominum atque ſaluti.

Modeſtiſſimus *Melanchthon*, rerumque quae in orbe erudito tum gerebantur, ſcientiſſimus, ſua iam aetate (*c*) conqueſtus eſt, multo plures eſſe,

(*b*) vid. S. Ven. ERNESTI Vindicias Arbitrii diuini. p. 3. ſqq.
(*c*) In Epiſtola ad Jo. Oecolampadium, de Coena Domini.

esse, quam putentur, qui tantum ea amplectantur in religione, quae ingeniis eruere ac comprehendere potuerint. Nostris vero temporibus quam late manauerit illa animorum contagio, mille loquuntur infames sciolorum libelli. Repudiant salutem diuinitus ipsis oblatam leuissimi & ne mediocriter quidem docti homunciones, & doctrinas saluberrimas, quae solae tam divinis perfectionibus, quam humanae indigentiae exactissime congruunt, vel eam ob causam indignissime vilipendunt, quod non ex humanis ratiocinationibus, sed ex intimis Divinae mentis arcanis depromtae sunt. Et quotidiana experientia abunde docet, permultos paucarum rerum, qua sibi eminere videntur, scientia, aut pruritu magis intelligendi & demonstrandi, ita peruerti & inflari, vt perfectionibus suis minus consentaneum esse existiment, praeter ea, quae vel experimentis comperta habeant, vel scientia comprehendere possint, assensu suo & fide dignari quidquam. Scilicet quanta sit, ex illa prauitate, quae natura ei insidet & consuetudine inueterascit, humanae mentis arrogantia, quam ferox & insolens αὐθάδεια, nunquam magis, quam in rebus diuinis cernitur. Inde est, quod minuta sua eruditione qualibet ita se iactitent haud pauci passim, vt, postea quam leuis aliqua consuetudo cum literis eis intercessit, animum volun-

tatem-

tatemque prodere haud erubeſcant a verbo DEI, cum ſuis vel ſpeculationibus vel ſomniis haud ſatis congruere viſo, & a *Myſteriis* maxime, alienam.

In illo hominum genere qui ferociore ſunt ingenio, cynico more in riſum iocumque vertunt Myſteria ſacratiſſima, nec religioni ſibi ducunt, ipſius etiam modeſtiae & humanitatis leges furioſe obterere. Sed iſtiusmodi heroum intemperies, quum Graeculorum inſipientis ſapientiae conſultorum audaciam imitetur, vt ſapientiſſimum DEI de Salute noſtra decretum (*d*) μωρία illis ſit, retundi alio reſponſo rectius non poteſt, quam illo Paulino: (*e*) τὸ μωρὸν τῦ Θεῦ σοφώτερον (omni ſapientia) τῶν ἀνθρώπων ἐςί.

Sunt alii, quibus ingenium magis populare eſt & πατιτικώτερον, qui illos gentilium philoſophos imitari malunt, Platonem, Ciceronem aliosque, qui, etſi aliud ipſi animo ſentirent, publice tamen deos patrios & recepta ſacra ſequenda eſſe cenſebant; aut Alexandrum M. illosque poſt eum Syriae & Aegypti Reges, qui quamuis a religione & fide Iudaeorum alieni eſſent, DEO tamen ipſorum cultum ſubinde aliquem praeſtare & publica in Templo Hieroſolymitano ſacrificia facere non dedignati ſunt. Hi vero,

(*d*) 1 Cor. I, 23. (*e*) 1 Cor. I, 25.

Digitized by Google

vero, siue metu siue reuerentia aliqua legum humanarum ducantur, vt publice honorem aliquem publicis sacris & doctrinae ab Ecclesia receptae habeant, cum interno animi sui sensu vel ipsum Verbum DEI vel Mysteria certe oderint & auersentur, hi, inquam, videbunt aliquando & sentient, quam grata DEO fuerit illa hypocrisis, & num, vbi ad Tribunal Eius venerint, sacrilegae mentis iniquitatem excusabilem reddere possit qualiscunque illa oris auriumque verecundia.

Quam magnifice de Mysteriis augustissimis sentiant alii quidam, ex eo intelligi potest, quod coeca & carbonaria fide, vsitato plebeiis ingeniis more, amplecti illa & ore profiteri malint, quam peruestigare rationes, quibus Veritas illorum comprobari legitime possit. Ad Catonis illud,

Mitte arcana DEI, coelumque inquirere, quid sit,
Cum sis mortalis, quae sunt mortalia, cura,

tanquam ad saxum, & tanquam ad oraculum, adhaerescunt, &, pro pietate scilicet sua, tenebras luci praeferunt, augurantes improbe, seuerius examen coelestes doctrinas sustinere non posse. Vt vecors & ignauum, ita & malignitatis plenum est illud eruditorum, imperitorum rectius dixero, vulgus. Veritas, vt scitissime *Tertullianus* inquit, nihil erubescit, nisi solummodo abscondi. Contra Mysteria nostra, vt in Sacro Codice

Codice traduntur, (*f*) „vmbra quidem & imago rationis pugnare aliquando poteſt, Ratio „ipſa non poteſt; & illas vmbras leui momento „lux ipſa diſpellit. Aurea eſt doctrina coeleſtis, „non deaurata. Quo magis ſcarificatur & retegitur, hoc pulchrior & praeſtantior exiſtit.

Sed maxima forte inter eos, quos ingenii ſui fiducia corrumpit & transverſos agit, illorum multitudo eſt, (ne alia eiusmodi hominum genera iam perſequamur) qui eam maxime ob cauſam myſteriorum vel notitia vel fide opus ſibi non eſſe arbitrantur, quod ſibi perſuadent, ſine illis probos atque honeſtos, immo pios ſatis, eſſe ſe poſſe; in vna virtute, quam Ratio ſatis ſuperque doceat, poſita eſſe omnia; ſi quid veri inſit in doctrinis illis abſtruſioribus, & ad colendum Deum vtile, (*g*) tale tamen id eſſe, quo ſuperſedere facile & absque vllo ſalutis periculo poſſint, qui ratione valent, quum diſciplina morum religionis partes neceſſariae omnes contineantur. Horum morbus, ſi bona fide agerent, ſi

(*f*) LVDOVICVS VIVES, de Verit. Fidei Lib. I.

(*g*) On diſtingue ſeulement l'Eſſentiel de l'acceſſoire, ait venenatus Auctor Epiſtolarum ſur la Religion eſſentielle a l'Homme. Lettr. XV. confutatus, in egregio libro: Defenſe du chriſtianisme, ou Preſervatif contre les Lettres ſur la Rel. Eſſent. &c. par *Fr. de Roches*, T. II. p. 32. ſqq.

Digitized by Google

si sincerus in illis esset verae Virtutis & Pietatis amor, si cum Ratione, sed minus arrogante & proterua, intimos Conscientiae suae sensus fideliter in consilium adhiberent, medela afferri facile posset. Omnis eorum error, qui latissime omnia vastans iniquissimum illum Mysteriorum, & Ἐνανθρωπήσεως maxime, contemtum parit, ab *vnius perfectionis* diuinae (in ea autem summa ipsa DEI & eminentissima Maiestas posita est) ignoratione pendet. Vnam illam DEI perfectionem (b) nullus vnquam, quem vel Graecia tulit vel Roma vidit, philosophus cognitam habuit atque perspectam. Vnam illam (sed & propter vnam illam DEum) odit & auersatur peccator. Cogitare homo, peccatorum & vitiorum suorum sibi conscius, absque vlla animi sui offensione potest, immo credere & suo more laetari potest, DEum esse Ens a se, independens, aeternum, beatissimum, sibi sufficiens, immutabile, gubernatorem mundi, Spiritum omniscium, vbique prae-

(b) At hoc quidem *commune est omnium philosophorum*, nunquam nec irasci Deum, nec nocere. *Cicero*, de Offic. L. II. c. 28. Errat, si quis putat, Deos nocere velle: Non possunt. Nec accipere iniuriam queunt, nec facere; laedere enim laedique coniunctum est. Summa illa ac pulcherrima omnium natura, quos periculo exemit, nec periculosos quidem fecit. *Seneca* Epist. 95.

Digitized by Google

praeſentem, potentiſſimum, ſapientiſſimum, benigniſſimum; haec, inquam, cogitare de DEO, credere & amplecti poteſt omnia: vna (*i*) *Sanctitas* eſt, quam auerſatur, horret, fugit, celat, negat & impugnat peccator. Hanc, vt cum iuſtitia punitiua incommutabili & ſumma intime & nexu neceſſario atque indiſſolubili coniuncta eſt, (*k*) conſcientiae ſenſus magis, quam languida & iners ratiocinandi facultas, docet; vim vero eius & indolem veram atque integram ſola Scriptura S. recte docet, omniumque animis, malitioſe & ſubdole non obluctantibus, efficaciſſime ipſisque etiam conſcientiae ſenſibus intimis & rectae Rationis principiis conuenientiſſime inſinuat. Hanc vnam DEI perfectionem, ſine qua ne DEus quidem eſſet, ſi perdiſcere recte, hanc ſi ſobria mente contueri, & ſubmiſſe expendere atque ad animum ſuum reuocare vellent, qui ad veram cum Numine ſanctiſſimo & Iudice iuſtiſſimo communionem (in ea vna autem omnis vera animae beatitudo poſita eſt,) & nunc (dum violatae Maieſtatis diuinae crimen ipſis incumbit) conſequendam, & aeternum retinendam, per ſe ipſos, ſine vere DIVINI Redemtoris & Media-

(*i*) Conf. quae hanc in rem de philoſophia graecorum VITRINGA diſſerit in Obſeruat. Sacr. T. I. p. 667. ſqq.

(*k*) Rom. I, 32. II, 15.

Digitized by Google

Mediatoris, qualis per Euangelium innumeris & miraculis & vaticiniis & Spiritus S. donis atque operationibus perfectissime confirmatum nobis praedicatur & offertur, ope & beneficiis, satis probitatis, iustitiae, & pietatis habere se posse opinantur, non possent non, scio, repente vanitatem illam suam, arrogantiam, temeritatem, insaniam & ingratissimae mentis sordes toto animo detestari. Viderent, arbitror, atque intelligerent, in vno hoc Mysterio perfectissimum esse, in salute reparanda & conferenda peccatoribus, & omni modo summum, qualem diuinarum perfectionum omnium infinitudo exigit, Sanctitatis ac Iustitiae diuinae & Bonitatis ac Gratiae consensum; & sine tali Mediatore, in quo intima sit humanae naturae cum diuina (*l*) coniunctio & aeterna vnio, non esse posse aditum peccatori ad immensam illam & Gratiam & Gloriam, (*m*) quam Euangelium, DEO dignissimum, promittit. Perspicerent tandem, in vno hoc Incarnationis & Redemtionis Mysterio vera & solidissima verae & salutaris in DEum fidei, amoris, spei, omnisque adeo pietatis DEO vere honorificae contineri, eo vno motiua ad persuadendum

(*l*) Ioh. I, 1-14. Hebr. II, 14. 1 Tim. III, 16. Col. II. 9.

(*m*) 1 Pet. V, 10. 1 Thess. II, 12. 1 Ioh. III, 2. Rom. VIII, 17. Phil. III, 21.

Digitized by Google

dum homini verae ſanctimoniae ſtudium omnium puriſſima & efficaciſſima comprehendi, ex illo vno auxilium quoque Gratiae ſufficiens, viresque illas ſpirituales & diuinas, quibus deprauatiſſimae naturae humanae ad recte colendum DEum opus eſt, pendere, atque ideo rectiſſime etiam & ſapientiſſime Myſterium hoc a Paulo, (*n*) ita vt omnem veram pietatem cultumque DEO probatum ad id adſtringeret, appellatum eſſe TO' THˆΣ ἐυσεβέιας μυςήριον. Atque haec omnia, quae breuiter & extremis tantum, quod aiunt, digitis attigimus, vtinam ii expenderent & ſcrutarentur ſolicitius, qui probi & pietatis amantes videri volunt ſine fide! redirent, arbitror, ad ſaniorem mentem, intelligerentque, cum contemtu Myſteriorum, & illius maxime, quod reliquorum omnium fundamentum & robur & firmamentum eſt, veram Deoque probatam pietatem non poſſe conſiſtere.

Eſt vero adhuc alius quidam Sapientiae morbus, cuius contagionem fugere debent, quibus ſua ſalus curae cordique eſt & ſacrorum Oraculorum, ex quibus omnis vera & ſalutaris diuinorum Myſteriorum cognitio petenda eſt, honos. Dulce eſt, & magni ad fidem momenti, cognitum probe exploratumque habere admirabilem,

(*n*) 1 Tim. III, 16.

bilem, qui ne cogitari quidem sine Θεοπνευςία potest, Prophetarum omnium cum diuina Apostolorum doctrina consensum. Sed fuerunt nullo non tempore, qui Saluatori nostro nobisque grauissima quaeque & eminentissima diuinorum illorum Legatorum Testimonia eripere conati sunt. Ipsa eruditione sua ad lucem propheticam extinguendam, & ad ipsas etiam primae magnitudinis stellas obscurandas abusi sunt. Eminet (vt vno exemplo euidentissimo id demonstremus) inter illa, quibus de Diuinitate Saluatoris testatus est Spiritus DEI, illud Esaiae oraculum, c. IX, 6. vbi & DEus fortis & *Pater aeternitatis* appellatur Messias. Perfectiones & ἀξιώματα haec, cum aliis, quae ibidem commemorantur, soli vero & summo DEO tribui posse, ita euidens est, vt ne Iudaeorum quidem Magistri ea in hominem vllum transferre ausi sint. Sed Grotium audi, vastissimae eruditionis & ingenii Virum, & obstupesces. Cauillatorem eum agere dixeris hoc loco, non interpretem. Hiskiae vt accommodare oraculum illud illustrissimum possit, Patrem seculi esse, inquit, qui multos post se relicturus sit posteros & in longum tempus. Ita futilis est haec excellentissimi & luculentissimi Oraculi deprauatio, vt documento esse possit, in quas ineptias detrudere vel doctissimos & acerrimi ingenii Viros possit non modo proteruus

Digitized by Google

ternus Myſteriorum contemtus, ſed praepoſtera quoque in oraculis prophetarum explicandis ſublimiorum ſenſuum fuga.

Sed ſordes quidem iſtas ab Oraculo iſto pulcherrimo, quod ſua ipſius luce vmbras & caliginem iſtam omnem diſpellit, abſtergere, facile eſt. Verum illius ſenſum, plenam vim, fructumque ampliſſimum, ſolenni Oratione facundiſſime exponet *Vir Summe Reuerendus & Ampliſſimus Dn. IOHANNES FRIDERICVS COTTA, S. Theol. D. & Prof. Publ. Ord. longe celeberrimus, Ducalis Seminarii Theol. Superattendens Grauiſſimus, & Eccleſiae Decanus meritiſſimus, Fautor & Collega noſter Venerandus.* Dicet enim proximo ante Feſtum Chriſti Natalicium die hora nona antemeridiana, in Academiae noſtrae Senaculo, *de Chriſto infante patre aeternitatis* ad Eſ. IX, 6.


Vos cariſſimi Ciues, ſaluti veſtrae, quaeſumus, conſulite. Myſterium illud & ſalutis & pietatis, quod totius religionis noſtrae fundamentum, & vnus animarum iuſto Sanctitatis & iuſtitiae diuinae ſenſu affectarum portus eſt, firma & inconcuſſa fide tenete. Audite DEum; & contemnite vana inique ratiocinantium ſomnia. Confirmate animum dictis Prophetarum & Apoſtolorum, quae plana ſunt & perſpicua, ſibique conſtant omni modo, ſi non deprauentur vel prauis cauillationibus vel interpretationibus ineptis. Vt quondam lex

caſtren-

Digitized by Google

castrensis ignominia notabat, non eum, qui gladium, sed qui clypeum abiecisset: ita vos, si ferire non potestis hostes, in omni literarum studio id potissimum curate, vt praesidia vobis, non humana quidem, sed diuina, ne desint, quibus vestram tueamini fidem. Fidem vero vestram testamini animi & vitae sanctitate. Absit a Vobis omnibus & omni tempore & his maxime diebus festis, quicquid profanum est & Saluatori Optimo contumeliosum. Aurea *Ioh. Pici Mirandulae Comitis* verba intimis animi vestri medullis infixa sunto: „Insanum est Euangelio non credere, sed longe „maior insania, si de veritate Euangelii non dubites, viuere tamen, quasi de eius falsitate non „dubitares.„ Recte sapientibus vberrimam DEI apprecamur Gratiam!

Tandem vt Panegyrin illam, qua publicam Festi pietatem pridie eius auspicabitur Alma nostra Eberhardina, *Magnificentissimus Dominus Rector, Princeps Serenissimus*, & omnes Academiae nostrae Proceres, Fautores, ac Ciues praesentia sua illustrare dignentur & condecorare velint, est quod submisse, obsequiose, amanter rogamus.



DIS-



DISSERTATIO DE METHODO THEOLOGIAM DISCENDI (o)

AVTORE

Henr. Guil. Clemm,

M. A. Math. & Philos. Nat. Prof. P. O. & Ecclesiaste Stuttgardiano.

Varii iam mea aliqua accedente opera in lucem publicam prodierunt libri, etiam Theologici, scopo, quem spectabam, caeteroquin conformes, non tamen acroamatici illi & ita comparati, vt desideriis eorum, qui vel Systema, vel iustum aliquod compendium abs me expectarent, plane satisfacerent. Animum igitur vel tandem ad tale scriptionis genus eo lubentius applicui, quo minus vel expectationi Lectorum vel & consiliis Superiorum deesse mihi licuit. Qua ergo methodo, quo scopo, quibus Lecto-

(o) Dissertationem speciminis loco heic inserimus, vt, qua methodo systema germanicum, cuius quarta iam pars prelo subiecta est, suo tempore in compendium lat. redacturi simus, lectores intelligant.

Digitized by Google

Lectoribus scripserim, & quale hoc scriptum esse & haberi ab omnibus velim, inprimis necessarium est, vt studiose exponam, ne forte, quae vel subtilius, vel eruditius vel & copiosius, quam alias consueui, disputata videantur, eos inprimis ex nostris hominibus suspensos vel dubios habeant, qui meis aliquando legendis pleniorem se suam cognitionem atque expeditiorem efficere posse vel & effecisse iam arbitrati, ad difficiliora nunc sibique imperuia loca ex plana illa & regia quasi via seductum vel certe reuocatum iri suspicari possent.

Compendium, idque Theologiam nostrae aetatis Christianam complexum, spinosis, dubiis, vexatis atque minus expeditis quaestionibus carere prorsus eo minus potest, quo plures sunt sensus, qui post tot seculorum decursus christiana etiam capita vel diuiserunt, vel certe ἰδίας ἐπιλύσεως & ἑρμηνείας studiosissima effecerunt. Has igitur silentio praeterire vti multi ex eruditis nefas esse duxerint, ita & alii lectores mei fas certe esse non dicent. Veram enim, puram, natiuam religionis indolem, nisi quid ei impuritatis ex variis variorum hominum alliterationibus accesserit, simul exponam, distincte ac perspicue doceri posse nemo facile existimabit. Necessitatem igitur, quae mihi imposita est, intelligent

Digitized by Google

ligent eruditi, caeteri vero lectores, quibus germanico insuper Systemate satisfactum iri spero, excusabunt certe vel rati habebunt. Accedit, quod hac ipsa, quam scripsi, dissertatione praeliminari, lectoribus etiam non exercitatis viam aliquam praeiuerim, quam nituri, si quid asperi vel salebrosi etiam offenderint, id omne facili tamen negotio superabunt. *Dicam vero primum de Ordine, deinceps de Subsidiis, ac tandem de scopo Theologiae Christianae;* ex quibus sponte sua conficietur id, quod quaerimus, quodque primo loco ponendum erat, formandi & efficiendi Theologi non simulacrum, sed verum aliquod exemplar, a bonis omnibus seruandum illud atque exprimendum.

Ordo, vel methodus, quam in exponenda veritate sequimur, historicam aliquam sui considerationem eamque non iniucundam, exposcit. Cuius quidem periculum facturi & a primis Ecclesiae Christianae incunabulis Theologiae fata repetituri, methodum, sacra dogmata tradendi, inprimis fuisse triplicem facile largiemur. Aliam enim primitiua, aliam, quae mediae erat aetatis, aliam denique recentior & ab erroribus purgata in praeceptionibus suis adhibuit ecclesia. Primitiuam, quaeque ad apostolicam methodum propius accessit, puram, simplicem, natiuam, spiritualem atque ad pietatis exercitium quam maxi-

maxime accommodatam, licet in quibusdam doctrinae partibus, quod temporum illorum ingenio tribuendum est, non satis accuratam, comtam, praecisam, exasciatam, circumspectam, atque ad grammaticas textus sacri praeceptiones exactam (*a*) ii dicent, qui post Apostolorum scripta,

(*a*) Qui historiam ecclesiasticam penitius norunt, Patribus magnam deberi laudem fatentur. Scripserunt, vti scribere tum temporis positum in more erat. Immo mirum potius videri nobis debet, quod tantum boni scriptis eorum insit, cum ex mente B. WEISSMANNI defectus vel certe diminutio auctoritatis & virtutis Apostolicae, & crisis illorum temporum, quibus omnia se agitabant ingenia, bona, mala, mixta, & penuria exemplarium N. T. quae nondum vbique diuulgata erant, ac praeterea ob persecutionis metum studiosissime occultabantur, & feces tam Gentilismi, quam Iudaismi adhuc in Christianis quoque residuae, & inualescens sapientia falsa, quae, quicquid boni ex aetate Apostolica reliquum erat, cum humanis opinionibus miscuit atque confudit, & persecutiones, quibus ii inprimis petebantur, qui inter Christianos & famam & rem eruditionis consecuti erant, & haereticorum denique molimina, magnam subinde speciem prae se ferentia, ea, quae nos hodie faciliora putamus, difficillima ipsis reddiderint studia. Neque tamen si a linguarum peritia discesseris, quidquam reprehensione in iis dignum reperias; accedit, quod ipse hic defectus per dona Spiritus extraordinaria, eaque passim adhuc residua abunde compensetur, quam materiam suo loco copiosius exponemus.

Digitized by Google

scripta, inter quae Epistola ad Romanos data iustum aliquod doctrinae coelestis Compendium exhibet, Patrum, quae exstant, Bibliothecas accuratius euoluent. In illis enim praeter Symbola & Canones siue regulas fidei, Isagogae elementares ab *Herma* (*b*) collectae, Catecheses *Dionysii* Corinthii, Hypotyposes *Clementis Alexandrini*, Institutiones *Theophili* graece, *Lactantii* autem latine scriptae, Principia vel περι Αρχων *Origenis*, Enchiridion denique *Augustini*, hoc est, Compendia Theologiae Christianae siue deperdita illa, atque ex inscriptione sola dignoscenda, siue integra adhuc seruata exstant, eaque ita comparata, vt iustum eis pretium ab aequis rerum aestimatoribus, quique hos patres illis, non vero nostris, temporibus, magnos & eruditos Theologos fuisse intelligunt, citra omnem controuersiam statui & possit & debeat. (*c*)

Secuta

(*b*) Hunc librum apud latinos iam suo tempore paene ignotum fuisse Hieronymus scribit. Quapropter nemo putet, illud solum, quod hodie sub Hermae nomine circumfertur, exemplar, procul dubio corruptum, a nobis innui. Conf. systema nostrum Germ. P. I. §. 6-10. & Praef. CHEMNITII ad locos MELANCHTHONIS.

(*c*) Pleniorem patrum historiam & inprimis Compendiorum, quae ab iis scripta exstant, notitiam vid. in Praef. ad locos MELANCHTHONIS de vsu & vtilitate Locorum Theologicorum.

Digitized by Google

Secuta est post Augustinum altera aetas, ieiuna illa ac spiritu tantum non prorsus destituta. Dici enim vix potest, quantum trecentorum annorum, quod Augustinum inter & Iohannem Damascenum interiectum est, spatio doctrinae sanctioris forma a primitiua illa puritate ac simplicitate deflexerit. Infructuosis nimirum, vanis, perplexis, aliquando etiam monstri quid alentibus, quaestionibus refertum, ab iis vero, quae ad vitae spiritualis ideam facere possent, doctrinis, vacuum systema concinnauit Vir caetera non indoctus *Ioh. Damascenus*, qui (*d*) a. 730. de orthodoxa fide edidit compendium, in quo praeterea vel rarior, vt incongrua, vel plane nulla scripturarum allegatio, & phrasium biblicarum vel detorsio vel ignorantia ab iis reprehendi solet, qui rerum gnari ac periti sunt. Omnes vero

(*d*) Magna certe pro conditione illius temporis Philosophiae & Matheseos cognitione imbutus ex aula Califae Saracenici ad S. Sabae Laurum profugus, otium sacrum ad peripateticam philosophiam, quae inter Saracenos tum floruit, ita transtulit, vt theologiam quoque habitu philosophico indueret, ob hanc causam inter praecursores Scholasticorum numeratus. Ad opus vero Theologicum & iudicium, & subsidia & gratiae dona sibi defuisse mira sua superstitione satis superque prodidit. Ita FABRICIVS Bibl. Graec. Vol. II. p. 757. & Cel. BRVKERVS Hist. Philos. Per. II. Part. II. lib. II. c. I. §. 3.

Digitized by Google

vero limites migrarunt, qui altero & tertio post Damascenum seculo latinam inprimis ecclesiam summularia, sententiaria, scholastica ac peregrina sua Theologia vsque adeo infucarunt & incrustarunt, vt, quod mirabile est dictu, sacra scriptura egregie carere possent sacrae scripturae Doctores; cum ad summum, si quid probandum esset, ex dictis & sententiis patrum id probarent; quae etiam consuetudo *Catenae patrum* originem videtur fecisse. Talem vero faciem Reip. Christianae induerunt, *Gratianus* in practica Theologia, atque in Theoretica *Petrus Lombardus*, ipsi illi homines, qui barbara sua latinitate in nostrum adhuc aeuum tantum consecuti sunt imperium, vt in Theologorum numerum, nisi qui barbaras illorum voces, phrases, & sententias intelligat & adhibeat quoque, vel aegre vel plane non admittatur.

Ruptis vinculis & excusso puluere scholastico, sub haut poenitendo totius Germaniae Magistro in libertatem asseri, inque eam formam refingi coepit Theologia, quam saeculis ab aetate Apostolica proximis non prae se tulit, sed vere habuit. Quoniam vero cum hominibus scholasticis, siue confutandis illis, siue tolerandis certe

(e) de Scholasticorum nomine, Origine & fatis solidissime differentem vide Cel. BRVCKERVM l. c. C. III. tot.

certe, colloquendum, transigendum, aliquando etiam pugnandum erat, lingua eorum eo minus debuit dediſci, quo maius a logomachiis metuendum fuiſſet periculum; quod quale, quantumque ſit, ii norunt, qui plurimarum litium remedia a verborum ſignificationibus repetenda eſſe praecipiunt. Recte igitur fecit *Melanchthon*, quod locos ſuos Theologicos, qui primum noſtrae Eccleſiae Compendium dici poſſunt, in ea ſcripſerit lingua, quae & a Scholaſticis & ab iis poterat intelligi, quibus puriora Sacrae Scripturae dogmata in iuſtum ordinem redacta & videre & legere optabile erat. Atque haec ipſa conſuetudo noſtra adhuc aetate non tantum in more poſita ſed etiam perneceſſaria eſt. (*f*)

Tres igitur Theologiae formas, puram vnam, & ſcripturariam, ſcholaſticam alteram ac tertiam ex vtraque mixtam habemus; quarum, quae praeſtantior, quae vtilior, quae optabilior, & homine Chriſtiano dignior ſit, facile eſt iudicatu; mixtam

(*f*) Licet enim poſteros noſtros longe plenior cognitionis menſura maneat, ita tamen ſcribendum nobis & elaborandum eſt, vt hi aliquando maiores ſuos, licet minutos, veros tamen, Theologos fuiſſe ſentiant. Quod ſentient, ſi ex hiſtoria temporum praeteritorum, quam tum ignorare non poterunt, iudicabunt ipſi, quid ſibi in ſimili caſu faciendum, quid loquendum, ſcribendum, diſputandum fuiſſet.

Digitized by Google

mixtam tamen, quae tertia eſt, & inde a *Melanchthonis* aetate in Eccleſia Euangelica viguit, licet primitiua illa, & pure biblica longe inferior ſit, vt ſtudioſe & ſequamur, & interpretemur, per ipſas quoque prouidentiae regulas, nec tantum propterea, quia

Ferendum eſt cum patientia,
Quicquid corrigere eſt nefas,

vel ferrea quadam neceſſitate imperatum nobis eſſe & praeceptum, nemo diffitebitur. Neque enim, niſi qui in vtriusque & ſcripturariae & ſcholaſticae orationis facultate parem ſe eſſe ſenſerit, Theologi nomen & gloriam hodie ſibi vindicare poteſt, cum in vulgus notum ſit, quantum inter hominem, & inter Theologum Chriſtianum intercedat diſcrimen. Ne Chriſtianis vero hominibus, qui Theologi non ſunt, mixta hac, & in ſingulas quaſi periodos confuſa oratione moleſtiam creemus, methodum paulo aliam, & fortaſſis nouam in hoc ſcripto exhibendam diſtinctius iam exponemus.

In Compendiis, quae magno ſatis numero hucusque prodierunt, id inprimis deſiderare poterant multi, quod eccleſiaſticae, ſcholaſticae, philoſophicae aliaeque peregrinae voces cum ſcripturariis vſitatis & intellectu facilioribus ita confuſae appareant, & complicatae, vt ſaepius ne

Digitized by Google

vna quidem thesis legi cum fructu, & animo imprimi possit, nisi vel lexica variarum & aetatum & disciplinarum, vel certe, quos interrogare possint, Magistri praesto ipsis fuerint. (*g*) Deinceps, qui ex scriptura sola sapiendum esse sciunt, hoc saepe queruntur, quod theses theologicae longo vsu receptae, primo quoque loco ponantur, & qualicunque dictorum vel selectu vel farragine probentur, eoque ipso suspiciosi homines eo adducantur, vt credant, scripturam nos ad Theologiam magis, quam Theologiam ad scripturam habere effictam. (*h*)

Tertio loco symbolicorum, vt vocantur, librorum quis vsus sit, quae probandi vis, quod pretium, multi etiam ex iis ignorant, qui haec scripta identidem crepant, & in ore habent. Qua igitur ratione & huic defectui medendum sit,

(*g*) Huic defectui Cel. MICHAELIS in Compendio suo nupero medelam adhibuit, consueta nimirum oratione, quam scopus Auditorum, qui Iuris Studiosi erant, poposcit, omnia religionis dogmata persecutus. Hanc vero methodum, vt ipse Vir Celeberrimus monet, praecisis formulariae linguae vocabulis, puram ac plenam sequi non possunt, qui aliis quoque lectoribus scribunt.

(*h*) Hos scopulos euitauit B. WEISMANNVS, qui institutionibus Theologiae Christianae ex praemissis dictis selectis, & secundum regulas hermeneuticas solide explicatis, in suas quoque classes distributis, singulorum demum locorum summam legitimo ordine deduxit.

Digitized by Google

ſit, videbimus. Et, quoniam, quod quartum eſt deſideratum a multis momentum, variae exſiſtunt in Theologia quaeſtiones plane non otioſae, quarum cauſas & origines Viri etiam non indocti ignorare videntur, ſingulare quoddam Compendio Theologico praeſidium vel certe ornamentum ab hiſtoria dogmatum quaeri & peti poſſe arbitramur; quo tamen defuncturi labore, quae ſuperflua ſunt, recidenda, quae neceſſaria, in iuſtos Compendii limites cogenda eſſe probe nouimus. (*i*) Haec igitur ſingula perpendentes, nihil quod otioſum ſit, reprehendent, nihil quod omiſſum, deſiderabunt in ſyntagmate meo lectores.

Primo enim ex ſola ſcriptura recte, ſobrie, accurate explicanda Theſes noſtras eliciemus, verbisque eas vſitatis, & cuilibet obuiis certe non technicis vel ſcholaſticis ita enunciabimus, vt reliquarum vel ſententiarum, vel praeceptionum, vel formularum loquendi ſiue ignari ſiue certe incurioſi eſſe videamur, hac ſcilicet methodo ad primitiuae Eccleſiae Exemplar propius ſubinde acceſſuri.

Deinceps vero, quae, ob varia variorum hominum ingenia, enatae ſunt, quaeſtiones & diſpu-

(*i*) Hanc viam nobis iam praeiuerunt BVDDEVS, & PFAFFIVS, ille in ſyſtemate, hic in Compendio Theologico.

Digitized by Google

ſputationes, ſine erudita & ſcholaſtica etiam lingua haud enodandas, in vnam claſſem coniiciemus, eamque claſſem in ſingulis locis alteram continuo Tractationis partem conſtituemus, & quicquid pro ratione Compendii ſciri & exponi debet, ſtudioſe in ea perſequemur.

Huic parti hiſtoriam dogmatum, vt intelligatur, quid ſit id, de quo diſputatio inſtituatur, praemittendam, conſenſum vero librorum ſymbolicorum, vel etiam, & quam maxime, vbi hi nos deficiunt, locorum *Melanchthonis* (*k*) Theologicorum ſubiungendum eſſe cenſemus.

Nomen porro materiis pertractandis ab ipſis hiſce locis communibus iuſto & legitimo ordine connectendis, viam praeeunte *Melanchthone*, faciemus; neque enim, niſi exigente id rei neceſſitate, nomina immutanda ſunt.

Denique etiam totum Compendium in ſuas partes ita diſpeſcemus vt prima, quae de Theologia, de Religione, de Sacra Scriptura, & de quae-

(*k*) His enim locis, vbi de conſenſu Reformatorum noſtrorum quaeſtio oritur tantum non idem cum libris Symbolicis pretium ſtatuendum eſſe ii intelligent, qui MELANCHTHONEM in locis magis acroamatice, quam in Symbolicis, & in vtrisque, ſi ſacramentariam cauſam eximas, recte & ſolide ſcripſiſſe norunt. Plurima enim, quae in libris ſymb. leguntur, MELANCHTHONIS debentur induſtriae.

Digitized by Google

quaestionibus huc pertinentibus (*l*) praecipiet, a reliquis maxime separata ac seiuncta appareat, quia singuli hi loci non tam Pars Theologiae Christianae, quam Prolegomena, aut potius praeparationes ad eam sunt. (*m*)

Qualem formam compendii Theologici externam placeat esse, in superioribus dixi. Ad alterum dissertationis caput pergere itaque, & de subsidiis Theologicis praecipere iam possum.

Subsidia ad Theologum efficiendum necessaria tria potissimum nominat *Matthias Flacius*, qui vnus omnium amplissime de Theologia sacrisque litteris (*n*) promeritus est; Philologiam nimi-

(*l*) Quales sunt de veritate Religionis Christianae, de Mysteriis in genere, de Miraculis &c. vt plurimum ab aliis omissae, necessariae quidem, non tamen, ne loci praeter causam multiplicentur, in singularia capita distinguendae.

(*m*) Quod inprimis quoque monuit B. BENGELIVS in meditatione de adornando compendio Theologico, quam in System. Theol. germanico prima vice typis, quibus hucusque nondum subiecta est, exprimendam curauimus. P. I. L. I. Sect. I. C. I.

(*n*) Hoc certe encomium Cel. HEVMANNVS huic tribuit Theologo. Hist. lit. c. IV. §. 53. Fatendum omnino est, si unum eius exceperis peccatum, quod in doctrina de peccato originali peccauit, nemini ex Reformatoribus eum postferendum esse; ipse enim cum tria haec, quae recensuimns, studia ecclesiae sui temporis pernecessaria esse intelligeret, tantis operibus manum

Digitized by Google

nimirum sacram, commentarium in scripturam, & historiam ecclesiasticam. Quibus scientiis vt quisque maxime fuerit instructus & imbutus, ita & in magnum nostri temporis Theologum euadere eum posse certissimum est. Philologia enim sacra nisi nostrae aetati, quae tam longo a primitiua ecclesia interuallo seiuncta est, facem praeferat immo accendat, nihil, quod laudabile sit, praestabit Interpres; hunc vero nisi iuuerit Commentatoris pia, sedula & circumspecta industria, praeter verba & minutias grammaticas nihil discet Theologus. Commentator denique ab historia non satis bene informatus, multa dicet, quae alio forsan tempore vel loco recta & vera esse possunt, in ea vero, quam tractat, materia falsissime & prorsus ἀκαίρως dicuntur. Quapropter haec tria inter se cohaerere, & ita complicata & velut confusa esse debent, vt vnum ab altero & tertio seiunctum esse nullo modo possit. Verborum enim significationem pandere interpretis & Philologi est; Commentatoris vero, efficere, vt Lector vel auditor in eum statum redigatur,

num admouit solus, & post commentarium in N. T. non tantum clauem scripturae sacrae sed etiam incomparabile illud historiae ecclesiasticae opus & appendicem eius, catalogum testium veritatis, omni adhibita cura conscripsit.

Digitized by Google

gatur, in quo illi erant homines, ad quos Viri, diuino ſpiritu acti, locuti ſunt & ſcripſerunt. Theologus denique, ab vtraque hac ſcientia inſtructus, cauſſas quoque doctrinae Chriſtianae eiusque & anteceſſiones & progreſſus & viciſſitudines cernat, eaque omnia, quae hiſtoria, temporum magiſtra, eum docuit, primis illis fundamentis ſcite ac ſapienter adiungat neceſſe eſt atque innectat. Sed de ſingulis ſeorſim nunc eſt dicendum.

Philologia verba, dictiones, ſententias exponit, ſuaque accuratione cauet, ne, quod nondum intelligimus, intelligere nos putemus, vel grammatica ſancta, quam ſummam & veram Theologiam B. *Lutherus* dixit, carere Theologum poſſe arbitremur. Magnum certe pretium huic labori ſtatuendum eſſe, nemo ſolide doctus negabit. Quo enim longius noſtra tempora ab aetate apoſtolica abſunt, eo plus ſtudii in grammatica linguarum dudum mortuarum intelligentia ponendum eſſe, omnes perſpiciunt. Ne tamen contemtum eius euitaturi, nimias quibusdam ſubtilitates difficultatesque affectare videamur, quid in primis a Philologo deſideretur, paucis eſt exponendum. Res nimirum eo redit, vt primo voces & phraſes deinceps vero totum ſacrae ſcripturae ſtilum conſideret. In phraſibus & vocabulis N. T. ad ſex momenta attendendum

Digitized by Google

dendum esse praccipiunt Philologi. (*o*) Aliae enim phrases & voces vsitatae, communes, & cuiuis obuiae sunt, quibus propterea nihil singulare, nihil perplexi vel dubii inest; Aliae ex Codice V. T. desumtae, vt varia allegata vel & voces Amen, Halleluia, vel explicatio nominis Iehoua per eum qui est, qui fuit & qui futurus est; Aliae ex versione Alexandrina vel graeca intelligendae, vt voces Ecclesiae, Prophetae; &c. in quibus textus non plus est premendus, quam versionis graecae natura permittit; aliae ex Theologia Iudaica interpretandae, vt paradisus, geenna, seculum futurum, secunda mors, sinus Abrahae &c. Aliae ex graecorum disciplinis repetendae, vt vitiorum & virtutum nomina, v. c. castitas, temperantia, eleemosyna, conscientia, immo ipsum virtutis nomen, cui in hebraeo codice nullum exacte respondet; aliae denique solis scriptoribus N. T. propriae sunt, eaeque ex con-

(*o*) Conf. IEAN d'ESPAGNE, gallicanae, quae Londini erat, Ecclesiae antistes, pius, eruditus, facundus, in operibus in germ. idioma ab HOSMANNO translatis: sub tit. Iean d'Espagne gesamte Schrifften vnd Werke. Cellae ed. 1724. p. 204. seqq. & qui instar omnium esse potest Cel. ERNESTI in Institutione Interpretis N. T. nouissime edita atque Lugduni Batauorum, cum vix liberata esset prelo Lipsiensi, recusa.

Digitized by Google

contextu ſtudioſe eruendae, vti ex mente *Iohannis d'Eſpagne* tertium coelum &c. de quibus ſuo loco vulebimus. In Ebraeo vero codice praeter contextum & Criticos Iudaeorum labores, verſionum, & quae ex Arabica aliisque linguis cognatis peti ſolent, ſubſidia commendamus; in quo tamen negotio piam, caſtam & verecundam verbi diuini tractationem in vtroque codice, ab omni criticorum & philologorum temeritate eximendo, adhibendam & obſeruandam exſpectamus magis quam iubemus; Chriſtiani enim homines tale quid ne monendi quidem ſunt. (*p*)

Stilus ſacrae ſcripturae alteram quaeſtionis philologicae partem conſtituit. In hoc vero ſingularem DEI prouidentiam & conſtantiam veneramur, quod vno ſemper eodemque dicendi genere in verbo ſuo cum hominibus loqui & agere ei placuerit. In vtroque enim teſtamento idem obſeruatur ſtilus, nimirum hebraicus, priſcam eam & natiuam inde a Moſis aetate ſeruatam ſimplicitatem tantum non in omnibus & prophetarum & Apoſtolorum ſcriptis referens. (*q*) Quae qui-

(*p*) Niſi enim ita tractentur libri ſacri, LONGINVS, qui deſcriptionem creationis Moſaicam & ſtilum Paulinum, ſummopere admiratus eſt, & quiuis alius ex ethnicis eruditus in S. Scriptura plus videret, quam Chriſtiani noſtri Philologi vident.

(*q*) Docent id phraſes antiquiſſimae & ſimpliciſſimae, *a voi-*

quidem constantia DEI in agendo & loquendo, tantum abest, vt ab hominibus, elegantias sermonis Attici desiderantibus, accusari possit, vt potius sapientissimos diuinae oeconomiae fines nobis pandere videatur, & vel ex stilo sacrae scripturae suspicari prudentiores iubeat, fore aliquando vt Iudaei reliquorum hominum in pleniore codicis sacri interpretatione doctores futuri sint. Noui certe ex Iudaeis intelligentiores, qui Apostoli Pauli stilum, methodum, elegantias, sentimenta, si ita loqui licet, vel sensus coelestes ac delicatissimum dicendi genus nos Christianos capere posse atque sentire, constanter negarent. Quod quidem si cum grano salis dicatur, incongruens non est. (*r*) Nimirum quae scitu necessaria sunt Christianis, ex gentibus conuersis,

ἀνοιξας το ςομα, αναςας. ἀρας τυς ὀφθαλμυς &c. quae subinde in N. T. adhiberi solent.

(*r*) Egregie huc quadrant, quae, quamuis paulo alio scopo Cel. D. ERNESTI differuit: - - Orationem pure graecam & atticam - - de industria euitarunt viri diuini, ne offenderent Iudaeos, verbaque impedimento rebus ipsis essent. Quod nullo modo sapientis, nedum apostoli, erat, committere. Accedebat ratio alia maior, ex eo, quod, si tali scribendi genere vterentur, quali Thucydides, Plato, Aristotelesue, intelligi ab iis, ad quos aut quibus scriberent, non possent. Neque id cuiquam esse debet obscurum aut dubium; nam si quis in-

versis, plene ea perspicue & salutariter ab iis sciri & intelligi posse nemo dubitat; plura vero rimanda in sacris litteris & perscrutanda adhuc restare quis negare ausit? His vero interpretandis a Iudaeorum scriniis certe non minus quam ab Arabum studiis praesidium quaeri posse omnes intelligent; atque etiam hoc intelligent, quod ob ipsam hanc causam exemplaria, quotquot haberi possunt, Ebraica, nec tantum

- - - - - *exemplaria graeca*
Nocturna versare manu versare diurna

eos deceat, qui in sacra vtriusque testamenti philologia cum fructu elaborare, atque in hoc studio *Origenem* inprimis atque etiam *Hieronymum*, principes veterum interpretes (s), ab hebraeis vero doctoribus adiutos, imitari cupiunt.

Philologicos labores praesupponit Commentator, sed ita tamen praesupponit, vt omni examine

intelligit eos, qui de rebus vulgaribus & in vsu communis vitae positis populariter loquuntur, non statim idem intelligit eleganter de disciplinis litterarum disserentes. Vid. eius Prolusio de difficultate N. T. recte interpretandi. 1745. p. 9.

(s) Hos v. commendant Cel. D. ERNESTI in Differt. de ORIGENE interpretationis Librorum S. S. Grammaticae auctore, & Cel. BRVCKERVS in histor. philos. qui & de AVGVSTINO, Viro sui temporis summo, rectius sentire lectores docuit, quam ab HEVMANNO docentur.

mine vlteriore sibi supersedendum iam esse, existimare non possit. Est enim commentatoris officium, vt lectoribus opportunitatem ostendat, qua vsi eodem animo affecti & eadem intelligentia praediti esse possint, qua primi Apostolorum auditores & lectores erant. Ex quo intelligitur, quod scire ipsum oporteat, quas inprimis & quorum Philologorum curas euoluere debeat, ac praeterea quibus insuper subsidiis sibi id efficiendum sit, vt lectores non verba tantum sed & res, hoc est totum orationis habitum ita intelligant, vti eum illi, quibus scripserunt apostoli, intellexerunt. Quod vt consequatur ad tria in primis animum aduertat. Primum est, vt verba & vocabula philologice iam explicata, praesertim illa, quae fundamentum salutis attingunt, copiosius exponat ac iusta aliqua definitione complectatur. Alterum vt quomodo inter se connexa & in vnum aliquod systema redacta sint, vno quasi obtutu per analysin iustam doceat, hoc est, vt ex contextu inprimis se suosque lectores sapere velle ostendat. Tertium vero, vt, quae minus probabiles sint, interpretationes indicet & refellat, quia fieri potest, vt tales quoque lectores nanciscatur, qui aliis & peregrinis iam interpretationibus occupatum animum in textum inferunt, adeoque a commentatore, qui ab iis legi vult, id postulare possunt, vt praeiudicatas,

quas

Digitized by Google

quas habent, opiniones refellat. Haec vero singula cum vno commentatoris officio, quod supra descriptum est, & ex quo deducuntur, legitimo nexu copulata sunt & conjuncta.

Seorsim vero vnumquodque etiam exponendum est. In verbis ita versatur exegeta vel commentator iustus, vt nullum eorum sine caussa positum esse doceat, & quae cumulantur aliquando, quomodo differant, etiamsi eadem esse appareant, accurate ostendat. In hoc enim scriptura singulari gaudet praerogativa, quod, etsi populariter loqui visa, nullum tamen verbum habeat, quod aptum, exquisitum, proprium, loco, tempori, personae, moribus accommodatum non sit; id vero vti certissimum, ita & in omnibus omnino locis observare, difficillimum quidem, pulcherrimum tamen est; quod certe quam pulchrum sit, ex iis locis apparet, quae has observationes Bengeliano inprimis studio debitas huc vsque in se fieri passa sunt. Deinde etiam difficilioribus verbis, quae salutis fundamentum propius spectant, magna inprimis & sollicita cura adhibenda est. Labor enim Philologicus rem non conficit. Multa interpretes a philologia instructi dicere, & solide quidem dicere possunt; sed non omnia, quibus vis verbi exhauritur, dicunt. Hoc vero commentatoris est, vt coeptam a Philologo telam pertexat, & omnem ver-

Digitized by Google

bi efficaciam, quam tum habuit, cum ab Apostolis pronuntiaretur, accurate exponat. Neque vero heic desiderio prudentiorum satisfactum esse non pauca, quae scire nostra multum interesset, vocabula docent, (*t*) quorum significatus Philologorum quorundam audacia magis occultavit quam exposuit, sapientiorum vero hominum paulo verecundior, si qua fuit, industria, ita tandem restituit, vt dici de eorum labore debeat: est isthoc quidem aliquid, sed nequaquam in isto sunt omnia. Nisi enim, qui a Philologia perfecta & omnibus numeris absoluta non minus, quam a spiritus sanctioris gratia penitissime informati sunt, iunctis viribus & per aliquod temporis spatium id agant, vt textus sacri ideas & notiones fundamentales & plenum earum significatum evolvant, plus in exegesi, quam hucusque praestitum est, praestari posse eo magis despero, quo speciosiores sunt rationes, quae non ire

(*t*) Referri huc solent a nonnullis ex lingua graeca λογος, ζωη, Φως, δοξα, μεταμορφωσις εις την εικονα τȣ Θεȣ, αληθεια, παλινγενεσια, τροχος γενεσεως, γενεσις εκ Θεȣ, Φωτιζειν, Φυσεως Θεȣ μετεχειν, &c. ex hebr. vero codice כבוד, תומים & אורים, חיים, נפש, רוח, עשה, ברא, שמים, רקיע, חשמל, שכינה, יצר &c.

lre sed ruere in peius omnia suspicari nos jubent.

Curis philologicis in significatu verborum plenius eruendo positis rite defunctus commentator ad contextum iam attentos reddat lectores. Hunc vero ex nostris connectendi formulis aestimare & metiri velle, quantum ego quidem iudico, labor improbus foret & inanis. Ebraea enim & quae eam sequitur Graeca N. T. oratio in eo singularis est, quod indole & ingenio suo longissime distet ab iis, quae hodie in vsu & honore sunt, linguis, quibuscum aliae quidem, quae in vsu vitae communis frequentari etiam desierunt linguae, vt latina & graeca, permagnam tamen in exprimendis & connectendis hominum cogitatis habent similitudinem, Ebraea vero vel nullam vel certe satis paruam. Qui igitur latinos & graecos auctores intelligunt, scripturam propterea eiusque nexum nondum intelligent, nisi cum scriptura etiam cogitare didicerint. Quapropter multi commentatores, qui litterarum elegantiorum studiis vel & philosophandi peritia imbuti, pares se iam esse huic negotio credunt, praeter disjecta divinorum scriptorum membra & decerptas quasdam particulas nihil sane vendunt lectoribus & exponunt. In eo quidem tolerandi adhuc, si animum suum a nova, quam multi struunt, ossium disjectorum compage monstrosa saepe

& primitiuae, quam disjecerunt, ſtructurae diſſimillima abſtraherent & reuocarent. Id vero a pauciſſimis caveri, dolendum magis, quam longa oratione enarrandum eſt. Quid igitur circa contextum cauendum, quid agendum ſit, & quale commentatoris officium eſſe velimus, ex ſuperioribus patet.

His denique ſubſidiis ſi accedat coniunctum cum acri & ſubacto iudicio internum inprimis ſpiritus ſanctioris regimen, cuius defectum in Philologo ſolo ferre aliquantiſper poſſum, in commentatore non poſſum, tunc demum, quem quaerimus, Theologum formatum iri atque effictum putem, verum illum, pium, eruditum, iuſtum, atque, ſi non omnibus, noſtris certe temporibus, magnum & expetitum. Haec vero ne quis ita dicta putet, vt Theologus, niſi ab omnibus & ſingulis hiſce ſubſidiis inſtructiſſimus foret, dicendus non ſit, oratione paulo explicatiore dicam. Fieri certe nequit, vt vnus omnia ſciat, penetret, excutiat. Tentantem vires & tempus citius defecerint, quam ad finem peruenerit. Prouida etiam Dei cura has provincias in varia variorum hominum ingenia ita diſtribuit, vt alii ſint philologi, alii commentatores, alii hiſtorici, iique tales & tanti artifices & magiſtri, vt ſingulis in arte ſua debeat credi. Theologum itaque, quem his ſubſidiis ad condendum iuſtum aliquod ſyſtema vti oportet, non omni ſed ea tantum notitia

titia imbutum esse volumus, qua adiutus, quinam optimi in quavis disciplina auctores sint, & quousque eis fides haberi debeat, exputare possit. Quod alterum quidem monitum eo magis est necessarium, quo certius est, homines subinde vltra id, quod sapiunt, sapere perquam vehementer velle. Tale vero delirium an fastui magis an vero imbecillitati alicui tribuendum sit, iam ego non disputo, sed potius vt caveatur, opto. Qui enim in philologia cum laude elaborant, viri caeteroquin summi, ebraismos, iudaicas antiquitates, locutiones proverbiales, ritus incognitos, radices deperditas, nouas, & quas nemo ante eos vidit, constructiones in singulis fere versibus vident, atque ad scripturam ita applicant, vel etiam difficultates interpretandi sacri codicis vsque adeo exaggerant, vt inde ab aetate apostolica post tot iam decursa saecula vsque ad eos scripturam vel obiter intellexisse videatur nemo. Hoc tamen eis condonandum, vel ingenio nonnunquam luxurianti (*u*) concedendum est; quodsi vero in theologiam haec sua phantasmata ita inferunt, vt praeter antiquas phrases in

(*u*) His enim hominibus accidere solet, quod NIEWENTYTIO, ita quidem statuente BÜLFINGERO, accidit, qui in opere suo caeteroquin incomparabili, profundissimam matheseos ac Physices cognitionem in iis S. scripturae locis videre sibi visus est, vbi viri diuini nihil tale cogitarunt.

in materiis etiam gravissimis aliud nihil inesse dictitent, tum sane contra est eundum ac ostendendum, dici quidem ab eis aliquid, sed in hoc, qualecunque etiam fuerit, non multa nedum omnia inesse, quae vim & efficaciam verbi diuini, grauissimas de mysteriis, de Deo, de homine, de illuminatione, de regeneratione, de Sacramentis materias nobis eloquentis, exhauriant.

Quod vt commodius fieri & dici possit, eos in primis auctores, quibus in unaquaque disciplina fides tuto haberi queat, ex historia, quae tertium erat *Flacii* desiderium, nosse & commendare debet Theologus. Ita, vt exemplum habeamus, philologica studia post *Flacium* & *Glassium Lightfoot*, *Schoettgenius*, *Wolfius*, *Michaelis*, *Schultensii*, Criticam vero accurationem *Millius* & *Bengelius* adiuuabunt. Commentatorum officio rite defunctos eos dixeris, qui *Bengelium* vel antegressi vel secuti sunt interpretes, & simplicitatem, profunditatem, concinnitatem atque salubritatem sensuum caelestium ex S. S. eruerunt. (x) Collectionem variarum interpretationum ac sententiarum vel ex Criticis anglicanis atque epitomatore eorum *Polo* disces, vel etiam ex Commentario litterali, qui hodie prodit, quique commentarii, qualem

(x) De viuentibus iudicare nostrum non est. Ex eo vero, quod de mortuis sentimus, ad eos poterit concludi.

lem nos descripsimus, plenam ac iustam ideam non exprimit, sed copiosa potius earum sententiarum enarratio est, quae de singulis S. Scripturae textibus Viris doctis subinde placuerunt. Historiam, & fata Ecclesiae *Mosbemius*, quae vero in ea singularia & vera tamen scituque dignissima sunt, *B. Weismannus* docent. Si de locis Theologicis ipsis, iisque praeparatoriis, quales sunt, qui de scriptura agunt, sermo est, Reformatae Ecclesiae consulendi sunt doctores, in criticis, & philologicis laboribus, immo & commentandi studio nostris Theologis identidem superiores visi. Locos porro mixtos v. c. de Deo, de providentia, &c. Theologi nostrae aetatis philosophici egregie illustrant; puros vero, inprimisque eos, qui de peccato, de gratia, & de Christo agunt, post alios *Weismannus* cum fructuosa & erudita industria pertractauit. In loco de operationibus Spiritus S. de illuminatione, de regeneratione, de sanctitate aliisque materiis, quas extorquere nobis multi pervehementer capiunt, nemo solidius, rectius, profundius, accommodatius & divinius scripsi, quam *B. Breithauptius*, qui ex idea imaginis diuinae in nobis restaurandae, vti omnem Theologiam, ita hanc inprimis doctrinam sapientissime & plene demonstrauit. Plura adhuc dicturus essem, nisi haec, pro exemplo, satis, immo iusto iam plura esse perspicerem. Dixi vero propterea, quia non paucos noui, qui Docto-

 ribus

Digitized by Google

ribus suis, siue tantum philosophicis, siue philologicis, ita saepe adhaerescunt, vt in duas partes abeant, quarum vtraque studiis suis nimium delectata contemnit alteram, cum tamen neutra sine Spiritus Sanctioris operationibus, quibus plurimi se hodie subducunt, tolerabilem, nedum probabilem habeant Theologiam.

Quemadmodum vero haec omnia vel cavet, vel in iustum ordinem redigit Theologus a Deo informatus, ita & ad scopum Theologiae vltimum omnia sua referre discit; quod quidem, quomodo fiat, vt paucis adhuc doceam, tertia dissertationis nostrae pars exposcit. Vnus enim & praecipuus Theologiae christianae scopus vera est atque arctissima cum Deo unio, per fidem in Christum obtinenda, vel, Iohanne interprete, communio cum Deo per Christum in Spiritu Sancto. Hanc ideam fundamentalem, atque omnis boni effectricem, nisi in omnibus suis studiis, animandis per eam, & nobilitandis, respiciat Theologus, ego certe non video, cur non potius ad quasvis alias quam ad sacras animum suum applicet disciplinas, quae quidem ieiuno istiusmodi interprete tam egregie carere possunt, quam ille his carere potest. Quodsi enim spiritualis hominum ex Deo nascendorum vita atque indoles nouum illud sensorium veritati, eique coelesti, percipiendae accommodatum atque aptissimum in mente non excitet, susten-

Digitized by Google

ſuſtentet, roboret, perficiat, efficaciſſimae, quae in S. S. obuiae ſunt, doctrinae vel plane non intelligentur, vel monſtroſis aliquando ac vitioſiſſimis interpretationibus deformabuntur, vel etiam hominum furiata mente quaeuis ſacra impetentium ludibrio exponentur. Accedit quod Theologia ad naturalem religionem nimis contorte efficta, & Spiritui quantum fieri poteſt, ſubducta hoc tandem conſequantur ſcriptores non pauci, vt *Tindalii* & *Cherburii* noſtrae aetatis religionem Chriſtianam vel plane ſuperfluam, vel bonam quidem & probabilem eſſe dictitent, qua tamen facile carere poſſit homo. His vero, quid reſpondere poſſint, qui doctrinam de illuminatione, & regeneratione, & natiuitate ex Deo &c. vel ex ſolo vſu vocum apud profanos auctores obvio, vel ex Iudaicis quibusdam ritibus, vel ex philoſophica aliqua definitione, praeciſis omnibus de vera, & hyperphyſica, & reali, & continua Spiritus S. operatione, vt apud multos in vſu eſt, meditationibus, exponunt atque efferunt, ego ſane non video. De his vero ſingulis ſuo loco videbimus.

In Theologum veri nominis talem ſine Spiritu, rectore ſtudiorum, & Doctore, euadere poſſe neminem, ex ſuperioribus patet. Quemadmodum vero cautelis etiam in ſtrata & regia via inceſſuri aliquando opus habent, ita &, quibus illa praeſidiis contra quaeuis auia, & praecipitia munienda ſit,

Digitized by Google

sit, necessarium est dicere. Sunt vero tria, quae Theologis ad exemplar propositum formatis cavenda praecipio, Fanaticismum primo spiritualem, deinceps naturalem, ac tertio loco, nimiam fanaticismi fugam. His enim vitiis exponuntur, qui caste, verecunde, studiose, & gnauiter, quod sibi agendum est, non agunt. Spiritualem aliquem fanaticismum Viris etiam bonis, licet insciis obrepere posse ii norunt, qui studii theologici grauitatem, sanctitatem, atque amplitudinem, ex una, ex altera autem parte humani etiam ingenii limites, defectus, luxuriam quoque & socordiam solicite expendunt. Vt vero quisque pientissimus, in tractandis litteris diligentissimus, & in regimine Phantasiae exercitatissimus fuerit, ita & a fanaticismo spirituali remotissimus erit; ad eum vero subinde eo propius accedet, quo magis remissus sit in studiis, &, quo minus, quid natura sit, quid gratia, discernit. Sunt Viri eruditi, qui tale quid in Theosophicis hominibus, qualis *Helmontius*, *Portagius*, *Poiretus* & alii erant, deprehendi posse dictitant. Meum vero nullum de Viris hisce esto iudicium. Quid alii sentiant, exposui; &, qua ratione naturalis quoque fanaticismus caveri possit, iam ostendo. Sunt nimirum homines, qui Spiritus Sanctioris gratia, & larga eius, quam experti sunt, mensura vel penitus, vel maximam certe partem excussa, quid olim fuerint, meminisse be-

ne

ne possunt, atque proprio iam studio, & stupendo molimine naturalem sui statum priori, qui ex gratia erat, similem effecturi, hoc suo labore in naturalem fanaticismum saepe incidunt. Tale quid primorum saeculorum haereticis, qui Deum se vidisse dixerunt, accidisse verisimile est. Cum quibus comparandi sunt *Ammonius* Christianus ab initio, & postmodum, (y) vt cel. *Brukero* videtur ad gentilia sacra relapsus, vel vt alii sentiunt in religione Christiana, occulte tamen, & insciis Ethnicis perseuerans Philosophus, (z) eiusque sectatores *Plotinus*, *Porphyrius*, *Iamblichus*, & alii, qui Deum summum sine imagine se vidisse gloriati sunt, & magnum fanaticismum, in his quoque, licet Christiani nominis hostes fuerint, ex corrupti Ammonii Christianismo post alias causas oriundum, vti inter

(y) Cel. BRVKERVS Histor. Philosophica Per. II. Part. I. L. I. c. II. Sect. IV. §. 4. 5.

(z) B. WEISMANNVS ad Christianos Saec. II. & III. Doctores eum refert. conf. H. E. Saec. III. §. immo BASNAGE Episcopum eum tandem factum esse singulari opinione statuit. Mihi inprimis placet sententia BAYLII cui etiam B. WEISMANNVS calculum non denegauit suum ita vero BAYLE Diction. T. I. p. 200. parum abest, vt credam, Ammonium a gentibus pro Christiano vix fuisse habitum, hancque rationem exstitisse, cur Porphyrius scriberet, ipsum religionem Christianam deseruisse, ex quo philosophiam excolere coeperit. Constabat vtique inter fratres de pro-

ter omnes notum est, prae se tulerunt. Hunc vero cauet Theologus, si depositi sui ac cimelii pretiosissimi nunquam incuriosus vel oblitus precibus continuis, & pertinaci fide id agit, vt gratiae coelestis non tantum memoria, sed sensu praesentissimo semper gaudeat, ac perfruatur. Litteris enim ita incumbendum, vt ne spiritum excutiamus, spiritui vero ita vacandum est, vt ne litteras negligamus; quod monitum qui sibi dictum putant, a regia veritatis via neque dextrorsum deflectent, neque etiam sinistrorsum.

Sunt vero etiam nonnulli, quibus nescio quos terrores panicos incutere solet vel solum fanaticismi nomen, quod usque adeo perhorrescunt, vt ubique anguem in herba latitare credant, & innocentissimos quosque sanctorum hominum sermones habeant suspectos. His vero ego, vt nimiam fanaticismi

professione illius christiana ex libris eius, quos pro fide scripsit, quos tamen gentilibus notos admodum fuisse, probabile non est. Sane nondum erat Christianorum illo tempore tanta existimatio (forsitan, quod ego suspicor, cum eos Philosophiam quoque sic docuit, vt nemo ex auditoribus, cuinam addictus sit religioni, exputare vel potuerit, vel & voluerit.) Hoc certe inficias iri nequit, in iuuentute meliorem Christianum, quam in virili aetate, ενθουσιασαντα προς το της φιλοσοφιας αληθινον cum HIEROCLE eum, licet famosiori quodam sensu, dici posse.

cismi fugam caueant, praecipiendum esse putem? Continuis enim addubitationibus suis se ipsos impediunt, quo minus spirituales homines fieri possint. Quod damnum quam graue sit, quamque irreparabile, sapientiores intelligunt. In superioribus enim lege admodum perspicua, & ab extremis dehortante, veritati in medio incedenti satis cautum est. Vnde quodcunque etiam meticulosi quidam homines sibi imaginantur damnum, ego, vel quiuis alius recte sentiens praestabit, atque de optimo rerum euentu persuasissimos, omnisque periculi securos iubebit esse eos Theologiae consecraneos, qui praeceptionibus de cultura studiorum cum vera & interna sanctitate coniungenda animum habebunt obtemperantem.

His iam praeceptis omne id, quod ad Theologum efficiendum necessarium sit, contineri crediderim. Nihil igitur habeo, quod dictis addam, nisi, quod animus sit, memoriam Theologorum Wirtembergicorum, qui inde a Reformationis tempore in Compendiis Theologicis conscribendis, quod operae pretium esset, fecerunt, sola nominum indicatione coronidis loco vel renouare, vel etiam, resuscitare. Primus, qui magnam hoc scriptionis genere gloriam meruit, *Iacobus Heerbrandus* erat, *Lutheri*, & *Melanchtonis* discipulus, Vir ad summa Ecclesiae, & Vniuersitatis Wirtembergicae munera obeunda vocatus.

Secuti

Secuti ſunt *Nicolai*, *Hafenrefferus*, (*a*) *Sigwart*, *Thummius*, *Iaegerus*, *Hofmannus*, *Pfaffius*, *Canzius*, *Iungius*, *Oetingerus*, quorum Compendia Theologica exſtant. De recentioribus, quae hoc demum Saeculo prodierunt, noſtrum non eſt iudicare. Superioribus vero Saeculis Heerbrandianum & graece & latine, opera *Martini Cruſii*, editum, deinceps Hafenrefferianum, ac tertio loco Thummianum apud exteros quoque magnam nominis celebritatem conſecuta ſunt. Haec in diſſertatione praeliminari, monuiſſe, non erit ſuperfluum. Plura fortaſſis alio tempore, & in alio opere dabimus, ſi vitam, & vires largiatur DEus, cui ſeruire in Chriſto ſumma eſt non tantum libertas, ſed & voluptas.

(*a*) Compendium Hafenrefferi in Eccleſiam quoque Suecicam introductum, & a Ioh. Friderici Ducis Wirtemb. filia Principe *Anna Iohanna* ſub tit. Theologiſche Lehrpuncten in Germanicam linguam verſum fuit; Verſio Mſc. Stuttgardiae ſeruatur.



PRO-

Digitized by Google



PROGRAMMA DE NVMO D. IVLII AB IMP. TRAIANO RESTITVTO,

AVCTORE

Ioh. Christiano Volzio,

Historiarum Prof. P. O. Stuttg. Sereniss. Duci Wirt. ab antiquitatibus, Societatis reg. Teut. Goetting. & Acad. Scient. Electoralis Boicae Sodali.



Deos vocari reges atque Dominos ab ipso DEO, supremo regum omnium ac dominorum rege S. Scriptura nouimus magistra, quos sc. sua singulariter imagine insignes, suique in homines imperii quodammodo voluit esse vicarios. Quod, qua ratione sit intelligendum, Christianis vtique, satis id edoctis, superuacaneum esset edisserere. Non vero substitit intra eiusmodi cancellos superstitiosa gentium a vero Deo alieniorum adulatio. Viuos istis, aeque ac mortuos, reges & imperantes suos, eorum, quos Deos opinabantur, numero inferre mos erat, eosque pari omnino cum Diis suis habere cultu. Plurima huius rei exstant monu-

monumenta, in quibus etiam, habendus rarissimus Thesauri Numismatici Wirtembergici aureus numus, quem propius, ex quo singulari *Ser. Ducis* clementia gazae splendidissimae custodia meae nuper commissa est fidei, datum fuit examinare. De quo pauca hoc loco praefari, non refragante instituto praesente, nobis concedetur. Ex iis est magnitudine numus, quos aureos vocare solent denarios. (*b*) Aduersa parte *C. Iulii Caesaris* exhibetur *Caput laureatum*, cum epigraphe *Diuus Iulius*. In auerso vero latere: *victoria alata gradiens dextram ori admouens, bullam, in qua vtplurimum principis effigies signata, osculari videtur, sinistra caduceum tenet; pro pedibus serpens.* Inscriptio: IMPerator. CAESar. TRAIANus. AVGustus. GERmanicus. DACicus. Pater. Patriae RESTituit.

Raritas huius numi a diuersis celebratur; duo sufficient testes. (*c*) In splendido Scriptorum Historiae

(*b*) *Denarii* nomine vulgo quidem indigitatur *argenteus* numus, qui denis aeris pretio aequalis existimabatur, vnde signo etiam numerali X, impresso notabatur. At vero *aureos* quoque numos, qui alias velut κατ᾽ ἐξοχὴν NVMI dicebantur, denarios fuisse vocatos pluribus auctorum & veterum & recentiorum testimoniis congestis possemus probare si, opus esset; vnus esto loco omnium totius, *Plinius*, hist. nat. libr. 33. cap. 3.

(*c*) Iis, qui supra sunt allegati, autoribus alios hic adjicere liceat, accurate etiam de rarissimo hoc numo agentes.

storiae Rom. Latinorum corpore, III. Tomis in fol. Heidelbergae edito, & notis numisque adiectis, ab Ill. Dn. *de Klettenberg* illustrato, meisque vsibus a singulari fautore concesso, sequentia lego: *quanti memoriam D. Iulii aestimauerit Imp. Caes. Traianus &c. patet ex numis, in eius laudem restitutis. Duos habes Tab. XI. rarissimos. Primo Venerem victricem referente, cuius nomine tamquam tessera, in praelio Pharsalico Caesar vsus fuerat;* *altero*

tes. In thesauro numismatico ANDR. MORELLII, *de num. XII. priorum Impp. Rom.* Studio & opera *Wesselingii*, viri celeberrimi, post operas Cl. *Schlegelii*, *Haverkampi* & *Gorii* in lucem feliciter edito, T. I. p. 45. Num. 20. huic numo similes occurrunt descripti, qui etiam incisi aeri, Tab. III. n. 20. in aureis Iulii Caesaris numis, exhibentur. Vbi ex appictis signis adparet, numi delineationem ab exemplis, in thesauro R. Gallico & Schwarzburgico, sumtam esse. Cum rarius obtingat apud nos harum rerum amatoribus, vt splendido hoc vti queant opere, quod & ipsum, dum superiora scriberem, nondum ad manus fuerat, non ingratum existimo futurum, quae ibidem differuntur heic legisse. (a) Descriptiones afferuntur sequentes: „*Diuus* „*Iulius*. Caput Caesaris nudum laeuam versus, vti „Tab. II. n. 49. vel: *Diuus Iulius*. Caput Caesaris „laureatum, laeuam versus, vti Tab. II. n. 58. *Imp.* „*Caes. Traian. Aug. Ger. Dat. P. P. Rest.* Victoria (mi„nus recte L. Nonnius Deam Pacem hic agnouit in „Commentario ad nummos Goltzianos. p. 51.) Stans „bullam dextra osculari videtur, vel potius vestem „sub-

altero victoriam perpetuam Caesaris Comitem. &c. Tom. III. ad *Suetonii Iulium.* Vir vero Cl. *Sigeb. Hauerkamp*, in Thesauro Morelliano, S. Fam. R. Numism. O. Amstelod. A. 1734. in fol. edito, p. 204. de

„sublevate, laeva caduceum alatum tenens, ante pedes „serpens est, sese erigens. (b) Ad haec Clariss. *Christianus Schlegelius*, seq. in modum commentatus est: „ „Divus appellatur, quod in *Deorum numerum* receptus „*primus* esset *Imperator*, quod & *Caput nudum* indi„care solet. Sed in *aliis nummis caput illud* etiam *cum* „*laurea* comparet, vt, *Victorem fuisse* semper, pateat. „Ideo & *Victoria* in *adversa* est addita, *caduceum* tenens. „Sive igitur per *caduceum* in *nummo rarissimo pacem* „factam cum insigni *augmento Maiestatis Caesaris*, cuius „*symbolum serpens* alias esse solet, intelligas; sive *pa*„*cem Populo Romano* datam, *bello* omni cum *hostibus ex*„*teris proscripto*, ex mente *Pierii Valeriani Hierogl.* Lib. „XV. augureris, qui *serpentis motu*, *seu abitu* alio *allega*„*tum bellum significari*, autumat, quasique *efferum hoc* „*animal bellum* denotet; sive, quod *veritati consenta*„*neum magis videtur*, *victorias*, perpetuas *Iulii Comi*„*tes*, tum *singulari felicitate* (per *caduceum* designata) „tum *prudentia* (cuius *serpens* est indicium) *partas*, in„terpreteris, (*nullam enim cladem nisi per Legatos pas*„*sus est*, inquit *Suetonius* c. 36.) *Caesaris gloriae* post „mortem nihil officiet, cui cum maxime litare voluit „*Traianus Caesar*, *hoc ipso numismate.* Certe *pruden*„*tiae* suae praeconem nactus est Dionem Libro XXXVIII. „p. 64. *Bullam* deosculari dicit *Doctissimus Ioh. Valens*, „p. 530. in *qua Principis signata effigies* esse solebat, „velut *eius*, *quem* maxime diligebat & venerabatur. „Suf-

Digitized by Google

de his numis sequ. in modum pronunciauit: *notum est denarios, qui Typum aliquem insigniorem praeferebant, restitutos a Traiano Imperatore fuisse. Sunt vero numi omnes, hoc modo restituti, rarioribus*

„Sufficiat, quod nummum *illum olim cusum* optimus „*Caesar* (vel quod ob *Imperii Iulii breuitatem* plures „ex *auro* cudi statim nequiuerint, vel quod *rem*, quam„vis *licitam*, *communem oppido noluerit fieri I. Caesar*) „*restituendum* censuerit, *actuque restituerit*, ne *tanti* „*honoris monumentum*, *tantaque Principis* aliquando *pe*„*riret Gloria.* Inferuerunt hunc ipsum *rarissimum num*„*mum* aureum suis monumentis *H. Golzius*, T. 17. n. „XI. *Nonnius* T. 16. n. XI. *C. Patinus in Thesauro* „*Numismatum* aureorum minori. p. 2.„ (Scil. eorum quos ex suo edidit Museo Patinus, 1672. 4to.) „& in suo *Suetonio Nummis illustrato.* p. 61. Item„que in supplemento Nummorum Consularium. p. 313. „in *Familia Iulia.* *P. Valens* in *praestantioribus aureis* „*& argenteis* p. 6. quamuis cum *Capite Iulii sine lau*„*rea*, „ (intelligendum est hoc de editione recentissima Romana, quae A. 1743. lucem vidit. Tom. II. p. 6. nam in antiquiore Parisina A. 1674. hic numus occurrit. p. 3.) „& *in Consularibus* Tab. LXXVI. n. 63. „*Iacobus Biaeus* in Nummis Imper. Roman. Tab. 3. „N. 11. 12. *A. Morellius* in Nummis Consular. in Fa„mil. *Iulia* Tab. 8. n. 4. vbi tamen, nescio quam re„cte, *caput Iulii laureatum* exhibuit, cum perigraphe „DIVVS IVLIVS. Ac in ipsa *Gaza Regia Parisiensi*, „sicuti etiam *Schwarzburgica hodie compares.*„ Quibus vnum adjicere concedetur, recte scilicet, de quo dubitare videtur doctiss. *Schlegelius*, *A. Morellium* Caput

 exhi-

Digitized by Google

ribus annumerandi. Noster certe, in *Patini* familiis, in aureis numis Illustriss. *D. de Croy*, in *Haymii* Thesauro Britannico, in *Iac. de Wilde* selectis Numism. nec in diuite *Theupoli* Museo, quos euolvi libros, non occurrit. Mentionem modo faciunt eius Cel. *Vaillant* in famil. Rom. & Illustriss. Comes *Mediobarbus* (d) in Numism. Impp. Roman. praeter

exhibuisse laureatum, quod in nostro numo manifeste conspicienda datur laurea, Caesaris capiti imposita. Ad haec adjicio, Diui tn. adpellationem, de qua superius actum, non semper probare, illum, cui tribuitur, vita iam functum fuisse, vti exemplis aliquot euincit Cel. *G. D. Hoffmann*, I. V. D. & Prof. P. O. in Vniversitate litterarum Tubingensi; vid. Obseruatt. eiusd. miscellas, germanico sermone scriptas, P. III. Obseruat. III. §. 18. & 19.

(d) *Fr. Mediobarbus Biragus*, in Opere inscr. *Imperatorum Romanorum Numismata &c.* ex Edit. *Ph. Argelati*, p. 7. numum refert, qui cum nostro conuenit; sed notandum etiam, in descriptione *Mediobarbi* occurrere, quod, si exacta fuerit, differentiam a nostro innuere videatur. Dabo integram: A. (*Diuus Iulius*, Caput Iul. laur. alii cum comete. R.) *Imp. Caes. Traian. Aug. Ger. Cac. P. P. rest.* victoria stans, sinistra caduceum tenens, ad cuius pedes serpens. I. neglexit Cel. Autor in anticae partis descriptione notare, quod latus respiciat Caesaris facies, vt proinde heic nihil determinari queat. 2. victoria in nostro graditur, a dextris laeuam versus. 3. Nihil affert de manus dextrae actione, quo efficitur, vt, qui scrupulosius ista rimantur, de istius cum nostro numo conuenientia, dubii haerere possint.

Digitized by Google

praeter binos supra iam allegatos testes. Primum igitur erit de aduersa numi parte agendum. Facies *Iulii*, conuenit cum iconibus eiusdem aliis in numis obuiis, licet cum *Oiselio* (*e*) plerisque Autoribus hac ratione *Suetonii* descriptio videatur confutari, qui *ore fuisse pleniore Caesarem* tradit, quem tamen macilentum exhibent imagines in numis expressae. Sed qui plura de his desiderat, vid. *Recherches curieus. d'antiquit. Diss. XXIV. Suetonium* tamen cum numis in concordiam, praeeuntibus Cell. *Grutero* & *Burmanno*, reducere tentat V. Doctiss.

(*e*) v. Thesaurus selectorum numismatum antiquorum, quo praeter Imagines & seriem Imperatorum R. a C. Iul. Caesare, ad Constantinum M. vsque, quicquid fere monumentorum ex Romana antiquitate in Nummis veteribus restat reconditum est. Cum singulorum succincta descriptione & accurata enarratione, Auctore *Iac. Oiselio*, Ic. Amstelod. 1677. Ad Tab. I. n. 1. sqq. notat. *Oiselius*: cernitur in eo (numo) Caput *I. Caesaris* laurea redimitum cum Luna falcata post ceruicem. *Suetonius* eum fuisse scribit *excelsa statura*, *colore candido*, *teretibus membris*, *ore paullo pleniore*, *nigris vegetisque oculis*. In omnibus tn. numis imago eius exhibetur filo oris paullo tenuiore & oblongo collo, adeoque macilenta potius, quam succulenta. Inter alia vero, quae S. P. Q. R. illi decreuit, hoc maximi momenti fuit, quod Imaginem eius ἐς τὰ νομίσματα ἐναχάραξαν, in numismata sculpserunt, notante Dione Lib. 44. quod nemini Romanorum antea contigit.

Doctiſſ. *I. A. Erneſti*, in notis ad *Suetonium*, ipſius opera adcuratiſſime editum. p. 38. Laureatus adparet *Caeſar*, vti & alii R. Imperatores. Sed hoc ſingulare notatum fuit in Caeſare, ipſum caluitii deformitatem iniquiſſime tuliſſe, (quam ſc. ſaepe obtrectatorum iocis obnoxiam fuerat expertus,) (*f*) ideoque & deficientem capillum reuocare a vertice adſueſſe, & ex omnibus, decretis ſibi a Senatu populoque honoribus, non aliud, aut recepiſſe, aut vſurpaſſe libentius, quam ius laureae perpetuo geſtandae; verba ſunt *Suetonii* iam citati. *Diuus* adpellatur *Iulius*, in numo hoc, Caeſar, quem poſt mortem in deorum numerum eſſe relatum, quam plurimis, ex omni genere, conſtat monumentorum teſtimoniis. Neque mortuo demum, ſed & viuo ipſi, *Suetonio* teſte, ſolenni S. C. ampliora humano faſtigio, immo omnia diuina atque humana fuerunt decreta. (*g*) Apotheoſis

(*f*) Vid. *Suetonius* in Caeſ. Cap. 45. & 51. quo poſteriore loco Scomma obiectum ipſi a militibus, per Gallicum triumphum, commemorat:

„*Vrbani ſeruate vxores; moechum caluum adducimus.*„

(*g*) Conf. *Suetonius*. Cap. 76. „Praegrauant tamen caetera facta, dictaque eius, vt & abuſus dominatione, & iure caeſus exiſtimetur. Non enim honores modo nimios recepit, vt continuum Conſulatum, perpetuam dictaturam, praefecturamque morum, inſuper praenomen *Imperatoris*, cognomen *Patris Patriae*, ſtatuam inter Reges

theosis vero, s. consecratio, eminenti dicta sensu, mortem eius demum secuta; non quidem, vt nonnullis videbatur, *Augusto* autore: sed, antequam rerum ille potiretur, instigante praesertim *M. Antonio* Triumuiro, solennia consecrationis a S. P. Q. R. decreta: Memoriam huius rei non modo scriptores historiae Romanae, sed marmora etiam conseruant, & numi quam plurimi. Longum foret omnia referre autorum testimonia; pauca excerpam, vice omnium exhibenda. *Suetonius*, aliquoties citatus, non *diuum* modo adpellat *Iulium*, in principio libelli; sed & omnia, quae ipsi decreta erant *diuina*, enarrat. Diuinam ipse sibi arrogabat originem, quam in laudatione amitae *Iuliae* Romae habita, *Suetonio* referente, ita exposuit: *amitae meae Iuliae, maternum genus ab regibus ortum, paternum cum diis immortalibus coniunctum est. Nam ab Anco Martio sunt Marcii reges, quo nomine fuit mater: a Venere Iulii, cuius gentis est familia nostra. Est ergo in genere & sanctitas regum, qui plurimum inter homines pollent, & ceremonia deorum, quorum ipsi in potestate sunt reges.* Quae

ges, suggestum in Orchestra: sed & ampliora etiam humano fastigio decerni sibi passus est, sedem auream in curia & tribunali, thensam & ferculum Circensi pompa, templa, aras simulacra iuxta Deos, puluinar, Flaminem, Lupercos, appellationem mensis e suo nomine.„

Quae a Poetis etiam adoptata opinio, non vno eorundem effertur loco. Immortalis gloriae *Virgilius*, Aeneid. L. I. deprecantem filii *Aeneae* apud *Iouem* fata inducit *Venerem:*

Nos tua progenies, caeli quibus annuis arcem &c.

Cui assentit prolixa responsione Iupiter, & fata & diuinitatem etiam confirmat, de *Iulio* vero inprimis addit:

Nascetur pulcra Troianus origine Caesar,
Imperium oceano, famam qui terminet astris,
Iulius, a magno demissum nomen Iülo.
Hunc tu olim caelo spoliis orientis onustum
Accipies secura: vocabitur hic quoque votis.

Quod S. P. Q. R. iam factitarat, idem postea confirmauit *Augustus.* Hinc ad Venerem Iupiter, apud *Ouid.* Metam. L. XV.

Vt deus accedat caelo, templisque colatur,
Tu facies, natusque tuus, qui nominis haeres,
Impositum feret vnus onus, caesique parentis
Nos in bella suos fortissimus vltor habebit.

Vnde & ipse *Augustus*, adoptiuus Caesaris filius, & eiusdem adoptiui, tum in numis, tum in marmoribus, *Diui filii*, *Diui nepotes*, appellantur. Testis celeber ille *Secusinus* arcus, in quo: *Imp. Caes. Augusto. Diui Filio.* quem vid. ap. Ill. *Scip. Maffeo*, in *Museo Veronensi.* p. 233. vbi & duo marmora ex Herculani ruderibus eruta, p. 350. afferuntur, quibus inscriptum: *Diuo. Iulio.*

Iulio. Augustales. Numorum vero, hanc *Iulii* diuinitatem loquentium, ingens est copia, a Viris Cell. *Patino*, *Vaillantio*, *Morellio*, *Mediobarbo*, aliisque collecta, quos recensere nimis foret prolixum. Referunt vero illi, vel nomen: *Diuus*, & *Diuos Iulius*: vel *Augustum Diui filium*, vel alia diuinitatis huius testimonia. (*b*) Graeci vero nomine

(*b*) Tales numi in numophylacio Ducali occurrunt non pauci. Praeter aureum, de quo hae praesertim agunt paginae, alius ibi seruatur aureus, cuius auersa offert, C. Iulii Caesaris laureatum, & Caesaris Augusti nudum, sese respicientia capita; post Iulii caput legitur: DIVOS. IVLIVS. post Augusti: DIVI. F. ilius. Auersa autem, in area, caeterum nuda, habet: M. AGRIPPA. COS. DESIG. Praetereo istos omnes, qui appellationem *Diui Filius* praeferunt, vel *Diui nepos*, vti *Augusti*, *Tiberii* & plures inueniuntur. Alios modo adducam, in Thesauro Wirtembergico seruatos, alia huius apotheoseos monumenta exhibentes. Primo, qui diuinae originis, quam Iulia gens iactabat, indicium referunt, praesto sunt in numis familiarum; e. g. vnus argenteus, in cuius antica; caput Romae galeatum (vel, si mauis, veneris victricis, vt opinor,) dextrorsum conuersum, supra caput littera C. pone illud: CAESAR: in postica: Venus in curru stans, quae a duobus amoribus volantibus, versus dextram numi oram, vehitur, dextra sceptrum, sinistra habenas tenens, infra lyrae figura, superius littera C. in imo: L. ucius. IVLI. us. L. ucii. F. ilius. Duo alii huic similes, ab eodem distinguun-

nomine Θεος, insignes comparent. Sunt &, in quibus Apotheoseos apud Romanos signum, Capiti adposita stella, ad quos referri potest, *Silii Italici* locus, L. XIII.

——— Ille Deûm gens
Stelligerum attollens apicem, Troianus Iülo
Caesar auo. ———

De stella tamen, quae sola etiam maior nonnunquam,

stinguuntur, supra scriptis litteris E. & R. A Venere genus duxisse *Iulios* ipsis dictatoris verbis, ex *Suetonio* allatis, constat, & huc referendos esse hos numos, post alios asseruit Doctiss. *Sig. Haverkampus* in Thes. Morell. de num. Fam. T. I. p. 202. ad Tab. I. gentis Iuliae, in qua eiusmodi numi aeri exhibentur incisi, & erudito commentario illustrati. Non erit intempestiuum heic notasse, licet plures huius typi numos attulerit Cl. *Morellius*, variis notatos litteris, qui allegatas a nobis praeferat, apud eundem spectari nullum. Neque tn. diffiteor, tertium e nostris, littera R. insignitum fidei mihi esse suspectae. Vnicum vero tantummodo affert huius typi numum Cel. *Vaillant* de Fam. T. I. p. 502. n. V. Alius huc faciens in Gaza Ducali est, qui a *Morellio* & *Haverkampo* l. c. Tab. I. n. V. repraesentatur & exponitur. p. 204. In anteriore parte Caput Veneris refert sinistrorsum spectans, sine epigraphe, in auersa vero facie, *Aeneas* cernitur dextrorsum currens, qui dextra manu Palladium sustinet, humero sinistro patrem Anchisem; pone istum linea recta verticali a summis ad ima decurrens legitur nomen, CAESAR. Eodem modo huc facit,

quam, in auersa numorum parte adparet atque crinita, qualem ap. autores expressam videas passim, & in numis etiam Duc. numophylacii occurit, obseruat Argentinae decus Cel. *I. D. Schoepflinus*, in doctri-

facit, qui aduersa parte caput refert Veneris sinistrorsum conuersum, in auersa vero duplex Cornu copiae colligatum surgentibus ex isto & vtrinque dependentibus floribus & fructibus, infra vero adscripta littera Q. vid. etiam *Haverkamp.* in thes. Morell. T. I. Tab. I. g. Iul. N. VIII. p. 204. Praetermitto plures alios, breuitatis caussa, eodem Veneris capite insignes. Vnum, e nostris, argenteum, qui maxime huc referendus, praetermittere non possum. Refertur iste etiam a Cl. *Morellio* & *Haverkampo*, Tab. VII. G. I. N. III. & p. 215. explicatur. Huius ipsa referam verba: „A) CAESAR. III. „VIR. R. ei. P. ublicae. C. onstituendae. Caput Caesa„ris Octauiani nudum.
„R) Sella curulis, supra quam laurea reposita cernitur. „Ipsi sellae inscriptum est: CAESAR. i. DIC. tatori. „PER. petuo.
„Recte viri docti sellam hanc curulem cum imposita „corona ad honores Caesari dictatori decretos referunt, „prout apud *Vrsinum*, *Vaillantium* & *Spanhemium* cerni „potest; de quo more plura dicemus ad ipsius Caesaris „nummos. Coronam illam ex auro & gemmis fuisse „docent scriptores, laureae tamen habuisse imaginem „non absurde suspicatur *Vrsinus*, addo baccas laureae „ex gemmis potuisse confici, & ita lauream illam ad„pellari potuisse coronam ex auro & gemmis. Notari „quoque velim pedes sellae curulis, qui non simpliciter „sunt

Digitized by Google

doctrinae plenissima de Apotheosi Impp. dissertatione, illam non vulgatum diuinitatis acceptae signum, sed inprimis cometae monumentum habendum, quem per septem dies, quibus in honorem

„sunt facti, vt in aliis sellis curulibus, verum ad instar „cornu copiae, quibus ipsis magnificae Caesaris largitio„nes atque munera Cerealia, ab illo, tamquam Deo, „data populo, exprimi potuerunt. In Traiani praeser„tim & Hadriani, aliorumque Imperatorum nummis, „hanc sellarum sedilium picturam imitati deinceps sunt „monetarii.„

Alios adiungo duos priori, huc facientes, eosque pariter argenteos, in gaza Ducali asseruatos. In primi parte aduersa conspicitur caput corona ornatum quernea, dextrorsum spectans, cum epigraphe, ante faciem, CAESAR, pone caput, AVGVSTVS. In parte auersa, stella posita octo radiorum, quae totam numi explet aream, ex istis radiis superior, ille qui cum inferiori verticaliter secat aream, crinitus apparet; inscriptio ita posita est, vt in linea decurrat transuersim, verticales radios, quos dixi, ad angulos rectos secante. Conuenit igitur cum eo, quem *Morellius* & *Hauercampus* l. c. Tab. VII. N. V. exhibent, praeterquam, quod in Morelliana epigraphe oblique decurrit inter radios descriptos. Eodem etiam modo illum exhibet Cl. *Vaillant*, in Num. Gentis Iuliae. Tab. 76. n. 61. Differt itaque noster ab vtriusque typo. Secundus exhibet in antica caput sinistrorsum spectans, & quernea corona insigne, cum eadem epigraphe, post Caput: CAESAR, ante faciem, AVGVSTVS. Postica cum priori conuenit per omnia. Hunc pariter

Digitized by Google

norem *Caesaris* ab *Augusto* ludi dabantur, visum & diuinitatis acceptae argumentum habitum fuisse, referunt autores. Non vero in numis solum, sed & in gemmis simile apotheoseos spectamus signum. In Iaspide, n. 178. Musei *I. de Wilde*, & Sarda, n. 110. Gazophylacii *Ebermeyeriani*, caput *Iulii* obseruatur, cum stella capiti praefixa. Illustre monumentum est quoque, quam Cel. *Begerus*, e Museo Brandenburgico produxit, (*i*) & Doct. *Schoepf-linus*

pariter delineatum cernimus in Thesauro Morelliano, Tab. 7. G. I. lit. E. Deest vero in tabula citata *Vaillantii*. Liceat ipsa *Hauerkampi*, de his numis, afferre verba: „Augustus, victo ad Actium Antonio, & solus re„rum potitus, ostendere hoc & pluribus eiusdem ge„neris numismatis voluit, mortem patris sui Caesaris „iam omnibus modis esse vindicatam, seruatorem sese „ciuium merito esse appellatum, adeoque patri quidem „in caelis inter astra honorem, sibi in terris obtingere, „vt qui diuisum imperium cum Ioue haberet, post fa„ta inter sidera quoque recipiendus.„ Supersedeo enumerandis aliis pluribus, & argenteis & aereis, qui ad hoc argumentum referri possunt, numis, ne nimium haec commentatiuncula excrescat.

(*i*) In Thesaur. Brandenburg. T. I. p. 117. Ceterum plura etiam de Apotheosi Caesarum priorum, *Augusti* praesertim & *Tiberii*, congesta videas in Thes. Morelliano, s. Comment. ad XII. priorum Impp. Numism. T. II. Append. p. 41. de Achate Tiberiano, & p. 53. de Gemma Augustea. Quae monumenta egregia T. III. aeri exhibentur incisa.

Digitized by Google

linus l. c. pariter exhibuit, gemma. In illa ſc. *Iulius* globo inſidens ſtellato, laurea redimitus, ſiniſtra ſimilem tenens coronam, dextra vero ſcipionem, ſcalptus cernitur. Arae etiam, fana, templa nouo deo decernebantur, ſacrificia offerebantur, flamines ordinabantur, quorum omnium conſeruatam numis ſpectare licet memoriam. Memorabile ſane ſacrificium eſt, crudele illud & famae *Augusti* omnino exitiale, quod Peruſia capta, Idibus Martii, quibus *Iulius* erat interfectus, manibus eius obtulit *Octauius*, de quo *Suetonius c. 15. Oct. Scribunt quidam, trecentos ex deditiis electos vtriuſque ordinis, ad aram diuo Iulio exſtructam, Idibus Mart. hoſtiarum more mactatos.* In ipſo foro Romano, loco quo combuſtus erat *Iulius*, ara poſita, columnae forma, quam apud Iuſiurandum fieri ſolitum, memorante nouimus *Tranquillo*; de qua *Dio Caſſius* etiam ſenatum decreuiſſe refert, L. 44. τὴν αὐτȣ̃ τύχην ὀμνῦναι. Cuius, nouo huic Deo ſacrati templi, numiſmata ſeruarunt memoriam, poſtquam illud ipſum, pauca ſi excipias rudera, temporis & fatorum Romae ſaeuitie, dudum ſuis ſepultum latet ruinis. Meretur heic eo fine nominari numus, in Muſeo *Theupoli*, p. 51. deſcriptus, cuius aduerſa pars habet: *Imp. Caeſar. Diui. F. III. Vir. iter. R. P. C.* circa caput *Augusti*; pars auerſa vero exhibet templum, in quo *Iulii* velati ſignum, d. lituum ten. in periſtylio vero

vero inscr. *Diuo Iulio*; desuper astrum, & ad latus dextrum ara ignita, verbis circumscriptis in numo, *Cos. iter. & ter. desig.* Hoc vno sc. in numo pleraque huius simul adparent diuinitatis signa. Referri potest sine dubio hic numus ad id, quod *Dio* etiam prodidit memoriae, *Iulii* statuam in Pantheon, ab *Agrippa* exstructo, fuisse collocatam. De templo Caesari sacrato inprimis conferri meretur splend. opus *Bernh. de Montfaucon*, cui tit. fecit: *Antiquitas explanatione & schematibus illustrata*, vbi T. II. P. I. L. II. C. 17. §. 11. in eo est Vir eruditissimus, vt opinionem suam, quam antea in diario Italico proposuerat, tueatur, situm sc. fuisse *Caesaris templum* in foro, iuxta *templum concordiae*, cuius rudera in decliui Capitolii hodienum spectanda, & tres illas columnas in foro (*nel campo vaccino*) superstites, reliquias esse porticus templi Iuliani, quod & argumentis magnum habentibus pondus confirmat. Habuit & sacerdotes putatiuus hic deus. In Lupercis Iulii *M. Antonium* refert *Plutarchus*; in flaminibus vero *D. Iulii* eundem nominat *Antonium Cicero*, qui eidem hoc exprobrat in oratione Philippicarum secunda. Inscriptio etiam ab *Onuph. Panuinio* excitata, *M. Publicium Calpurnianum*, & *L. Acutium Diui Iulii* flamines appellat. Sed haec de apotheosi Caesaris sufficiant, ne illis, quae de auersa parte numi commemoranda restant, praecludamus locum.

Digitized by Google

Typi explicationem, qualis a *Vaillantio*, aliisque post ipsum, tradi solet supra retulimus. Peruulgatum vero est, victorias Imperatorum, terra marique partas, frequenter & sollicite a Romanis suis etiam celebratas fuisse numis. Numismata cum inscriptione, e. g. *victoria Augusti*, *Armenia deuicta, de Germanis, de Iudaeis, Iudaea capta, Parthia capta &c. &c.* id magno vtique consensu loquuntur. Possunt his addi multiplex victoriae figura & habitus in iisdem, variaque ipsi adiecta, rem vlterius declarantia signa, quae omnia prolixe & mirabili cum eruditione tractata legas in *Illustr. Ezech. Spanhemii* Diss. de vsu & praestantia numism. T. II. p. 634. sq. Edit. in fol. Quae victoriae, cum in hoc, tum in aliis bene multis numis, additae sunt alae, (*k*) non deam modo, qualis illa colebatur Romae, notare mihi videntur; sed & ad illam potissimum eius pertinere indolem, qua & Consilii & conflictus celeritate solet obtineri. Quod quidem in Caesaris quam maxime conuenire victorias, est abunde notum, qui fluminis instar praecipiti cursu labentis, non Reip. modo R. hostes, sed ipsam maxime Reipublicae potentiam, totius orbis antea victricem,

(*k*) Alata cmmmuniter effingebatur, & apud Graecos & Romanos, victoria: sine alis tn. interdum fuisse effictam, & inuolucrem, ἄπτερον dictam, ostendit Clariss. *Laur. Bergerus*, ad Gemmam hac figura insignem, in Thes. Brandenburg. T. I. p. 51.

cem, breui spatio fregit & soli sibi subiecit. Cuius etiam illud praesertim de bello aduersus Bospori regem *Pharnacem*, circumfertur: *veni, vidi, vici*; & a quo, vti Antiquariis est notissimum, adulterinos nonnullos in Caesarem effingendi numos, a quibusdam arrepta est occasio.

Caduceus, quem manu tenet fortuna, *Mercurii* alias & pacis caussa legatorum insigne, quod quidem Antiquarii communi stabiliunt consensu, partam Romae, victoriis *I. Caesaris*, pacem, ex mente *Augusti*, statuimus designare. Variis ceterum pax etiam symbolis in Caesarum numis cernitur indigitata, de quibus adcurate pro more differuit *Ill. Spanhemius* l. c. p. 641. vbi praesertim insignem profert *Titi* numum, in quo stans muliebri habitu pax cernitur, quae dextra spicas, sinistra caduceum praefert, cum nomine adscripto ᾿ΕΙΡΗΝΗ, quam pacis iconem illud illustrat *Tibulli*:

At nobis pax alma veni, spicamque teneto.

Serpentem quod attinet, quem versus caduceum protendit victoria, notum est, diuini quid inesse huic animantium generi credidisse Aegyptios, quorum ad reliquas etiam gentes manauit opinio, quod idem Vir illustris exponit, T. I. p. 221. sqq. Quapropter tutelarium etiam deorum symbolum fuerunt serpentes & passim religioso cultu apud gentiles habiti, vt Cel. *Hauerkamp* in descr. Musei Ser.

Suecor. reginae *Christinae* p. 264. asseuerat. Imperii vero etiam apud Aegyptios praesertim symbolum fuisse serpentes docet Cel. *I. I. Bayer*, in Gazophyl. Ebermayer. P. I. p. 17. n. 3. quod & omnino in partum sibi a *Caesare* Romani orbis imperium optime potest conuenire. Neque absurdum erit vtramque coniungere interpretationem, & serpentis figuram ad Apotheosin *Iulii*, de qua supra, suo modo etiam referre. Forte *Augustus* Genium sibi & tutelarem deum indicare simul voluit *Iulium*, qui quidem singulari omnino diuum hunc patrem suum prosecutus est cultu. Cel. certe *Montfaucon* l. c. T. I. hoc satis videtur confirmare: *Genii*, ait, *aliquando serpentum forma depicti sunt; infra certe* (Tab. CCI.) *serpentem videbimus in veteri monumento, cuius inscriptio Genio Augustorum.* Ausus sum eo magis hanc, de serpentis in numo icone, subiicere coniecturam, cum nullam eiusdem interpretationem apud eos, qui de isto egerunt, offenderim autores. (*l*) Bullam denique praetendere, dicitur a *Vaillantio*, fortuna manu dextra & ori admouere,

(*l*) Qui plura de serpentis symbolo congesta videre amat, inueniet in *Ioh. Pierii Valeriani* Hieroglyphicis, 4. Francof. 1688. vbi liber XV. agit, de iis, quae per serpentem in aliquot signis, (militaribus deque Caduceo ad rem ipsam, significantur, ex sacris Aegyptiorum litteris Praeter alia, quae huc non faciunt,) significari ait hoc symbolo, Imperatorem, C. I. Orbis Dominum. C. V. Regem Opti-

mouere, quasi eandem, vt principis imagine insignitam deosculatura. De hac viri doctissimi sententia monenda supersunt nonnulla. Primo quidem de hoc, bullas imagine principis signandi, more, non adeo constat: nihil certe de isto refert, qui prolixe hanc materiam tractat Cel. B. de *Montfaucon* l. c. T. III. Ex *Macrobii* vero *Saturn.* L. I. c. 6. docet, triumphantium gestamen fuisse primo aureas eiusmodi bullas, & insignis magnitudinis bullam triumphalem e thesauro *Chigiano* profert ibidem Cel. *Montfaucon*, cui *Catuli* nomen inscriptum, quamque ad *Q. Lutatium Catulum*, qui de Cimbris & Teutonibus cum *C. Mario* triumphauerat, vir eruditissimus censet referendam. Egregie igitur haec facere videntur ad figurae, in numo nostro, illustrationem. Sed & figurae a Cel. *Vaillantio* datae & descriptioni contradicit doctiss. *Haverkampius*, in Thesauro Morelliano a se tandem in publicam lucem, post tot vanas eruditorum exspectationes, feliciter edito. Affert sc. is schema Cel. *Morellii* acuratissime delineatum, Tab. VIII. Lit.

Optimum. C. VIII. Regem tutelarem. C. IX. Heroem. C. X. Amplitudinem nominis. C. XII. Dominium. C. XIII. Asiam. C. XIV. De caducei vero significatione, huc facientes, tituli afferuntur sequentes: Minae, Paxque. C. XLIII. Terra. C. XLIV. Concordia. XLV. Pax. C. XLVI. Felicitas. C. XLVII. Eloquentia. C. XLVIII. Sapientia. C. XLIV. Vera disciplina. C. L.

Lit. I. n. 4. quam similem figuram *Claudii* etiam numos, tum ibidem, tum in numis aureis *Cels. Ducis de Croy*, referre vidimus ipsi. Non alienum erit verba viri Cel afferre integrade hoc, numo seq. modo differentis: *Caput Iulii Caesaris laureatum, quod sine laurea Vaillantii caelator exhibuit, incuria illud factum fuisse adparet, ex ipsius Vaillantii inscriptione. Imp. Caes. Traian. Aug. Ger. Dac. P. P rest. Victoria pacifera, gradiens, dextra vestem ad pectus attolit, laeua demissa caduceum alatum gestat, ad pedes progreditur serpens. Perperam Vaillantius de bulla cum principis imagine, quam sc. deosculetur victoria, disputat. T. I. p. 530. Fam. & in Num. Impp. p. 6. est enim lacinia vestis, quam ad pectus adtollit victoria, vti passim Nemeses in Smyrnaeorum numis depingi solent, atque ipsa baec victoria pacifera depingi solet in numis praesertim Claudii, & deinde aliorum quoque Imperatorum. Claudium inprimis nomino, cuius numi tales ex auro exhibentur in numis eiusdem T. II. Tab. IV. n. 13. ex argento Tab. V. n. 11. 12. vnde suspicor, denarium hunc aureum, quem diui titulus docet post mortem Iulii signatum fuisse, cusum fuisse iussu Claudii Imperatoris, qui genus suum ad Iulium quoque referebat. Praeclarum illud monumentum intercidere noluit Traianus, quare signatum iam antea (quod non aduertit Vaillantius) numum, & a Claudio, (vt nos opinamur) profectum, restitui curauit,*

qui

qui intercidisset plane, nisi Traiano procurante restitutus superesset. Typus victoriae paciferae docet acquiri victoriam prudentia & felicitate, pacem vero reddi non posse, nisi excisis qui turbent quietem publicam.

Licet delineationes alibi obuiae *Vaillantianae* sententiae faueant, huic tamen Cell. *Morellii & Hauerkampii* sententiae accedere me iubet propior, ipsius numi in Thesauro *Ser. Ducis* examinati, conspectus, quo etiam vt multis aliis argumentis didici, quantum adcuratione, in examinandis & delineandis his veterum monumentis, antiquarios doctiss. olim *Morellius* superauerit omnes. De tempore tn. quo cusus fuerit hic numus, non conuincimur argumento Cel. Hauerkampi; figura certe similis non in solis *Claudii*, sed aliis etiam occurrit numis; & nemo maiori cura diuinitatem *Caesari* partam diuulgauit, quam *Augustus*, quod abunde vel ex superioribus potest constare. Vnde ad hunc potius *Diui*, vt vocatur, *Iulii filium* referre malim, quam ad vllum ex R. Imperatoribus alium. (*m*) Quid tandem *Nemesis dea*, in

(*m*) Quum solo hoc argumento nitatur Cel. *Hauerkamp* coniectura, de tempore, quo primum fuerit cusus hic a a *Traiano* posthac restitutus numus, quod in Claudii maxime numis figura haec victoriae cum serpente frequentius spectanda occurrat, non esset difficile istam refutare, nostram

in antiquorum indigitet numis, in Cl. *Patini* videas Imperatoribus p. 5. Et facile nos induci patimur, vt credamus, iustitiam simul victoriarum *Caesaris* & vindictae de hostibus sumtae, ab *Augusto* indicatam fuisse: qui sane si *Iulium* vicissent, non minus suam defendi debere censuissent causam. Ipse quidem *Caesar* post pharsalicam aciem ita iudicabat, qui *Asinio Pollione* teste, vti *Suetonius* refert c. 30. prospiciens aduersarios dixerat: *hoc voluerunt; tantis rebus gestis C. Caesar condemnatus essem, nisi ab exercitu auxilium petiissem.*

Quae de inscriptione partis auersae supersunt, paucissimis expediam. Memoriam *Caesaris* magni faciens numisma hoc, exemplo *Titi*, qui plura Decessorum renouauerat, restitui curavit *optimus* Romanorum princeps *Traianus*. De nomi-

nostramque confirmare opinionem, si antiquiores produci possent numi, eodem insignes typo. Est quidem in aereis *Augusti* numis, a Praef. *Clouilio* vulgatus, quem Tab. V. refert Cel. *Gesnerus*, in Thesauro Numismatico, nostro ex parte similis, quippe qui Palladem vel victoriam humero trophaeum, & brachio aegidem gestantem praefert, cuius ad pedes deuoluitur serpens, qui tn. nondum sufficere videtur ad id probandum, quod est in quaestione. Plures vero, eodem quo noster typo illustres in *Claudii* obuersari numis, negari non potest. Graecum etiam similem affert Doctiss. *Schulzius*, in den Zusaezen zur allgem. Welthistorie. T. V. §. 115. p. 412.

nominibus *Traiani*, *Caesaris*, *Augusti*, *Germanici*, *Dacici*, ob victorias de his populis reportatas, a Senatu concessis, nihil hoc loco dicam. Hoc tamen non prorsus erit praetereundum, *Dacici* nomine tempus cusi, vel potius restituti huius numi, propius determinari. Deuicto *Decebalo*, formidato illo Romanis hoste, *Dacorum rege* & ad ineundam ex Senatus arbitrio pacem coacto, *Dione Cassio* teste hoc *Traiano* additum fuit nomen. Incidit autem illa victoria & pax in Consulatum *Traiani* IV. *S. Articulaeo Paeto* ipsi Collega dato, qui annus secundum *Fastos Capitolinos* est A. V. C. 853. Sec. *Varronem*, 854. a Christo n. 101. Parthici cognomen, quod Armenia & Parthia capta ipsi fuerat inditum, hic nondum comparet: vnde persuasum mihi est, non multo post annum supra memoratum numisma, de quo loquimur, a Traiano fuisse restitutum. (n) Vnum superest Patris Patriae

(n) Quod ad tempus attinet restituti a *Traiano* Imp. huius numi, si ex *Dacici* adpellatione coniectura duci debeat, sequenti ratione, ex mente Cel. *Mediobarbi*, deducendus erit calculus. a) Consulatum Traiani quartum, *Varronem* secutus, is ad annos V. C. refert, 854. 855. & 856. quibus annis Consules fuerunt *Traianus* IV. & *S. Articuleius Paetus*; *C. Socius Senecio*. III. & *L. Licinius Sura*. II. *Suranus* II. & *P. Neratius Mercellus*. *Traianus* vero hoc posteriori designabatur Cos. quintum Anno, e tribus, quos nominaui, primo *Decebalus* victus; secundo pacem

Patriae cognomen, Traiano etiam attributum, & his quoque numis memoriae proditam. Nullum vtique principe, atque eo etiam, qui Senatus populique consensu *Optimus* erat adpellatus, dignius inueniri potest, quam hoc ipsum nomen: nomen nostram sane venerationem eo magis exposcens, quo certius isto communem nostram felicitatem & fundari & augeri quam plurimis & euidentissimis & dulcissimis didicimus, ex quo principem nobis concessit DEus, qui vere diuina indole, non ethnico illo sensu, sed qualem duce scriptura & ratione intelligere debemus, praeditus, bene faciendo patris mauult quam domini gloriari encomio. Hac inductus cogitatione, die hoc, quo de recurrente optimi principis natali gaudia & vota iungere com-

munia

a *Traiano* per legatos petiit, qui a *Traiano* Romam ad Senatum ablegati, redeunte ipso Imperatore ad vrbem; tertio pax a Senatu firmata, *Traianus* Imperator IV. & *Dacicus* dictus, triumphum de Dacis egit. Constat ex his ante A. V. C. 856. numum nostrum non esse factum. *Parthici* vero cognomen *Traiano* non nisi A. V. C. 868. Christi 115. inditum fuisse, idem *Mediobarbus* asserit, p. 161. postquam Armenia & Mesopotamia in prouincias Romanas essent redactae. Versatur proinde numi nostri aetas, inter Cardines annorum ab V. C. 856. & 868. quod sufficere hactenus potest, cum propior temporis determinatio nulla nobis alia ratione suppeditetur.

Digitized by Google

munia nobis eſt animus, non magis congruum reperiri poſſe orationis credidi argumentum, quam hoc ipſum *Patris Patriae* nomen, Ser. Duci quam maxime debitum. Ipſa & occaſio ſermonis & argumentum inuitant omnes, qui Principi, qui patriae, qui ſcholae etiam noſtrae bene cupiunt, & vel imperito quoque oratori patientiam, veniam, fauorem ſpondere & animum, graui alioquin negotio vix parem futurum, addere poſſunt.



EX-

Digitized by Google



EXCERPTA

EX RARIORI

COLLECTIONE WIMPHELINGIANA,

ARGENTORATI MDVII. in 4.

APVD

IOHANNEM KNOBLOVCH

EDITA.

OPERA

Caroli Buttinghausen

Hist. & Eloquent. Prof. P. O. Heidelberg. & Societ. Scient. Duisburg. Sodalis.



Mentio huius libelli aliqua occurrt apud Cel. *Schoepflinum*, *Vind. Typogr. cap. X.* §. *19. p. 108.* ita scribentem: *Ioh. Knobloch A. 1507. Seb. Brand Elegiam in mortem Philippi, Regis Castellae, filii Maximiliani I. Imperatoris, impressit.* Ista vero breuior *Elegia* coronidis demum loco adiicitur. Cumque nostra, quae

Wim-

Wimphelingio (o) curante, prodiit collectio varia non tantum elegantissimi huius Viri vitam, sed & statum illius temporis literarium spectantia, contineat, haec inde excerpta non adeo ingrata fore confido.

Sequens vero libello praefixus est titulus:

Speculum anime: seu soliloquium: Henrici de Hassia maxi theologi secularis. Contra poetas pro theologis epistola Ioannis Campani. De poetarum infoelicitate carmen Fausti. In theologorum laudem versus eiusdem. Elegia Ioannis pape XXIII. in concilio Constanciensi depositi. Elegia Sebastiani Brant: in mortem Philippi regis Castelle filii Maximiliani regis.

In fine legimus:

Vt christiana iuuentus philosophicas (quas Iulianus apostata odiebat, sciens eas ad christi religionem deseruire) sacrasque litteras discat, poeticas & turpes fugiat. Impressum Argentoraci (p) a Ioanne Knobloucho. XVII. KL. Augusti. Anno. M. D. VII.

Foliis

(o) In Catal. *Bibl. Wickenburgianae* 1754. Francof. edito, p. 96. n. 920. extat *Iac. Wimphelingii Diatriba. Oppenheim* 1510. *in* 4. Cuius *Diatribae* vlteriorem descriptionem peroptarem. Editiones enim *Oppenheimienses* colligere animus est.

(p) WIMPHELINGIVS enim, teste SCHOEPFLINO loc. cit. §. 18. p. 108. pro *Argentoratum* subinde scripsit *Argentoracum*.

Foliis si numerum addas, esset 44. Pagg. tractatus, & quidem in forma, vt aiunt, quarta. Literis, vulgo initialibus dictis, spatium, pictorum ornatui destinatum, relictum est. Varia scribendi compendia inueniuntur, sapius *ae* & *e* pro more illorum temporum inter sese permutantur. (*q*)

Pag. 2. sequentia occurrunt:

Hieronymi Hammerlin in laudem
Heinrici de Hassia & Gymnasii
Viennensis decastbycon.
Austria sis foelix tuque vrbs letare Vienna.
Quę tot conspicuis es redimita viris.

(*q*) Inde illustrari potest nummus *Mariae*, apud IO CHRIST. KVNDMAN *Nummis Singul.* A. 1734. editis, Tab. III, n. 36. cum hac inscriptione occurentes:

MARIE HVNGAR. BOHEM.
EQVAE REGINAE IAM PRO CAESARAE
CARL. V. IN FLANDRIS
EFFIGIES.

De quo Cl. *Kundman* p. 78. ita: Es gehört diese Medaille deswegen hieher, weil auf der Vnterschrift die Königin Maria *Equa*, oder eine *Hungrische vnd Böhmische Stutte* genennet wird. Sed legendum est: *Mariae Hungar. Bohemiaeque Reginae - - effigies.*

Hic

Digitized by Google

Hic buridanus erat medicorum gloria summa.
Hic & Heinricus bassia quem genuit.
Te nicolae fil' de spelte colle magistrum (r).
Et thomam haselbach celsa Vienna tulit,
Atque alios plures quorum volat inclita fama
Doctores celebres theologosque pios.
Quam fuerit feruens heinricus conspice lector:
Hoc opere in paruo nempe videre licet.

Iam de singulis huius Collectionis monumentis ordine agendum esset, sed hoc loco non nisi de Primo, nimirum

De Henrici ab Hassia Speculo Anime.

Pag. 3. 4. vel lit. A. II. *Wimphelingius* sequentem isti speculo praefationem praemisit:

Religioso deoque deuoto fratri Ioanni *de* Hegnevilla *ordinis Premonstratensis Coenobii* Styuaiensis *in diue Odilie monte christo militanti: Iacobus Wimphelingius. Sal. d.*

Dum olim charissime frater F. Petrarcham *de vita solitaria iterum atque iterum relegissem, inuasit me grande fastidium pristine vite ac popularis frequentie, cepitque me mirificus ardor solitudinis, qui indies augebatur: vbi prestantes quosdam viros, & mihi amicissimos, ad idem viuendi genus aspirare,*

(r) Ibidem explicationis gratia additur: Dinckelsbüchel.

re cognoui. (s) *Itaque firmiter apud me decreueram, - - in abstruso hercinie silue heremitorio, peccuta mea multa & magna residuis vite diebus deplangere, - - ac ne prorsus ocio marcescerem, coëpi pro qualicunque solatio meo vitę precepta & breuiorem institutionem pueris (praesertim Argentinensibus) prescribere, Germaniam vtcunque illustrare, patriam & gentiles meos (ob Ciceronis pro M. fonteio orationem) a gallis secernere, regem nostrum Maximilianum extollere, bellicosissimos Heluecios ad beniuolentiam inducere, parochiis (quantum potui) consulere, episcoporum auctoritatem defendere, sacre pagine studium augere, auariciam & luxuriam carpere. Mox emerserunt genimina viperarum, corruptores iuuentutis, optimarumque virtutum osores, qui - - cunctis imo ipsi summo pontifici, omnium christianorum pastori & patri, odiosum me exterminioque dignum reddere studuerunt. - - Ex Argentoraco Kal'. Iulii. Anno. M. D. VII.*

Iam sequitur *Speculum animae* p. 3 - 26. capitulis XV. distinctum, cuius sub finem ita:

Explicit speculum anime (seu soliloquium) aeditum per magistrum Henricum Langenstein de Hassia sacrae theologie professorem saecularem profundissimum: qui sua excellenti doctrina, scriptisque amplissimis, nobilissimum Viennense Gymnasium decorauit.

(s) Hoc de re Conf. ADAMI Vit. Germ. Theol. p. m. 22.

DE

DE LVPODVNO ANTIQVISSIMO ALEMANNIAE OPPIDO COMMENTARIOLVS. (t)

AVCTORE

Marqu. Frehero

ICto superioris seculi celeberrimo primum editus, in Biblioth. Duc. Stuttg. seruatus, ob raritatem iam recusus, notisque illustratus ab *H. G. Clemm.*



Rhenus fluuiorum pater, Romani Imperii ad Septentrionem vna cum Danubio limes, Germaniae contra illos Orbis totius praedones murus & propugnaculum fuit: & sinistra tantum eius ripa Romana. Non *Caesar* peruincere potuit. Momentanea fuit *Drusi* victoria, de qua *Florus* L. IV. Cap. vlt. Victor namque *Drusus* per Rheni quidem ripam L. amplius castella direxit.

(t) Cum superiori iam semestri nouam Commentarii huius editionem cogitare nos scripserimus, *Amoenit. fasc. I. p.* 55. consilium hoc persecuturi ipso iam opere exemplar vel exemplaris potius aliquod simulacrum, proponimus

Digitized by Google

direxit. Breue gaudium (vt ſubiicit), & poſt cladem *Vari*, Imperium in ripa Rheni fluminis ſtetit. Poſtea optabant ſemper, & conabantur, vtramque ſibi ripam ſubiicere: & poetae per adulationem hoc eis ominabantur. *Martialis lib. X.*

Nympharum pater amniumque, Rhene,
Quicunque Odryſias bibunt pruinas,
Sic ſemper liquidis fruaris vndis;
Nec te barbara contumelioſi
Calcatum rota conterat bubulci;
Sic & cornibus aureus receptis
Et Romanus eas vtrâque ripâ;
Traianum populis ſuis & Vrbi
(Tibris te Dominus rogat) remittas.

At

nimus, ab iis exprimendum & ſeruandum, qui libros ſecundae claſſis l. c. rariores, recudendos curant, atque lectorum vſibus accommodandos. Specimen vero eſſe hunc laborem, non opus, omnibus numeris abſolutum, meminerint lectores. Id nimirum hac editione intendimus vt commentarius Freherianus, cum rarioribus ſubinde libris annumeratus, variisque autoribus multum laudatus, nec tamen, ſi, vt ſcriptus eſt, abſque vlteriori commentatione recuderetur, a multis legendus, cum fructu ſiue & prolubio aliquo legi poſſit atqui euolui. Quod vt obtineamus, principem libri ſcopum exponimus, ac praeciſis omnibus, quae ad rem non proxime pertinent, obſeruationibus, licet eruditis, qua & quanta argumentorum vi theſin ſuam corroborauerit, quid

in

Digitized by Google

At vltra Rhenum, vt vt saepe transgredi conati, totiesque repulsi, signa sua figere non illis contigit: (Vt recte non tantum *Ortelius* doctissimus Geographorum in sua tabula antiquae Germaniae & Imperii Romani, spacium vltra Rhenum vacuum reliquerit, sed etiam tabula illa cuiusuis pretii *Pentingeriana*, adscriptis e regione.

Francia, Sueuia, Alemania & Sarmatia: Vide *Velserum in Sched. Peuting.*) non certe ad Nicrum, qui Germaniae aut Alemaniae proprius amnis & barbarus diu mansit; Romanis autem ita ignotus, vt & Moeni, vt nec eius vlla mentio apud Romanos scriptores, non *Ptolemaeum*, non

in contrariam partem iam olim, quid inprimis nostra aetate, quae pluribus rei literariae abundat subsidiis, & dictum sit, & dici adhuc possit, non copiose quidem at distincte ac studiose disputamus; alias enim, quod notum est, libri praesertim rariores, iique optimae notae

- - - - *laudantur & algent;*

immo in tabernis non algent modo, sed & situm contrahunt.

Memoria Viri, inter ICtos superioris seculi magnam celebritatem consecuti, vt vitae eius rationes strictim persequamur, suo quodam iure exposcere videtur. Lucem adspexit Aug. Vindelic. a. 1565. ex prosapia admodum illustri oriundus. Cum Altorfinis Musis, quibus per aliquot annos delectabatur, disputatione publica de transactionibus

 valedi-

Digitized by Google

non *Strabonem*, non *Plinium*, non *Plutarchum*, antiquior extet, quam quod Panegyriſtes *Conſtantini*, pontem Rheni Agrippinenſem a *Conſtantino* M. exſtructum dilaudans, „Rhenus, inquit, „ille non ſolum ſuperioribus locis, ſed & vbi „nouo ponte calcatur, vbi totus eſt, vbi iam „plurimos hauſit amnes, quos noſter ingens flu- „vius, & barbarus Nicer & Moenus inuexit.„ Quod eo magis mirum, cum Germania ab Italia & arce Roma tam remota non fuerit, quam ad Orientem Aſia, Africa, Aegyptus; ad Occidentem & Septentrionem Gallia, Britannia, Hiſpania.

Demum

valediceret, in Galliam conceſſit, *Iacobi Cuiacii* tum temporis ICti celeberrimi auditor futurus, dignus ſane, qui a tanto Viro ſummos in Iure obtineret & honores. Doctor itaque anno aet. 18. creatus, interiecto tempore Heidelbergae Profeſſionem Codicis adiit, ac non multo poſt FRIDERICI IV. Electoris Palatini iuſſu, varias ac tantum non continuas legationes obiuit, quae tamen munera, vt vt ſplendidiſſima fuerint, a Muſis eum vsque adeo non reuocarunt, vt potius conſcribendis libris antiquitates inprimis illuſtrantibus, imino non libris tantum ſed magnis voluminibus, quantum temporis ſupererat, ſtudioſe & feliciter impenderet omne. Diem ſupremum obiit Heidelbergae 1614. quum praeclaris ſcriptis, quorum etiam nonnulla erant poſthuma, memoriam ſui poſteris commendatiſſimam reddidiſſet. Inter Poſtuma eius opera refertur hic ipſe, quem illuſtramus,

Demum *Probum* Imp. scribit *Vopiscus*, cum post *Aureliani* mortem a Germanis Galliae plane possiderentur, & in ripa Rheni Romana securi vagarentur, receptis sexaginta per Gallias nobilissimis ciuitatibus, & prope infinitis millibus hostium occisis, reliquias eorum longe a Rheni littoribus vltra Nicrum fluuium & Albin remouisse, praedam ab eis Romanam cum foenore recepisse. Contra (addit) vrbes Romanas & castra in barbarico solo posuit, atque illic milites collocauit: agrosque & horrea, & domos, & annonam Transrhenanis omnibus fecit, quos in excubiis collocauit. Quam *Probi* victoriam *Vopiscus*, & ipse *Probus* ad Senatum litteris, suo & victorum more, mire extollunt. Parcius Francorum

mus, de Lupoduno commentarius, qui a. 1618. demum, quarto post mortem Autoris anno, Heidelbergae in folio, vt aiunt, in lucem est editus. Quaestio nimirum nec otiosa nec iniucunda, quae praeterea virum in antiquitatibus versatissimum, qualis MARQVARDVS FREHERVS erat, inprimis decuit, circa antiquissimum Alemanniae oppidum mota fuit. In nomine *Lupoduni* conueniebant omnes; sed vbi situm fuerit hoc Lupodunum, acerrime disputabant Geographi. Alii enim, vt *Rhenano* videbatur castellum *Lupfen* in sueuia superiori situm ac iussu Concilii constantiensis 1416. dirutum, Alii, vt *Frehero* placuit, *Laudeburgum* in Palatinatu inferiori idem cum *Lupoduno Ausonii* fuisse oppidum statuunt. Argumenta

Digitized by Google

corum hiſtoricus *Hunibaldus* (quem tamen integrum non habemus) ita ſcribens: „Anno regis „Clodii XIX. venerunt iterum Romani ſub Duce *Probo*, iterumque Francos de Gallia expulerunt: nam magnam Galliae interioris partem „ſeptennio tenuerunt: non paucis bello ab vtraque parte fuſis atque peremtis.„

Probi exemplum ſecutus eſt pari ſucceſſu, *Diocletiani* collega *Maximianus*, qui ſiue Transrhenana expeditione feliciter progreſſus, ſiue e Rhaetiis Romanam ditionem proferens, ad nos vſque ſigna victricia intulit. Quo valde pertinent illa Panegyrici ad hunc *Maximianum*: „Ingreſſus es nuper illam, quae Rhaetis eſt obiecta, Germaniam: Similique virtute Romanum „limitem victoria protulit. Et in Genethliaco „eius-

menta vtriusque partis ſub finem commentarioli ita recenſebimus, vt quae nouiter diſputata ſunt, ſimul adiiciamus. Raritatem & ſummam praeſtantiam libri huius, in Bibliotheca Stuttg. Conſilii Regiminis ſuperioris Ducali cum multis aliis obuii poſt *Biblioth. Hiſtoricam Struvio-Budarianam* p. 1083. FREYTAGIVMQVE in App. libr. rariorum, vel ipſum quoque manuale *Vogtianum* docet p. 286. edit. nouiſſ. 1753. Memini, Virum perilluſtrem & negotiis Imp. Rom. publicis Vindobonae praefectum, ſcriptum hoc quouis pretio a ſe ſoluendum ante aliquot annos ſed fruſtra quaeſiuiſſe. Operae igitur pretium facturos nos arbitramur, ſi noua hac editione luci, qua digniſſimum eſt, publice illud reſtituamus.

Digitized by Google

„eiusdem: Taceo trophaea Germanica in me„dia defixa *Barbaria*: tranſeo *Limitem Rhaetiae* „repentina hoſtium clade promotum. Omitto Sar„matiae vaſtationem, praetereo Francos ad pe„tendam pacem cum Rege venientes, parthum„que vobis munerum miraculis blandientem. Et „poſtea: Laurea illa deuictis colentibus Syriam „nationibus, & illa *Rhaetica*, & illa Sarmatica, „te *Maximiane* fecerunt pio gaudio triumpha„re. Denique ibidem: Sarmaticas veſtras, & „*Rhaeticas* & *Tranſrhenanas* expeditiones, furore „percitae ni ſemel imitentur.„ Item in alio Panegyrico ſiue huic *Maximiniano* ſiue *Conſtantio* (diuerſe enim inſcribitur) dicto: „Partho quippe „vltra Tigrim redacto, Dacia reſtituta, porre„ctis vſque Danubii Caput Germaniae Rhaetiae„que Limitibus, deſtinata Batauiae Britanniaeque „vindicta, gubernacula maiora quaerebat aucta „atque augenda Reſpublica.„ *Libanius* in Monodia *Iuliani*: Ὦ γλυκέιας ἀκοῆς, ἣν ἀπὸ τῆς Ἑσπέρας ἡ Φήμη Φέρυσα τὰς πόλεις ἐύφραινε, μαχὰς καὶ τρόπαῖα καὶ Ρῆνον πλεόμενον, καὶ Φόνον κελτῶν, καὶ αἰχμαλωτὺς λαμβανομένυς, τὺς δὲ πρὶν Ῥωμαίων ἁλόντας ἀποδιδομένυς, καὶ Φόρυς ἐκ πολεμίων, καὶ τὰ κέιμενα ἀνιςάμενα. Quid quod victoriae huius monimentum in ipſo *Ladeburgo* ſupereſt, in arce Epiſcopali hodie viſendum, lapis illorum Caeſarum nomina inſcriptus? quem parte prima

Originum noſtrarum Palatinarum Cap. IV. repraeſentauimus.

His igitur Principibus apparet primum limitem Romanum vſque ad Nicrum prolatum, & Romana oppida caſtraque in Alemanico illo ſolo collocata. Proinde in ripa Nicri, annotante *Beato Rhenano*, *Rer. Germanic. lib. I. pag.* 5. (*u*) quibusdam locis mira adhuc antiquitatis Romanae veſtigia cernuntur: vbi munimenta praeſidiis locandis fuiſſe certum eſt; vt apud *Etelingam*, *Wimpinam*, *Roteburgum*, alibi. Sed & in monte noſtrae *Heidelbergae* dextro (*Abrinsbergum poſtea dixerunt*) & in oppido Laudeburgo, caſtellorum & ſtatiuorum Romanorum honorem ruinae, Ducumque memoriam Inſcriptiones teſtantur, alibi a nobis expoſitae (in origin. Palat. P. I. c. 4.)

Nam

(*u*) Scriptor Sec. XVI. celebratiſſimus ***Beatus Rhenanus***, cuius pronomen ***Beatus***, non honoris & piae memoriae cauſa, ſed dum viueret inde a Baptiſmo Viro huic inditum eſt, quapropter etiam, quod ſua magis quam aliorum commoda quaereret, ***Beatus ſibi non aliis***, dicebatur, agnomen vero a loco natiuitatis Patris, ***Rheinach***, (Pater enim ***Antonius Bilde***, quod Rheinaci natus eſſet, familiae nomen cum nomine ſoli patrii commutauit, ***Rhenanumque*** ſe vocari maluit,) repetendum eſt, praecipuus auctor erat, quem confutandum ſibi ſumſit Freherus. Neuter vero locum claſſicum qui Ammiani Marcell. L. XXVII. c. X. extat in materia hac inſpiciendum, videtur inſpexiſſe. ***Rhenanus***

quidem

Digitized by Google

Nam vt Germanos non quieuisse, sed nouum iugum subinde excussisse credibile est, seu Rheno transito, siue a Rhaetiis excurrentes, etiamsi *Hunibaldus* eorum nullus exstaret: ita octoginta fere postea annis *Valentinianum* Imp. iterum victricibus armis vltra Rhenum ad Nicrum vsque penetrasse, *Ammianus* auctor est; & duorum praecipue insignium operum, quae in Barbarico posuerit, meminit. Sed locum integrum expendere operae pretium fuerit: „At Valentinianus *Magna* animo concipiens & vtilia, Rhenum omnem a Rhaetiarum exordio (quo loci fontes suos habet) ad vsque fretalem Oceanum magnis molibus (ita vt Valens Istrum) communiebat; castra extollens altius, (& praesidia militum idonea addens; Zosimus fol. 742.) & castella *Turresque* assiduas per habiles locos

quidem propterea, quod editione vteretur, in qua Libri AMMIANI 27. 28. 29. 30. 31. plane deficerent, vt Cel. SCHOEPFLINVS docet, qui hoc exemplar, quo *Rhenanus* vsus erat, (Argentorati enim a. 1547. vita fungebatur) splendidissimae suae bibliothecae insertum ipse possidet. Vid. Cel. SCHOEPFLINI *Alsat. illustr.* T. I. p. 417. not. h. FREHERVS vero vel idem hoc mancum exemplar, vel certe non nisi fragmenta librorum, quos allegauimus, vsurpasse propterea dicendus est, quod ex libro XXVIII. C. II. nonnulla quidem allegat Ammiani verba, alia vero, quae tamen magis ad Rhombum facere videbantur, in eodem cap. obuia omittit. Praeterea locum libri. XXVII. C. X. in quo arx

P 5

eos & opportunos, qua *Galliarum extenditur* longitudo, (Haec sunt illa in sinistra siue Gallica Rheni ripa nota Romanis oppida, *Argentaria*, *Elcebus*, *Breucomagus*, *Salecio*, *Spira*, *Niomagus*, *Borbetomagus*, *Bingium*, *Podobriga*, *Confluentes*, *Antonacum*, *Bonna*, *Nouesium*, *Gelduba*, *Batauodurum.*) Nonnunquam etiam vltra *Flumen* aedificiis positis subradens *Barbaros* fines (haec sunt in ripa Germanica ad dextrum fluminis latus, in superciliis Rheni & culminibus montium late apparentes turres plerunque rotundae, quae ipsa forma architectationis & durabilitate operis Romanos auctores testantur, & huic loco suffragantur: apud *Stein*, *Rudesheim*, *Ernfelss*, *Cub*, *Catzenelnbogen*, *Lanstein*, *Helfestein*, *Engers*, *Lintz*, *Duitz*, *Keyserwerd.*) Denique cum reputaret monumentum celsum

arx causae ponenda fuisset, plane non allegat, quod certe indicio est, eum tam ignotum fuisse *Frehero*, quam erat *Rhenano*; & ob hanc causam vtrumque scriptorem ex editione, non a fronte tantum, vt hodienum omnes Ammiani editiones libris nimirum prioribus XIII. truncatae apparent, sed & a fine vel tergo, nimirum inde a libro XXVII. vsque ad XXXI. mutilata, sapuisse. Quapropter hunc locum Classicum heic in extenso, quod aiunt, subiicere, & praecipua, in quibus cardo rei versatur, momenta peculiari scriptura exprimere, sub finem vero dissertationis, quid, ex loco *Ammiani*, collatis reliquis & aliunde congestis argumentis, pro altera vtra sententia concludi possit, candide exponere consultum

sum & tutum, quod ipse a primis fundarat (eo loco vbi hodie das Dorf) auspiciis, *Praeterlabente* (huc illabente Rheno supra ipsum castellum) *Nicro Nomine* (ita alibi: Moenum nomine fluuium,) Fluuio, paulatim subuerti posse vndarum pulsu immani, meatum *Ipsum* (scilicet Nicri) aliorsum (vbi ergo *Valentinianus* castellum posuit, vt infra ad *Moguntiacum*, ad Rheni & Mogani confluentes, antea fecerat *Traianus*, alii alibi; quod magna confluentium sit opportunitas? infra eum locum vbi hodie illabitur? an potius, quia de Rheni vtraque ripa communita loquitur, ad *Manhemium*? quod & ad Rheni ripam dextram positum, & Nicro ibidem in Rhenum se exonerante alluitur;) vertere cogitauit: & quaesitis artificibus peritis *Aquariae* rei, *Copiosaque Militis Manu*,

fultum esse duximus. Locus vero *Ammiani* classicus L. XXVII. C. X. ita habet.

„Sub idem fere tempus Valentiniano ad expeditionem caute vt rebatur profecto, Alamannus Regalis Rando, nomine, diu praestruens quod cogitabat, Mogontiacum praesidiis vacuum cum expeditis ad latrocinandum latenter irrepsit. Et quoniam casu Christiani ritus invenit celebrari solemnitatem, impraepedite cuiusquemodi fortunae virile & muliebre secus cum supellectili non parua indefensum abduxit. Paruo inde post interuallo inopina rei Romanae spes laetiorum affulsit. Cum enim Vithicabius Rex, Vadomarii filius, specie quidem molliculus & morbosus, sed audax & fortis, ardores „in

nu, arduum est opus adgressus. Per multos enim dies compaginatae formae e roboribus, coniectaeque in alueum, fixis refixisque aliquoties prope ingentibus stilis (palisades: apparent hodie ad pontem arcis) fluctibus erectis confundebantur, auulsaeque vi gurgitis interrumpebantur. (Talis hodieque aliquibus locis fluuii vehementia apparet, praesertim pluuiis exaucti, vt & villas aliquas, *Seckenheim*, & pontem Heidelbergensem, ex parte subruerit, aliisque vastitatem minetur.) Vicit tamen Imperatoris (sunt adhuc duo *Keisersmerde* ad *Manheim*) vehementior cura, & morigeri militis labor, mento tenus dum operaretur, saepe demersi. Tandemque non sine quorundam discrimine *Castra* praesidiaria, inquietudine *Errantis* (ita circa Manheim hodie das schäd-

„in nos semper succenderet bellicos, opera nauabatur „impensior, vt qualibet occumberet strage. Et quia tentatus aliquotiens nullo genere potuit superari vel prodi, fraude citerioris vitae ministri, studio sollicitante „nostrorum occubuit: cuius post necem aliquatenus hostiles torpuere discursus. Interfector tamen prae metu „poenarum, quas verebatur, si patuisset negotium, ad „Romanum solum se celeri transtulit gradu. *Parabatur post haec lentioribus curis & per copias multiformes „in Alamannos expeditio solitis grauior, destinatius id publica tutela poscente*, quoniam reparabilis gentis motus „timebantur infidi: milite nihilominus accenso, cui ob „suspectos eorum mores, nunc infimorum & suppli- „cum

schädlich Eck) *amnis ingentis* exempta, *nunc* valida (& hodie validiora, vbi supra antiquum istud ostium Nicri a Palatinis positum est castrum) sunt.„ Hoc tempore primum Romanos in hanc plagam nostram quam inhabitamus, pedem posuisse crediderim, & non tantum apud *Manhemum* & *Ladeburgum* castra habuisse, vbi eorum memoria saxis inscripta superest, sed etiam in monte hoc *Abrinsbergo* (& quis scit, annon illo monte *Pyri*?) vbi reliquiae veteris castelli, & lapis ille eximius, Victoriam inter alia insculptam habens, a Ducibus *Jul. Secundo* & *Iul. Ianuario* positus, cuius imagines Origg. nostrarum Palatinarum loco supra citato exstant.

Valentiniani filius *Gratianus*, Imperiique per Occidentem consors, eo adhuc viuo admodum

„cum, paulo post vltima minitantium, nullae quiescen„di dabantur induciae. Contracta igitur vndique mole „maxima cateruarum, armis & subsidiis rei cibariae di„ligenter instructa, accitoque Sebastiano comite cum Il„lyriis & Italicis numeris quos regebat, *anni tempore iam* „*tepente* (*al. ferente*) *Valentinianus cum Gratiano Rhenum* „(*al. Maenum.*) *transgressus resistente nemine*, diuisis „agminibus quadratis ipse medius incedebat, Iouino & „Seuero Magistris rei castrensis altrinsecus ordinum la„tera seruantibus, ne repentino inuaderetur assultu. „Protinusque inde *ductantibus itinerum callidis*, *explo*„*ratis accessibus*, *per regiones longo itu porrectas sensim* „*gra-*

dum iuuenis, cum inaestimabilem multitudinem hostium Romanis finibus infusam cerneret, longe impari militum numero sese in hostem dedit, & continuo apud Argentoratum oppidum Galliarum

„*gradiens* miles irritatior ad pugnandum, velut repertis Barbaris minaciter infrendebat. Et quoniam aliquot diebus emensis nullus potuit qui resisteret inueniri, cuncta satorum & tectorum quae visebantur intacta, cohortium manu vorax flamma vastabat, praeter alimenta, quae colligi dubius rerum euentus adigebat & custodiri." Post haec *leniore gressu Princeps vlterius tendens cum prope locum venisset, cui Solicinii nomen est*, (*al. Solicomno*) *velut quadam obice stetit, doctus procursantium relatione verissima Barbaros longe conspectos.* Qui nullam ad tuendam salutem viam superesse cernentes, nisi se celeri defendissent occursu, *locorum gnaritate* confisi, vnum spirantibus animis *montem occupauere praecelsum, per confragosos colles vndique praeruptum & inuium, absque septemtrionali latere, vnde facilem habet deuexitatem & mollem.* Signis ilico fixis ex more cum vndique ad arma conclamaretur, imperio Principis & ductorum stetit regibilis miles, vexillum opperiens extollendum: quod erat opportune subeundae indicium pugnae. Ergo quia spatium deliberandi aut exiguum dabatur aut nullum, hinc impatientia militis perterrente, inde horrenda circumsonantibus Alamannis, id consilium ratio celeritatis admisit: vt *arctoam montium partem, quam clementer diximus esse procliuem*, Sebastianus cum suis occuparet, fugientes Germanos, si fors ita tulisset leui „nego

liarum (verba sunt *Diaconi*) formidolosissimum bellum incredibili felicitate confecit. Nam plusquam XXX. millia Alamannorum, minimo suorum detrimento, in eo praelio interfecta narrantur. Neque hac fini victoria stetit. Sed & in super Alemannos longe trans Rhenum persecutus, vltra Nicrum pepulit, vt iam vtroque limite amisso, in interiora Germaniae, & Sueuiae, & vasta syluarum (quae deinceps *Othonicum* nemus dicta) se recipere cogerentur. *Ausonius Epigram.*

- - - periisse Sueuos:
Nec Rhenum Gallis limitis esse loco.

Idem panegyrico ad hunc *Gratianum*: „Agun-

„tur

„negotio confossurus: quo vt placuit maturato, Gratia-
„noque apud signa Iouianorum retro detento, cuius
„aetas erat etiam tum praeliorum impatiens & labo-
„rum, Valentinianus vt Dux cunctator & tutus, centu-
„rias & manipulos capite intecto perlustrans, nullo po-
„tentium in conscientiam arcani adhibito, remota mul-
„titudine stipatorum, *speculatum radices aggerum* auola-
„vit cum paucis, quorum industriam norat & fidem:
„*praedicans, ut erat sui arrogans aestimator, inueniri*
„*posse aliam viam ducentem ad arduos cliuos, praeter*
„*eam, quam inspexere proculcatores.* Per ignota *itaque &*
„*palustres vligines deuius* tendens, insidiatricis manus
„locatae per obliqua subito oppetiisset adcursu, ni ne-
„cessitatis adiumento postremo, per labilem limum in-
„citato iumento digressus, legionum se gremiis immer-
„sisset post abruptum periculum: cui adeo proximus

„fuit,

Digitized by Google

„tur gratiae Imperatori fortiſſimo. Teſtis eſt vno „pacatus anno & Dannubii limes & Rheni. Et „infra: voca Germanicum, deditione Gentilium: „Alamanicum, traductione captiuorum: vincen„do & ignoſcendo, Sarmaticum.„ Sed & poſt *Gratianum* & *Valentinianum* de *Theodoſo* pacatus *Depanus* panegyrico: „Quae Rhenus &c. vidit, „aggrediar? Iam ſe mihi Sarmatica caede ſangui„neus Iſter obiiciet. Attritam pedeſtribus praeliis „Batauiam referam? Saxo conſumtus bellis naua„libus offeretur. Redactum ad paludes ſuas Sco„tum loquar? Compulſus in ſolitudines auias „omnis Alemanus & vterque Maurus occurrerit.„ Poſt hunc quoque de *Stilicone* ſuo, *Honorio*, *Claudianus*.

Ipſe

„fuit, vt galeam eius cubicularius ferens auro lapillis„que diſtinctam, cum ipſo tegmine penitus interiret, „nec poſtea viuus reperiretur aut interfectus. Proinde „quiete reficiendis corporibus data, ſignoque erecto, „quod ſolet ad pugnam hortari, tubarum minacium „accendente clangore, fidentiſſimo impetu acies motas „prompte ante alios praeire duo iuuenes lecti in princi„piis adeundi diſcriminis, Saluius & Lupicinus, Scuta„rius vnus, alter e ſchola gentilium, fragore terribili „concitantes: haſtaſque criſpando cum ad rupium ob„iecta veniſſent, trudentibuſque Alamannis euadere ad „*celſiora* conarentur, aduenit pondus armorum, iisdem„que anteſignanis *per hirta dumis & aſpera magno virium* „*niſu in editas ſublimitates erepſit.* Acri igitur partium „ſpiritu

Ipse autem *Gratianus* cum patre super illa victoria & profligato bello Germanico solennem triumphum apud Augustam Treuirorum vrbem clarissimam, & a Roma secundam Principibus eo tempore gratam trans Alpes sedem, duxit. Quam rem

„spiritu conflictus cuspidibus tentatur infestis: & hinc „arte belli doctior miles, inde licet feroces, sed in„cauti Barbari dextris coiere collatis: quos latius sese „pandens exercitus infusis vtrimque cornibus adflicta„bat, per fremitus territos & equorum hinnitus & „tubas. Nihilominus tamen ipsi assumta fiducia resti„terunt: aequataque parumper praeliorum sorte, haud „parua mole certatum est, dum turmarum funeribus „mutuis res gerebatur. Disiecti denique Romanorum „ardore, metuque turbati, miscentur vltimis primi: „dumque in pedes versi discedunt, verutis hostilibus „vorabantur pilis. Postremo dum anheli currunt & „fessi, pandebant sequentibus poplites & suras & dor„sa. Stratis denique multis, lapsorum partem Sebastia„nus, cum subsidiali manu ***locatus post montium terga***, „trucidauit ex incauto latere circumuentam: ***dispersi cae„teri syluarum se latebris amandarunt.*** In hac dimica„tione nostri quoque oppetiere non contemnendi: in„ter quos Valerianus fuit domesticorum omnium pri„mus, & Natuspardo quidam scutarius, exsertus ita „bellator, vt Sicinio veteri comparetur & Sergio. His„que tali casuum diuersitate perfectis, ***milites ad hiber„na, Imperatores Treueros reuerterunt.***„

Alter locus, quem allegat, Auctor noster libri XXVIII. c. II. occurrit, ex quo desumta sunt verba ***Ammiani*** in textu perscripta; quae vero immediate sequuntur ita habent

Cremii nouae Amoenit. lit. fasc. II. Q

rem *Ausonius* in luculento carmine, quod de (*x*) *Mosella* lusit, his versiculis *celebrauit*:

- - Nec praemia in vndis
Sola; sed Augustae veniens quod moenibus vrbis,
Spectauit iunctos natique patrisque triumphos,
Hostibus exactis Nicrum super & Lupodunum,
Et fontem latiis ignotum annalibus Istri.
Haec profligati venit modo laurea belli.

Auso-

habent apud *Ammianum*: „Ac talibus laetus exsultans„que (*Valentinianus*) pro anni & temporis statu Dilap„sos conducens, Reipublicae curam habuit, vt officio „Principis congruebat. Ratusque aptissimum ad id quod „deliberabit implendum *trans Rhenum in monte Piri* „*qui barbaricus locus est, munimentum extruere, disposuit* „*raptim*.„

(*x*) AVSONIVS, cuius tanquam autoptae certe coaetanei carminibus pro stabilienda sua sententia inprimis multum tribuit *Freherus*, victoriam cecinit prope *Solicinium* reportatam lib. XXXVII, c. X. non vero *Argentuariensem*, quae libr. 31, 10. descripta est, quamque *Freherus*, quod locum classicum priorem non inspexit, ab AVSONIO indicatam esse, per errorem nobis iam manifestum scripsit. Argumentum pro nostra sententia irrefragabile hoc est: Gratianus apud Argentuariam, (quam Colmariae vrbem fuisse statuit CLVVERIVS lib. 2, c. 12.) Lentienses, Alemann. populum, vicit post mortem Patris vid. *Ammian.* lib. XXXI. 10. (& iam Lentiensis Alamannicus populus, tractibus Rhaetiarum confinis per fallaces discursus violato foedere dudum concepto collimitia nostra tentabat, quae clades hinc exitiale primordium sumsit - - Hanc victoriam opportunam & fructuo-

sam,

Ausonius ille, gentis non plane rudis, vt ex tota Mosella patet, ait Germanos vltra Nicrum (quae altera apud Romanos scriptores est Nicri mentio) & fontes Danubii in sua penetralia submotos: quod posterius aliis quoque versiculis elegantibus celebrauit. Et Nicro iungit Lupodunum, velut locum in Barbarico notum & famosum, e quo exturbati fuerint Germani. De quo tamen cum nulla alibi vel vna mentio extet in tota antiquitate, non minus difficilis est indagatio, quis vel vbi locus ille sit, quam Germanis hominibus digna, atque adeo, si originum suarum studiosi, & maiorum suorum gloriae amantes esse velint, prope modum necessaria.

Et vellem virum alias optime de litteris meritum,

sam, quae gentes hebetauit occiduas, sempiterni numinis nutu Gratianus, incredibile dictu est, quanto cum vigore exerta celeritate aliorsum properans expediuit.) Ita & HIERONYMVS in chron. a. Dn. 378. quo Valentinianus, iam mortuus est, scribit: „Alamannorum XXX. circiter millia apud Argentuariam oppidum Galliarum ab exercitu Gratiani strata." Valentinianus vero tunc, cum versus in textu expressos scriberet Ausonius, adhuc viuebat; sic enim paulo post ait Poeta:

Burdigalam cum me in Patriam nidumque senectae
Augustus Pater & natus mea maxima cura
Mittent. - - -

Ergo victoria prope solicinium a. C. 368. ab Ammiano descripta, ab Ausonio quoque versibus celebrata fuit, non

Digitized by Google

ritum, & Germanicis rebus indagandis cumprimis feliciter versatum, ab hoc loco manus abstinuisse, aut de re non satis bene cognita saltem non minus confidenter affirmasse, denique quiduis potius fecisse quam ita scriberet: *Rer. Germau. lib. I. fol.* 6. „Deprauatum est *Ausonii* carmen, vbi vul„go legitur: *Nicrum super & Lupodunum.* Quod „si quaeras, quid sibi velit, *Lupodunum*, scito „(quantum ego coniectura assequi possum) Lu„pondum siue Lupodunum aut Luponum eam ar„cem esse, quae nostratibus hodie *Lupff* dicitur, „a qua nobilissima tractus eius comitum familia „nomen sortitur. Diruta fuit anno MCCCCXVI. „iussu *Sigismundi* Caesaris & Concilii Constanti„ensis. Sed indicant ruinae, quam egregium mu-

„nimen-

non vero Argentuarensis 377. nedum Argentoratensis illa celebratissima, quae Iuliani dextrae debebatur, & longo temporis interuallo hanc aetatem praecessit; neque enim credibile est hanc victoriam ipsi in mentem venisse, quapropter in textu *Freheri* loco *Argentorati* argentuariam legendam esse putem. Quod porro in textu ex *Paulo Diacono* addit, viuo adhuc Patre pugnam hanc pugnatam esse, id oppido falsum est, cum inter omnes constet, Valentinianum I. Gratiani Patrem a. 375. d. 17. Nov. fatis functum esse, teste AMMIANO lib. XXX. c. 6. (*animam diu colluctatam efflauit aetatis quinquagesimo anno & quinto, imperii, minus centum dies, secundo & decimo*,) qui terminus cum superiori aerae nostrae concordat. conf. etiam AVREL. VICTORIS Epit. c. 45. HIERONYMI Epist. 3. p. 26. SOCRAT. p. 248. 249.

Digitized by Google

„nimentum fuerit, procul dubio olim a Romanis „contra Alemannos pro militibus limitaneis con„structum. Ego nuper Augusta Rhetorum rediens „per Martianam siluam, quum Nicrum tortuosis„simum omnem propter perplexam vallium cur„vitatem toties transire cogerer, singula satis dili„genter sum contemplatus. (Inspice tabulamis „Germaniae antiquae *Abrah. Ortelii.*) Ab origi„ne Nicri & arce Lupondo non ita procul abest „ortus Danubii, trans cuius fontem pulsos Aleman„nos canit Ausonius. Nam *super* vsurpat pro *vl„tra*, confinium intelligens Rhaetiae & Germa„niae, quod est supra Danubii caput: Neque „enim vltra Danubium submoti sunt: Alioquin „Rhaetiam inuasissent, quae Romanorum erat pro„vincia. Sed & *Wolfgangus Lazius*: Lib. 8. de „migratione gentium. „Nicer solus oritur in confi„nibus Rhaeticae primae & Martianae siluae, quam „Nigram vocamus, haudprocul a Roteuilla Impe„riali oppido, vbi & Lupfenberg peruetusti castri „ruinae videntur, quod Lupondum fuisse Doctiss. „vir *Beat. Rhenanus* haud inepte argumentatur.„ Hem quam multa sunt in vno hoc loco, quae mihi displicent! Nec tamen miror, *Eliam Venetum*, ad Aus. & *Abrahamum Ortelium* in Thes. Geograph. ver. Lupodunum. & in antiqua German. tab. homines doctissimos, sed exteros, coniecturam tam leuem secutos; quia nil dum melius cer-

Digitized by Google

tiusque videbant: mirabor, ſi quis deinceps ſequetur. (*y*)

Principio praeter codicum & editionum fidem ſcripſit & *Lupondum*, duplici peccato: cum & verſus Analogia, Auſoniique, conſuetudo perpetua, dactylum cum ſpondeo magis exigeret; & in *Lupondo*

(*y*) Inter recentiores ipſe etiam *I. D. Schoepflin* Hiſtoriographus longe celeberrimus Freheri ſententiae adſtipulari ab initio videbatur, in *Alſat. Illuſtr.* T. I. p. 245. not. e. vbi ita: „Lupodunum cum Frehero, in libro eius de Lupodu„no, & in originibus Palatinis, malim ponere ad Nicrum „flumen, vbi hodie Ladenburg, quam cum *Rhenano*, „*Lazio*, *Cluuerio*, *Spenero* in notitia Germaniae antiquae „Lib. IV. cap. II. ad arcem ſiluae Herciniae Lupfen, „quae Comitibus huius nominis originem dedit, referre.„ Quamuis hanc primam, quam adoptauit, ſententiam in ſubſequentibus vel moderetur, vel corrigat, vel plane miſſam faciat, vel certe totam controuerſiam indeciſam relinquat. Loco enim cit. p. 417. not. h. ita ſcribit:
„Variae de hoc loco Geographorum ſententiae ſunt, qua„rum nonnullas iam ſupra pag. 245. Not. (e) tetigimus. „*Beatus Rhenanus* Rer. Germ. Lib. III. p. 344. conii„cit, illum aut Hercyniae ſiluae confinem fuiſſe circa „Heidelbergam, aut Solicomno, quod legerat, in Vi„ſolicon mutato, explicandum eſſe de Bilicone (Billick„heim) Palatinatus ad Rhenum oppidulo. Excuſandus „eſt Rhenanus, ſi minus hic recte coniecit, quod, ipſo „prouidente, Fragmenta tantum ex *Ammiani* Libro „XXVII. adeoque ſeriem hiſtoriae, qua illam Ammia„nus exponit, non habuit. Exemplar eius hiſtoriae, „quo

Digitized by Google

pondo prima syllaba correpta locum habere vix posset. Deinde Lupondum commentus est, arcis vel oppidi nomen, quod nemo vspiam viderat, legerat, audierat: & si alicubi extaret, tamen nesciretur vbi esset; & an illi quam demonstrat, arci *Lupff*

„quo Rhenanus alioquin vsus est, quodque anno. „MCCCCLXXIV. Romae in lucem editum, Bibliothecae „meae insertum, Libro XXVII. & sequentibus caret „omnino. Absurdissimam omnium coniecturam Crusius profert in Annal. Sueu. Part. I. Lib. VII. pag. „159. vbi Solicinium inter Moguntiam & Treuiros, „adeoque cis Rhenum, quaerit. *Bucherius* Belg. Rom. „Lib. XI. Cap. IX. pag. 351. Rhenano suffragari videtur, quando locum istum supra Heidelbergam in „via montana ponit, hodie Sulzbach appellatum. Sed „remotior a Rheno fuit, vti hoc Ammiani verba declarant. *Franciscus Guillimannus de Reb. Heluet. Lib.* „*II. cap. V. pag.* 186. per Solicinium oppidum *Sulz* intelligit, infra Rotuillam in sinistra Nicri ripa constituendum. „Huic ego sententiae, post Phil. Cluuerium German. „antiq. Lib. III. pag. 16. & alios iuniorum plures tanto lubentior accedo, quod Ausonius, Testis oculatus, „ei fauet quam maxime. In Mosella enim vers. 423. „ita scribit:

Hostibus exactis Nicrum super & Lupodunum,
Et fontem latiis ignotum annalibus Istri.

„Loquitur Poeta de eadem, quam *Ammianus* hic refert, *Valentiniani* I. ad Solicinium victoria. Nicrum „flumen & Istri, seu Danubii, fontem quum memorat,

Lupff conueniret: & ſi conueniret, locus ipſe tam ignobilis & obſcurus, in media Barbaria ſitus, nullo aut amne praeterlabente, aut monte, aut nemore vicino conſpicuus, tanti quomodo fuiſſet, vt hunc potiſſimum in tam illuſtri victoria celebranda *Auſonius* conſecraſſet? Cum quidem vel terminatio vocis *Lugoduno*, *Canoduno*, *Camboduno*, *Vxilloduno*, *Auguſtoduno*, *Viroduno*, *Legoduno*, *Taroduno*, *Rhoboduno*, *Caſtroduno* & *Sigiduno* communis, locum non exiguum fuiſſe credere ſuadeat.

At

„in confinio vtriusque illam ponit. De Lupoduni ſitu „quaeritur. *Rhenanus* Rer. Germ. Lib. I. pag. 10. eam „arcem Lupodunum eſſe putat, quae hodie Lupf dici„tur, a qua Comitatus olim Lupfenſis in Sueuia no„men habuit. Indicant, inquit, ruinae quam egregium „munimentum fuerit, procul dubio olim a Romanis „contra Alemannos pro limitaneis militibus conſtitutum. „Ego nuper.... ſingula ſatis diligenter ſum contem„platus. Ab origine Nicri & arce Lupondo (vel Lu„poduno) non ita procul abeſt ortus Danubii, trans „cuius fontem pulſos Alemannos, canit Auſonius. „At „*Marquardus Freherus* peculiari libello probare conatus „eſt, Lupodunum eſſe oppidum Ladenburg inter Man„hemium & Heidelbergam ſitum. Qua in re grauem „nactus eſt aduerſarium *Phil. Cluuerium* pro Rhenani „quoque ſententia pugnantem in Germ. Antiq. Lib. „III. pag. 12. ſq. Vid. *Freheri* origines Palat. Part. I. Cap. „IV. In *colle* poſitum hoc caſtrum fuiſſe, neceſſe eſt, quando

At *Rhenanus* αὐτόπτης e ruinis obſeruauit egregium munimentum, & praeſidiariis contra Alemannos ſtatiuum, Romano opere excitatum. Non abnuerim. Sed Auſonius non de Romano ſolo recepto agit: ſed de Barbarico victo & Germanis erepto (quos quidem nulla eiusmodi munimenta habere ſolitos, (z) iam tum *Tacitus* pro-

„quando vox Celtica *dunum* (düne) collem ſignificat, & „ex Geographicis patet, omnia loca, in *dunum* deſinen-„tia, montes occupaſſe ſiue montana.„ Hactenus *Schoepflinus*: nobis certe videtur, ſtante hypotheſi quod ſolicinium cum noſtro *Sulz* ad Nicrum idem ſit oppidum, inuictis argumentis, vt infra docemus, probari poſſe, Lupodunum Auſonii eſſe Caſtellum *Lupf*, vel Lupfenberg. An vero hypotheſis de Solicinio veritatis ſpeciem habeat, & extra omnem dubitationis aleam poſita ſit, ſuo loco diſpiciemus.

(z) Locus *Taciti* extat c. 16. de moribus Germanorum, vbi ita: *Nullas Germanorum populis vrbes habitari ſatis notum eſt.* At *Caeſar* de Bello Gallico Heluetios 12. oppida & 400. vicos habuiſſe ſcribit L. I. Cap. 5. item L. IV. c. 19. de Sueuis, quos hortati fuerint Proceres, *vt de oppidis demigrarent, liberos, vxores, omnia in ſiluas deponerent.* Hoc ἐναντιοφανὲς *Spenerus* ita tollit, vt Germanos, licet oppida habuerint muris etiam ſepta, quale Nouiodunum Caeſar L. II. c. 12. fuiſſe ait, in locis tamen campeſtribus, quam in clauſis oppidis, habitare maluiſſe, maiorem eo ipſo libertatis ſpeciem prae ſe ferentes, in *Not. Germ. Antiq.* L. I. c. 10. §. 10. ſatis probabili opinione ſcribat.

Digitized by Google

prodidit) in quo eo nomine siue oppidum siue castellum inuenisset; sed de victricibus armis in Barbaricum solum tunc primum illatis, & Barbaris e propriis sedibus ad Nicrum & Danubii caput eiectis & profligatis. Itaque quidquid Romani ibi postea condiderunt aut excitarunt, posterius est omne Ausonii aeuo & illa victoria. Denique si recte animum aduertimus, Lupodunum Nicro proxime iungit *Ausonius*, ne Nicrum tam nude nec epitheto vllo honestaret, ceu eius ornamentum aut praesidium; non Danubio, cuius fontes nominat: ad quos non solent oppida aut castra collocari.

Cedat ergo tam vana coniectura; *Ausonio* lux noua accedat: procedat vetus illud & nobile in Alamanico solo *Lupodunum*. Quod fiet, si oppidum vetus, Romanorum illo aeuo cognitum, eo nomine saluo & integro diu conseruato, ad Nicri ripam, & opportuno loco, & (ne quid desit) in *colliculo* editiore, ostendero. Neque enim Lupondum scripserat Ausonius, sed Lupodunum, quomodo & Msc. omnes habent, & editiones veteres, *Basiliensis*, *Lugdunensis*, *Aldina*, *Parisiensis*: nec *Vinetus* ipse (qui tamen *Rhenani* coniecturam inopia meliorum sequitur) aliter expressit: & post hunc in emendatissima editione sua magnus *Scaliger* retinuit. Sicut enim ex *Lutenbach* vicino (ne longius abeamus) veteri, hodie fecerunt *Laudebach*

Digitized by Google

debach, ita e *Lupoduno*, *Laudeburg.* Quod quidem fuisse Romanis cognitum, eorum ibi monumenta, victoriae huius signa, alibi a nobis repraesentata fidem faciunt: & loci ipse genius antiquitatem nescio quam spirans, situsque opportunitas, hinc Nicri alueum a moenibus oppidi paulum submotum, inde in vertice montis *Abrinsbergi*, respondentem sibi, excelsam & natura loci munitam speculam castellumque Aeberinesburgum habens, primo statim intuitu in oculos incurrit. Et aiunt, passim in agro inter fodiendum muros & ruinas reperiri: argumentum, quod olim vrbis ambitus maior fuerit.

Id vt Alemanis extorserunt victores Romani, & occupatum suo more sibi muniuerunt, propugnaculis & statiuis ad milites, horreis ad annonam habendam aedificatis, quorum adhuc ibi vestigia visuntut, quamdiu tenuerint, non constat. Certe si ad Rhenum tam varia eorum fortuna fuit, ad Nicrum multo magis. Aut paulo post a Germanis repetitum credibile est; aut postea in generali illa rerum conuersione, cum tandem in fatis esset, Romanam potentiam Teutonico Marti post multas variasque vices succumbere, Orbis totius praedonibus illis Franci, cum tota ad Rhenum plaga, tractu Argentoratensi, Sequanica, prima & secunda Germania,

&

& quicquid fuit Rhaetiarum, omne eripuerunt: nec propriam Barbariam ſolam poſſidebant, ſed etiam Romaniam: ita enim vocabant. Fortunatum ita ſe diffundere coepit Francorum imperium, vt a montibus Pyreneis vsque ad Pannonias longe lateque omnia tenerent. Sub eorum imperio non Lupoduno huic, claro iam tum temporis oppido, magis quam aliis locis nomen priſcum, ſiue a Germanis ſiue Romanis impoſitum fuerit, (nam terminatio *Dunum* non tantum Romanum ſonat, quando non tantum Galli Lugodunum, Vxillodunum ſuum habent, ſed etiam Germani Lugdunum ſuum, quod *Caput* Germaniae dicitur *in Itinerar. Aug.*) abrogatum fuit: & *Lubodunae* ciuitati aut *Lobodoni* caſtro nomen permanſit. Quod cum iam tum *Pipini, Caroli*que aeuo Franciae Orientalis non ignobile oppidum fuiſſe, veterum literarum monumenta, quae ſubiiciemus, fidem faciant; vetuſtiorem procul dubio ſeu Romanam ſeu Germanam originem habere neceſſe eſt; nec iam aut Lupodunum alio loco, aut Luboduna ſub alio nomine, quaeratur. (*a*)

Erat

(*a*) Nunc tandem an in vtramque partem coniecturae aequaliter propendeant, an vero alteri altera praeponderet, diſputari poteſt. Pro *Ladeburgo* quae dici poſſunt, omnia dixit *Freherus*, cuius proinde argumentis noua, quae adiicimus, nec habemus nec quaerimus. De arce autem *Lu[illegible]enſi* iam diſpicimus. Rationes, praeter eas, quas

Rhena-

Erat tum temporis Francorum ditio, totaque Germania vetus in Pagos tributa, singulisque pagis, quibus vnus comes praepositus suae villae; inter quas praecipua Comitis domicilio cedebat, In qua sedem & aulam suam (quam Saalam ipsi vocabant) tribunalque & auditorium (quod Mallus illis) haberet, vbi more maiorum ius diceret. Ita a *Spira*, *Wormatia*, *Tiguro*, *Spirensis*, *Wormaciensis.*

Rhenanus iam adduxit, Recentiores Historici & Geographi varias in medium afferre solent. I. *Ausonius* qui *Lupoduni* mentionem & primus & tum solus fecit, fontes Istri vel Danubii cum Nicro flumine & cum Lupoduno coniungit *Mosellae* suae v. 423. 424.

Hostibus exactis Nicrum super & Lupodunum
Et fontem latiis ignotum annalibus Istri.

Quapropter Castelli huius limites ex vna parte fontem Danubii ex altera vero Nicrum posuisse videtur; qui situs arci Lupfensi inprimis conuenit. Vnde & *Chronicon Gotwicense* p. 558. T. I. ita: „Lupodunum est dirutum „castrum & antiquus comitatus inter fluuium Nicrum & „Danubium non procul ab eius fontibus inter Tala & „Hohenkarpfen in praefectura Dutlingen, quae a. 1415. „deuastata fuit. *Crusii Annal. Sueu.* P. III. L. 6. p. 318. „Est Lupodunum illud apud Romanos apprime notum, „prout *Cluuerius German. Antiq.* L. 3. c. 4. id satis pro„bauit contra *Freherum*, qui Lupodunum pro vrbe La„deburg ad Neccarum venditare voluit; cui etiam *Spene„reous Notit. Germ.* antiq. L. IV. p. 170. adstipulatur, vt „& *Maierus* in charta Topogr. Wirtemb. eiusdem situa„tionem pariter eo locauit.„ II. Terminatio *dunum* in Lin-

ciensis, *Tigurinus Pagus dictus:* nec aliter a *Loboduna* ciuitate (quam non infimi nominis fuisse hinc apparet) nomen accepit totus hic noster tractus *Pagus Lubodonensis*, *Lubodunensis*, *Lobadunensis*, *Lobodonensis*, *Lobdinensis*, *Lobdenensis*, *Lobodensis* (cuius meminerunt optimi illi annales *P. Pithoei*) *Lobudunensis*, *Lubodonensis*, *Lubudunensis*, *Lubidunensis*, *Lubdunensis*. Tot modis variauit: vt

Lingua Celtica colliculum denotat, cui superstructam hanc arcem, ac propterea etiam ab Alemannis postmodum suo idiomate **Lupferberg** vocatam fuisse, & res ipsa & veterum documenta satis euincunt. III. ***Ammianus Marcellinus*** L. XXXVII. S. X. ex quo alter locus classicus desumtus est, victoriam prope Solicinium a ***Valentiniano*** reportatam describit, quam cum Ausoniana eandem fuisse, nemo est, qui hodie neget. ***Solicinium*** vero opp di ***Sulz*** ad ***Nicrum*** nomen esse Histo.iographi tantum non omnes concedunt. Ita post ***Brechenmacher. Notit. Sueu. Antiq.*** §. 96. not. g. ***Baud.*** L. V. p. 209. ***Auctores der allgemeinen Welthist.*** T. XV. §. 279. Cel. ***Ioh. Dan. Schoepflin*** in Alsat. Illustr. l. c. & Cel. ***Christian Frider. Sattler, in der Geschichte des Herzogthums Wirtemberg*** Sect. III. §. 37. p. 341. quorum Argumenta, quoniam in decisione huius quaestionis cardo rei versatur, allegasse heic, non erit superfluum. Sunt vero sequentia: 1) ***Vadomarus*** & ***Vithichabus***, Pater & filius, quos, teste ***Ammiano*** l. c. bellicosissimos fuisse hostes Romani imperatores saepius experti sunt, eum terrarum tractum inhabitarunt, qui Danubium inter atque Nicrum situs praeter alia oppida in Decumanis agris etiam ***Sulzam*** ad ***Nicrum*** suis conclusit

vt iam non dubium, etiam Lupodunenſi ſcripſiſſe aliquando. Barbari Lobotengouue, Lobetdengouue, Lobotingouue, Lobodungouue, Lobodunouua, vulgo pronunciabant. Cuius villae omnes (alibi a nobis fide veterum diplomatum Carolini aeui enumeratae Origin. Pal. cap. 7.) hae ipſae noſtrae circa ipſum Ladeburgum vsque ad Rhenum & ſtratam montanam ſunt: *Alt-Bergen*, *Blanck-*

cluſit limitibus. Has igitur terras Romanos bello petiiſſe, ex recenſu Ammiani vero fit ſimile; ex quo ſimul etiam per Solicinium oppidum Sulz intelligi valde probabili coniectura efficitur. 2) Romanis ſolemne erat, tranſitum Rheni prope Baſileam ſubinde tentare, quem tranſitum, ſi *Valentinianus* quoque, vt opinari licet, ineunte vere a. 368. (ſub finem Iulii enim eiusdem anni Wormatiae & paulo poſt Auguſtae Treuirorum ſedem rurſus fixit) prope Baſileam tentauit, via ipſa ad Lupodunum vsque ex Hiſtoria Ammiani deſcriptu facilis & per mappam Geographicam quaſi repraeſentanda eſſet. 3) Campeſtria loca, prope oppidum Sulz, effoſſis humanorum Cadauerum oſſibus inſtrumentisque bellicis illo tempore vſitatis pugnae in illa regione olim pugnatae fidem facere videntur. 4) Ipſe denique ſitus loci, horridae ſiluae, hirta dumeta, aſpera & praerupta montium iuga, deſcriptioni Ammianeae quam ſimillima ſunt. Quae omnia pro Solicinio tanquam oppido Sulz ad Nicrum militare, Viris, quos nominaui, Doctiſſimis viſa ſunt.

Sed iam audiatur & altera pars, ne cauſam *Freheri* deſeruiſſe, vel partium ſtudio & Patriae amore ducti vetuſtiſſimum Aleman-

Digitized by Google

Blanckstatt, *Cilvesheim*, *Gossenheim*, *Edingen*, *Firnheim*, *Gowberg*, *Heidelsheim*, *Hendschuchsheim*, *Hirtzberg*, *Iluesheim*, *Kirchheim*, *Laudebach*, *Leymen*, *Manheim*, *Newenheim*, *Nußloch*, *Oppaw*, *Rorbach*, *groß vnd klein Saſſen*, *Sandhouen*, *Suetzingen*, *Seckenheim*, *Schriesheim*, *Suaben*, *Walſtatt*, *Wiſſenloch*, *Waltorff*, *Wiblingen*: luculente id oſtendente Tabula noſtra Chorographica, aeri

Alemannorum oppidum Wirtembergico potius quam ulli extraneo ſolo, vindicare velle videamur. Quod igitur I) Solicinii Nomen attinet, negari non poteſt, nullum inueniri oppidum, quod ſimilitudine nominis propius ad hanc nomenclaturam accedat, quam Wirtembergiae oppidum Sulz. Sed praeter hanc ſimilitudinem non adeo multae proſtant rationes, quae fidem rei pleniorem facerent. Id quidem taceo, quod Mſc. Codices *Soliconmo* legant, quod quidem nomen Sulzenſi non prorſus diſſimile, ſed minus tamen, quam prius, ſimile eſt; cum alia in promtu ſint argumenta, quae proferri poſſunt. Nimirum oppidi Sulz & arcis Lupf tanta antiquitas euinci non poteſt, quanta Ladenburgi eſt antiquitas. A. 1284. pagus adhuc erat Sulz, *Henrico de Geroldzeck* ſubiectus; quem & tum permittente imperatore *Rudolpho* I. idem *Henricus* de *Geroldſeck* in oppidum muris circumdatum commutauit. A. 1080. Comitum *Alwig* de *Sulz*, & *Henrici* de *Lupfen* aliqua mentio occurrit, docente id Cel. *Sattlero* in der Beſchreibung des Herzogthums Wirtenberg, T. II. c. 40. §. 1. p. 154. Remotiora vero tempora alto inuoluunt ſilentio, quicquid de Lupfen & Sulz praeterea ſcire velis. At *Ladeburgi*, tanquam loci plane non ignobilis, iam ſexti ſeculi monumenta memo-

aeri incisa, qua pagorum aliquot in veteri Barbarie proxime Rhenum Maenumque & Nicrum fluvios situs, ad similem in aliis ditionibus laborem amantes patriae inuitaturi, repraesentauimus. Vt iam non sit dubitandum, hunc vnum ex pagis illis veteris Germaniae esse, de quibus *Tacitus* & *Caesar*: & Lupodunum caput eius, veterum Nicri accolarum (Sueuorum, Alemannorum) sedem exti-

memoriam seruare, in aprico est. II. Romanos Rhenum prope Basileam transiuisse, ex Ammiano tantum abest, vt plene probari possit, vt potius multum adhuc addubitari debeat, num in hac expeditione Rhenum ipsum reuera transgressi fuerint Romani? Verba Ammiani ob variantes lectiones vexata, ita habent: „Anni tempore iam repente „(alii *ferente, recente, terente, vertente*) Valentinianus cum „Gratiano Rhenum (Msc. codices iique optimae notae „omnes: *Inhenum*, forte *Menum*, habent, nullus *Rhenum*,) „transgressus, resistente nemine diuisis agminibus quadratis „ipse medius incedebat.„ Ad haec verba *Rhenum transgressus*: *Valesius* ita: „Multum ab hac *Gelenii* scriptura dis„sentiunt nostri codices; nam in *Regio*, & *Florent.* & *Col„bert.* & *Tolos.* sic legitur: *Inhenum transtibusque nemi„nem diuisis.*„ Hanc vero lectionem mancam ac vitiosam sequenti modo restituit: *Rhenum transgressus resistente nemine*: Quam vero restitutionem mirum in modum exsibilat *Gronouius*, Fil. ita enim scribit: „Cui potest pau„lum humaniori placere iste non artifex sed carnifex „modus integrandi auctores. - - - Sed praeterea (ad haec „verba inprimis attendi velim) an Rhenus sic erat igno„tus ei, qui Ammianum describebat, vt in eius fluuii „nomine

Digitized by Google

extitiſſe. Ipſa igitur ſedes & palatium Comitis eius pagi fuit, & *Ciuitas Lobodunenſis* nomen conſtanter retinuit.

Franci oppida quaeuis vetera Burgos vocabant, & antiquis nominibus *Burgos* addebant; vt *Guntienſis* tranſitus in Rhaetia, poſtea *Gunzburgum* dictus, *Regia caſtra*, *Reginoburgum*: & talia ſexcenta. Itaque iidem Lobodunum ſuo idiomate *Lobo-*

„nomine ita nunc deberet haeſitare? Vide, an magis „placere queat, quod mihi in mentem venit, duntaxat propius ad veterem manum: *Valentinianus cum* „*Gratiano Menum tranſit, viſoque nemine in diuiſis quadra-* „*tis ipſe medius erat.* Hinc & *Auſonius* (l. c.) non „Rhenum ſed Nicrum aduocat.„ Quapropter valde adhuc dubium eſt, an Rhenum Romani illo tempore tranſiverint. Quodſi vero *Menum* ſcripſiſſet Ammianus, Freheri ſententia triumpharet; certe nec Solicinium nec Lupodunum prope arcem Lupf quaeri amplius poſſet. III. Ponamus vero tantiſper, lectionem *Rhenum* genuinam eſſe, quid inde? Imperator *Valentinianus* d. 31. Iulii eiusd. a. Wormatiae legem ſanxit, vti ex *Cod. Theod.* Lib. 13. Tit. 6. leg. 3. p. 94. patet, quod & Cel. D. *Schoepflin* ipſe aſſerit. Iam vero Expeditio Romanorum contra Alemannos aut ante diem 31. Iulii finita, aut demum poſt d. 31. Iul. ſuſcepta eſt. Si prius locum habeat, concipi certe nequit, quod iam ante pugnam cuncta *Satorum* & tectorum cohortes vaſtauerint praeter *alimenta*, quae colligi dubius rerum euentus adigebat; cum pro natura ſoli ſueuici menſis Iunius, quo id fieri debuiſſet, ea nondum *ſata* ac *alimenta* proferat, quae vorax

Lobotenburg, quasi *Loboduniburgum* suo more indigitabant. Id enim erat Burgum, πολίχνη, oppidum muro turribusque cinctum, & portis clausile: quo nomine tunc temporis opportuna bello & munita annonae copia castra vocare iam Romani a nostris Germanis didicerant. Quod cognoscimus ex Burgundiorum historia (*Pith.* 1. Ad itiner. cap. 14. *Scalig.* 2. Lect. Aus. cap. 9.) & *Sidonii Apollinaris*

vorax militum manus in alimenta *sibi* aptare possit. Sin vero post iulium expeditio illa coepta est, certe tanta celeritate Wormatia inde vsque ad fontes Danubii cum exercitu vnius mensis spatio excurrere, pugnare, vincere ac domum redire, vel plane non vel certe admodum difficulter potuisset Imperator, facillime autem potuisset, si pugna in vicinia Maeni peracta fuisset. Cui etiam argumento ex lectione: *tepente* anni tempore, aliquod praeterea accedit robur. IV. Quod terras *Vitichabi*, intra Nicrum & Danubium sitas, attinet, eas hostili impetu invadere tum temporis, cum *Vitichabus*, acerrimus hostis, fraude citerioris vitae Ministri interemtus iam esset, ita vt hostiles discursus post mortem eius plane torperent, tam necessarium non erat, quam necessarium hoc fuit, vt *Rhandonem*, qui Moguntiacum praesidiis vacuum latenter paulo ante irrepsit, propiorem procul dubio hostem aggrederentur, vrbemque & abductos inde ciues vindicarent. Huius vero Alamanni Regalis, vt apud *Ammianum* audit, *Rhandonis*, vel terrae, vel copiae, vel vtraeque ab vrbe hac multum remotae esse non poterant, quia alias tale facinus ausus

Digitized by Google

ris carmine panegyrico in Burgum Hebromagum in agro Burdigalensi, quod quidem a munitione horreorum & propugnaculorum ita vocatum fuisse manifeste canit his versibus:

Cernere iam videor, quae sint tibi Burge futura.
Diceris sic: namque domus de flumine surgunt:
Pendentesque sedent per propugnacula thermae.

Nomen autem origine mere Germanicum, fontem Graecum πυργȣ non dissimulans: & Germanis

non fuisset. Quodsi igitur contra *Rhandonem* potius, quam *Vitichabum*, iam mortuum, parabatur illud bellum, certe pugnam hanc in confiniis Nicri ac Moeni fuisse oportet. V. Si proeliorum sorte decisa victor discessit Valentinianus, quod quidem Ammianus scribit, quaeri posset, cur post pugnam continuo milites ad hiberna, Imperatores Treuiros reuerterint? quod certe in media aestate iam ante finem Iulii cur factitarint victores, praesertim Romani, concipi non potest: at potest, si vertente anno in vicinia Moeni & Nicri pugnatum fuerit. Quapropter in determinando tempore Auctores der allgemeinen Welthistorie recte ita: Der Kayser befand sich, wie aus der Zeitbestimmung eines seiner Gesetze erhellet, den 31. Iulius zu Worms. Von dannen ruckte er in der Feinde Land herein, vnd zog einige Tage hindurch fort, ohne den geringsten Wiederstand, ob er gleich allenthalben grosse Verwüstung anrichtete. Endlich kam er an einen Ort, nahmens Solicinium. - - - Weil die Iahrszeit schon weit verloffen war, wurden die Soldaten, nach diesem Sieg, in die Winterquartiere geschickt, vnd der Kayser reisete mit

manis non tam arcem quam ciuitatem clausam significabat: vt ex *Otfrido Monacho Wissenburgense*, antiquissimo omnium scriptore Teutonico, discimus, qui in Euangelio locum illum: *Ite in ciuitatem*, Francisce ita reddidit: *Faret in thia burg*; & in Saxonico *Willeramus*, *afft die burg* p. 42. 92. & *die Burchuuachtuo*.

Horum coloni Franci Occidentales oppidum *Bourgade* etiamnum dicunt, & suburbium *Faulxbourg* quasi ciuitatem. Ita etiam legimus veterem ciuita-

mit seinem Sohn *Gratianus* nach Trier wieder zurück, in welches er mit einer Art von Triumph seinen Einzug hielte. In eo vero quod Solicinium Wirtemb. oppidum Sulz esse, sub hac quoque hypothesi statuunt, adeoque cursum incredibili celeritate ab Imperatore, qui Iulio Caesari longe inferior erat, conficiendum admittere debent, sibi ipsis non satis videntur constitisse. VI. Argumenta ab effossis quibusdam ossibus humanis & instrumentis bellicis valerent, si Ammiani locus classicus magis consentiret, sola vero, sine Ammiano, vel nihil vel parum probant. VII. Dumeta, opaca & horrida siluarum silentia, asperos ac praeruptos montes in Ladenburgensium quoque tractibus reperiri docuit *Freherus* in textu; quemadmodum etiam VIII. Vt vocem Celticam *Düne* seruaret, Ladeburg colliculo, ne quid desit, superstructum esse, scripsit. IX. Istri vero mentio ita intelligenda, vt Nicer magis cum Lupoduno & Lupodunum cum Nicro, quam vtrumque & Castellum & flumen cum Istro coniunctum appareat. Quod quidem Poetis rem saepe exag-

ciuitatem (quae hodie *Ratisbona*) *Regium Antonino*, Regino Caſtra *Noticiae*, Regino *Tabulae itinerariae Welſerianae*, deinde Francis in ſuis diplomatis modo Reginam ciuitatem, modo Reginesburg, Reganesburg, Ragenesburg. Ita ergo veteris *Lupoduni* Burgum Franci vulgariter *Lobotenburg* & *Lobedenburg*, & paulatim (vt contractionibus mire gaudebant; ex *Altiſſioduro Auxerre*, ex *Vxilloduno Vſſoudun*, *Auguſtoduno Autun*, *Lugduno Lyon*, *Nouioduno Nyon*, *Cabillone Chalon*, ex *Borbetomagus Wormes*, ex *Franconofurto Francfurt* facientes) *Lobdeburg* dicebant, ſi modo contractio

exaggerantibus, multasque victorias, adulantium more, ſimul reſpicientibus eo magis concedendum eſt, quo ſaepius fontes Danubii pro integro fluuii curſu, vt & pro Alemannia ipſa ponere amant; ita *Claudianus*

Omne quod oceanum fontemque interiacet Iſtri
Vnius incurſu tremuit - - -

hoc eſt, quod oceanum interiacet ac danubium; *Et Auſonius* ipſe, Epigr. IX.

Qua gelidum fontem mediis effundo ſueuis,

non locum fontis ſolum, ſed integrum tractum immo totam Sueuiam intelligit.

His itaque probe ponderatis, quaeſtionem nondum eſſe deciſam, ego quidem exiſtimo. Determinandus enim foret ſitus Solicinii, a quo caetera tantum non omnia pendent. Haec vero determinatio propterea difficilis eſt, quod praeter difficultates oppidum Sulz prementes, etiam in vicinia Ladeburgi ne vllum quidem oppidum occur-

tractio dicenda est, cum vtrumque dicere etiam alioqui potuerint, *Lobdun* & *Lubodun*: vt *Lugodunum* prius dictum *Dio* scribit, etiam in lapidibus aliquot & nummis legimus, quod vulgo in omnium ore & Calamo *Lugdunum*. Notarii autem & tabelliones eorum, Lobodonem castrum, aut castrum Lobodonense, aut Lobodunam ciuitatem, pro sua elegantia vertebant.

Et vidimus ipsi non pauca diplomata venerandae illius antiquitatis, Carolorum, Ludouicorum, Otthonum, Henricorum, eo in loco a Principibus data & subscripta: additum etiam aliquando: In praesidatu Cunradi comitis: In Comitatu Henrici Comitis. Quorum ibi Salam, mallum, burgum

occurrit, quod tolerabili aliqua similitudine aut explicatione pro Solicinio veterum venditari possit; Deinceps Lectio Genuina *Ammiani* siue ex *Valesii* siue ex *Gronouii* mente restituenda & in apricum ponenda; tertio loco de anni tempore, quo pugnatum fuerit, & quarto de hostibus, contra quos praecipue agmen suum eduxerit *Valentinianus*, studiose ac solicite dispiciendum esset; quo pacto ad veritatem historicam propius accederetur. Nostrum vero non erat, pro altera vtra sententia certi quid pronunciare, cum quinis suo huc vsque ingenio abundare, aliusque *Lupfenberg* alius *Ladenburg* pro Lupoduno agnoscere possit; Neutrius enim Partis argumenta ita sunt inuicta, vt vna suis delectata alteram contemnere possit. Diximus, quid pro vtraque sententia militer, quid contra. Haec dixisse sufficiat.

burgum cumprimis celebre fuisse, hinc certo liquet. Et nomen ipsum palatio Episcopali κατ' ἐξοχὴν adhaerescens, der Saal zu Ladeburg, der Bischofs-Saal, non tantum in antiquis instrumentis legitur, sed etiam in hanc diem superest, vt & incolae & rustici vicini non aliter fere dicere soleant: Ich gehe in den Saal, ich komm aus dem Saal, arcem Episcopi volentes.

Is Comitatus Lobodunensis (Lobeteburgensis) sequentibus temporibus beneficio Germanorum Caesarum hereditarius factus, & certae familiae feudi titulo adscriptus: ex qua in primo hastiludio sub Henrico Aucupe Imp. celebrato inter alios decurrisse legimus: Andre Grave zu Lobdiburg. (Thurnierbuch.) Quod postea obscurior, in causa erat vicinitas Triburiae villae regiae, loci nominalissimi.

Ex his etiam perspicuum est, qua ratione ex Lopoduno Lobodiburgum (eadem nimirum, qua ex Reginone ciuitate & ipsa non infimi nominis, Regensburgum) & ex hoc Laudiburgum, tandemque Ladeburgum sit factum, quomodo hodie vulgo vocatur. Quod ineptis hominibus, hac ratione originem Romanam loco asserere satagentibus, occasionem fingendi Latinoburgi dedit. Sane a CC. fere annis constanter scriptum inuenio Laudenburg: & ipsa porta ad orientem oppidi titulum talem ingentibus litteris inscriptum praefert, *Laudenburg.*

(*b*) Ne-

Digitized by Google

(b) Neque etiam ignoro, equestris ordinis familiam ibi extitisse, illorum de Laudenburg: quae etiam Episcopos duos Wircepurgenses (ne plura addam) dederit. (Trithem. in chron. Hirsaug.) At notum est, quam facile propria locorum nomina, paulo antiquiora & prolatu difficiliora, in ore vulgi lancinentur & deprauentur. Praesertim vero, quam facilis litterarum Bet Vinter se sit commutatio, (ne Pandectarum Florentinarum auctoritate in re friuola abutar) vel vnum alterumque exemplum abunde docuerit:

(b) Maiorem sententiae suae fidem conciliaturus *Freherus* alio loco, in *Mosella* sua, Ladenburgi varias variis temporibus vsitatas denominationes cum mutationibus vrbis Ratisbonae vel Regensburg sequenti parallelismo comparauit;

Typus parallelus Mutationis, qua e veteribus Rhegii & Lupoduni nominibus, hodie facta *Regensburg* & *Ladeburg.*

Rhegium *Anton.*		Lupodunum *Auson*
Rheginum *Aimon.*		
Regino *Tab.*		Lobodo.
Regina castra *Noticia.*		Lobodocastrum.
Regina Ciuitas *Annal. Franc. & Fuld.*		Lobodune Ciuitas.
Reginoburgum		
Reginonisburgum.		Lobodonisburgum *Francice*
Reginasburg *Velser.* Reginesburg *Annal Pith.*	*Theotisce*	Lobdenburg.
Reganesburg. Ragenesburg.	*corrupte*	Lobodenburg. Lobedenburg. Laudenburg.
Regensburg.		*Ladenburg.*

cuerit: ita Veruex in Brebis: & ex Augaro Rege Abgarum codicum exaratores fecerunt: & rurſus Louendeburg apud Lamb. Schaffnaburg A. 1073. tunc Imperiale oppidum, ſi non potius ſcribendum: Louedenburg. Ita etiam *Lobdenburg* in *Loudenburg* non tam ἐυφωνίας affectatione quam quadam Barbarici oris oſcitantia & balbutie degenerauit: cum quidem verum ſuum & natiuum nomen ab omni antiquitate ipſa adhuc ciuitas in ſigillis ſuis (maiore enim & minore vtitur) quibus pro inſigni Burgum ſeu caſtellum biturritum ad veteris dignitatis memoriam inſculptum habet, incorruptum fideliter conſeruet: S. *Paruum. Oppidi. Lobdenburg*; vt pleraeque ciuitates in Burg deſinentes, veluti Magdeburg, Luneburg, Hamburg, Weiſſenburg, Neuburg, Regensburg, Offenburg, Bernburg, Brandenburg, Rotenburg, imo etiam Freyburg in Vohtland, Augſpurg, Hachenburg, Homburg, Glaudenburg, Diepurg, Bebenburg, Burkheim. Quod vnum hanc obſeruationem noſtram maxime confirmat, iunctis Carolini illis aeui diplomatis, non iam quibus Lobodonenſis pagi villae enumerantur, quae vidi ad trecenta: ſed quae in ipſa Metropoli, perueteri inquam illa Lupoduno Auſoniana, in Francia orientali a Francis regibus & Caeſaribus editae ſubſcriptae & ſubſignatae ſuperſunt: quarum exempla aliquot fidei faciendae ſubiiciemus.



MONV-

Digitized by Google

MONVMENTA ANTIQVA

FIDEM FACIENTIA,

LADEBVRGVM,

DAGEBERTI,

PIPINI, CAROLIQVE AEVO, FRANCIAE ORIENTALIS

NON IGNOBILE OPPIDVM FVISSE;

Cum Literarum aliquot exemplis in hac vrbe & Comitatu eius, Pagoque Lubodunensi a Francis Regibus & Caesaribus editarum, subscriptarum, subsignatarum.



Traditio Ciuitatis *Laudemberg* cum omnibus adiacentibus per *Dagebertum* Regem. A. 636.

D*AGEBERTVS Rex Francorum. Cunctos nosse volumus, qualiter Nos de remedio animae nostrae & de futura retributione cogitantes omnino proposuimus in animo nostro Ecclesiae Dei de allodiis nostris cohaeredes facere, & loca sanctorum augmentare. De hoc tulimus bonum consilium procerum nostrorum, PIPPINI, qui est Maior*

Maior domus, ARNOLFI Metensis Episcopi, HVMBERTI Coloniensis Archiepiscopi: & inde misericordiam Domini consequi & eius sanctorum suffragia promereri confidimus. Ideo omnes Dei fideles & nostri, praesentes & futuri recognoscite, qualiter omnes res iuris nostri in pago LAVDEMBVRGENSI (LOBEDENGAVWE) & quidquid ad nostram vrbem ambulare visum est, & omne quod ad Fiscum nostrum hactenus pertinebat (excepto stipe & comitatu) ex eo nihil dimittentes, tradimus totum ex integro, magnum & paruum, ad Basilicam S. PETRI Apostoli, quae est in WORMATIA ciuitate constructa, cui praeest Dominus vir Apostolicus AMANDVS: hoc est, quod tradimus, Ciuitatem nostram LAVDEMBERG LOBDENBVRG, palatium nostrum, aedificia, mancipia, vineas, terras cultas & incultas, agros, prata, campos, omne syluaticum in syluis OTENVALT, cum omni vtensilitate in omni LAVDEMBVRGENSI (LOBDENBVRGENSI) & vndique in intraba, in pascuis, materiamina, aquas aquarumque decursus, in piscationibus, quaesitis & inquirendis, omne theloneum, mercatum, & quidquid dici aut nominari potest, sicut prius ad nostrum vsum ambulare videbatur, sic in antea ad praescriptam Basilicam pro aeternae mercedis augmentum possidendum donauimus, & sub integra communitate omnia ad eandem Basilicam pertinentia praeceptione

Digitized by Google

ceptione nostra a nouo confirmamus, sicuti priori anno communitatis tuitionem dedimus omnes villas, facultates seu Abbatias, & quidquid ad ipsam ciuitatem Wormatiam aspicere videtur: vt nullus iudex publicus, nec causas cudiendo, nec freda exigendo, nec homines ipsius ecclesiae tam ingenuos quam & seruientes distringendo, nullum impedimentum audeat facere, nisi pro parte ipsius Ecclesiae vel ipse pontifex AMANDVS aut successores hoc habent concessum atque indultum, quieto ordine possidere atque dominari, quod partibus fisci nostri fuit consuetudo reddendi. Et vt authoritas haec firmior sit, manu nostra subscriptionibus subditis illam decreuimus roborare.

Dagebertus Rex Francorum. *Godefridus* recognouit.

Datum sub die 11. Kalend. Octobris, Anno Regni nostri VI. Actum MOGVNTIAE palatio nostro, feliciter satis.

De Comitatu *Laudemberg.* Anno. 1011.

In nomine sancte & indiuidue Trinitatis. Henricus diuina ordinante prouidentia Rex &c. Omnium itaque sancte Dei Ecclesiae vtriusque sexus fidelium sub regni nostri ditione degentium nosse volumus solertiam, qualiter BVRCHARDVS, venerabilis Episcopus sancte Dei Ecclesiae VVORMACIENSIS, nobis in omnibus fidelissimus,

Digitized by Google

mus, dominationem noſtram adiens rogauit, vt fidelitatis variique laboris ſaepe pro noſtra dilectione impenſi recordaremur. Cuius vero petitioni nos aſſenſum praebentes, fideique ſibi promiſſae memoriam tenentes, interuentu videlicet ac petitione dilectae coniugis noſtrae CONIGVNDAE Reginae, Comitatum in Pago LOBEDENGAVVE ſitum, cum omnibus ſibi pertinentibus, per hanc noſtram Regalem paginam ceſſimus, & de noſtro iure & dominio in ſuae ditionis manum transmiſimus, ea videlicet ratione & tenore, vt iam dictus Epiſcopus de predicto Comitatu & eius vtilitatibus dehinc habeat poteſtatem fruendi, habendi, vel quidquid ſibi placuerit faciendi, omnium hominum contradictione remota. Quod vt verius credatur diligentiusque obſeruetur ab omnibus, propriis manibus roborantes ſigillo noſtro ſubter inſigniri iuſſimus. Datum VII. Idus Maii, Indictione IX. Anno Dominicae incarnat. MXI. Anno vero Domini ſecundi Henrici regnantes IX. Actum BAVENBERG Feliciter, Amen.

Donatio *Sigwini* in *Hautſcubesheim*, Anno XIII. Regni Domini *Pippini Regis*, *Rutgango* Archiepiſcopo & Abbate. A. 762.

Ego in DEI nomine SIGEWINVS pro animae meae remedio, ſeu & pro aeterna retributione, per hanc cartam teſtamenti dono ad eccleſiam peculiaris patroni

patroni mei S. NAZARII martyris, qui requiescit in corpore in pago RINENSI in monasterio, quod vocatur LAVRISHEIM, sito super fluuio Wisscoz, vbi Dominus & Pater meus vir Apostolicus Rutgangus, Abbas esse videtur; id est, vineam meam in pago LOBODONENSE, in villa HANTSCHVHESHEIM, super fluuium NECKAR; in ea conditione vt hac die ipsius monasterii monachi habeant, teneant atque possideant, vel quicquid exinde facere voluerint, liberam & firmissimam in omnibus habeant potestatem. Si quis vero, quod futurum esse minime credo, sic ego ipse, quod absit, aut vllus de haeredibus meis, vel proheredibus meis, vel quislibet, vel extranea persona, qui contra hanc donationem venire conatus fuerit, aut inrumpere voluerit, iram Dei omnipotentis incurrat: insuper etiam inferat ipsius monasterii sacratissimis fratribus auri libram I. argenti pondera II. & praesens donatio firma & stabilis omni tempore permaneat, stipulatione subnixa.

Actum in LOBODONE CASTRO, coram testibus. XI. kal. Augusti. Signum Sigeuuini, qui hoc testamentum fieri & firmari rogauit. Sign. Warini Comitii, Waldolfi, Ascricho, Agrimo, Ruthtan Waningo, Nandingo, Hariberto, Harirado. Donadus scripsit.

Dona-

Digitized by Google

Donatio Gumperti, in *Niwenheim*, in *Lobdunensi*, Anno XIII. Regni Domni *Pippini* Regis A. 763.

Si aliquid de rebus nostris locis sanctorum vel in substantiam pauperum conferimus, hoc nobis procul dubio in aeterna retributione apud Deum restitui confidimus. Igitur ego GVMPERTVS, in nomine Domini IEsu Christi, pro animae meae remedio, dono donatumque in perpetuum esse volo ad basilicam S. Nazarii, quae constructa est super fluuium WISSCOZ, vineam meam hoc in pago LOBDVNENSI, in villa NIVVENHEIM, ex cuius vna parte attinetur vinea FRIDEBVRGE, & de alia parte via publica, in tertia parte subterfluit NECKAR fluuius; in ea ratione, vt ab hac die ipsa ecclesia, vel agentes eius, debeant dominando perpetualiter possidere: ita vt ab hac die & deinceps iure habendi, tenendi, dominandi, vel quicquid exinde pro oportunitate ipsius Basilicae elegerint, faciendi liberam in omnibus habeant potestatem. Si quis vero contra hanc paruulam donationem, a me factam, venire tentauerit, & eam infringere vel mutare voluerit, tunc partibus basilicae S. PETRI, auri solidos III. argenti pondera II. inferat; & tamen quod repetit, euendicare non valeat. Sed praesens ista donatio, omni tempore firma & stabilis permaneat, stipulatione subnixa.

Actum

Digitized by Google

Actum in LOBDONENSI CIVITATE PVBLICA. *Idus Nouembris. Signum Gumberti, qui hanc donationem fieri & firmari rogauit. Sign. Harifridi, Hardeperti, Raginparti, Zezonis, Onolbaldi, Hassi indignus presbyter donationem istam scripsi rogatus & subscripsi.*

Confirmatio *Caroli* Regis de *Laudemberg* & *Otenwalt.* A. 797.

CAROLVS *Dei gratia Francorum & Longobardorum Rex, & Patricius Romanorum. Quidquid Sacerdotes de suis & Ecclesiae suae necessitatibus nostris auribus infuderint, id pro animo suscipere aequum censemus, Deique misericordiam in supplendis petitionibus illorum promereri liquido credimus. Quapropter nouerit omnium Dei Ecclesiae nostrique fidelium industria, quod vir venerabilis* ERENBERTVS *Wormatiensis Ecclesiae Episcopus nostram excellentiam adiit, se reclamans ob contentionem quandam, quam Reipublicae iudices & exactores fecerunt inter Ecclesiam suam & inter Regiam potestatem de syluis* OTENWALT *& caeteris vtensilibus in pago* LOBODVNBERGENSE, *volentes omnem vsum praedicti pagi in dominicum fiscum redigere: propterea ante nos in manibus detulit praeceptum* DAGOBERTI *Regis Francorum, in quo tenebatur, qualiter idem* DAGOBERTVS *Rex Francorum ad Basilicam S.* PETRI *Aposto-*

li quae est in WORMATIA *ciuitate constructa, tradidit ciuitatem* LAVDEMBERG *in pago* LAVDENBERGENSI *sitam, cum omnibus rebus ad illam pertinentibus, hoc est aedificia, mancipia, vineas, terras cultas & incultas, agros, prata, campos: omnem syluaticum in syluis* OTENWALT, *cum omni vtensilitate in omni pago* LAVDENBVRGENSI *& vndique in intraba, in pascuis, in materiaminibus, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, quaesitis & inquirendis: item theloneum, mercatum, & quidquid ad fiscum pertinebat: excepto stipe & comitatu, ex integro omnia concessit, & sub integra erumnitate omnia ad eandem Basilicam pertinentia sua praeceptione confirmauit. Praeterea in nostram praesentiam attulit chartas & praecepta praedecessorum nostrorum Regum videlicet Francorum,* HILPERICI *& genitoris nostri bonae memoriae* PIPPINI, *in quibus continebatur, quomodo ipsi Principes & Reges Francorum praeceptum* DAGOBERTI *& omnes praedicte Ecclesiae res suis praeceptionibus confirmassent. Sed pro rei firmitate petiit celsitudinem nostram, vt nostra etiam auctoritate id ipsum confirmaremus. Cuius petitionibus ob animae nostrae remedium libenter annuentes, dissensioni finem fecimus, & hoc nostrae auctoritatis praeceptum eidem Ecclesiae fieri decreuimus. Addidimus etiam de nostro & donauimus ad praefatam*

Digitized by Google

tam Basilicam S. PETRI *principis Apostolorum, Ecclesiam in villa* EDINGA *constructam, & quandam censualem terram in villa* HVSEN *nominata, cum curtilibus & omnibus vtensilibus ad eandem terram pertinentibus, campis, pratis, pascuis, aquis aquarumque decursibus: & decem mansos in villa* VLVESHEIM. *Et vt haec auctoritas nostrae confirmationis & traditionis in futura tempora immobilis permaneat, manu nostra subter eam roborare decreuimus, & de annulo nostro sigillare iussimus. Lutherus recognouit.*

Data mense Iulio Anno XXX. Regni nostri. Actum VALENTIANAS.

LVDOVICVS *Rex, Anno XXIV. eius Regni in Orientali Francia Franckenfurt.* A. 837.

OTTO *Imp. Anno Dom. Incarnat. D. CCCC. Rauennae.* A. 900.

HENRICVS *Rex MXII. Neristein.* A. 1012.

RVDOLPHVS *Rex Rom. MCCLXXXVIII. Wormatiae.* A. 1288.

LVDOVICVS *IIII. Imp. MCCCXXXII. Franckfurt.* A. 1332.





RELATIONES ET OBSERVATIONES DE LIBRIS ET SCRIPTIS NOVIS.



IOH. WESLEY NOTAE IN N. T.

Lond. 1758.

ANGLICO SERMONE EDITAE;

RECENSENTE

G. L. Seizio.

Cum ſuperiori faſciculo ſcopum auctoris expoſuerimus, ſequitur iam, vt etiam, qua lege ei ſatisfecerit, per exempla doceamus. Diſcrepantias in Genealogia Chriſti Matth. I. & Luc. III. ita exponit, vt ſecare potius quam ſoluere nodum videatur. (*c*)

Ab

(*c*) Difficultates enim, ex mente Wesleyi, ſi quae fuerint, eae premerent potius publica Iudaeorum monumenta, quam vt fidem Euangeliſtarum infringerent. Hiſtoricos, inquit, hi agebant, & publicas has tabulas a nemine vnquam in dubium vocatas publica fide allegabant, neque

Digitized by Google

Ad Ioh. XVII, 21. summam profundissimae illius orationis sic complectitur. 1. *Illustra me Pater! gloria ista tua & mea.* 2. *Fac etiam meos Apostolos eiusdem gloriae participes.* 3. *Et omnes credentes ceteros.* 4. *Fac vt omnis credat mundus.*

Ad Act. XV, 29. aliquot argumentis *probare studet ab esu sanguinis probibitos esse filios Dei ab initio inde mundi.* (*d*)

Addam vnicum: Deprehendere mihi videbar, cum librum hunc euoluerem, genus quoddam dictorum sacrorum, quibus explicandis *Wesleyo* a *Bengelio* nunquam fit satis, quae ipse adeo profundius

que necesse habebant, errores, si qui essent, suum scopum non attingentes, corrigere. Ad Iudaeos enim de Iesu ex familia Dauidis oriundo conuincendos satis sic ponderis habebant. Contra sancti viri multis intricatis & inutilibus controuersiis ianuam aperuissent, si vel diuina authoritate huiusmodi tabulas immutare ausi fuissent.

(*d*) 1. Ab Adamo ad Noachum vsque nemo carne, neque adeo sanguine vescebatur. 2. Vbi Noacho & posteris permissum erat vesci carne, nominatim sanguine illis interdictum est. 3. Per Mosen DEus hanc legem renouauit. 4. A Mose inde nemo, neque post Christum quisquam ausus est eam abrogare, vsque dum Episcopo Romano circa seculum VIII. visum est, hac lege Christi gregem soluere. 5. Ab eo tempore, qui illa sacra sequuntur, esum sanguinis habent indifferentem. 6. Qui iugum istud excusserunt, plane neminem allegare possunt, qui veniam ipsis dederit edendi sanguinis.

Digitized by Google

dius rimari, & ſuis etiam lectoribus explicatiora proponere annititur. Dicta puto de *electione* & *praedeſtinatione*. Ex. gr. Eph. I, 4. 5. προορισας κατα την ευδοκιαν. His Bengelius adſcripſit. *Vltra hoc beneplacitum nobis neque in ſalutis noſtrae, neque in vllis operum diuinorum cauſis rimandis ire licet.* Putaueris, nil accomodatius eſſe ad ſedandum id genus lectorum, quibus Wesleyus inſeruire vult; adeoque, ſi vllam aliam, certe hanc Gnomonis notam ad verbum illum fuiſſe translaturum; quod cum non fecerit, mirari equidem non poſſum non, qni fiat, vt duumuiri, vniverſalem gratiam ambo tuentes, tamen in exprimenda ſua de huiusmodi dictis mente alter alterum non plane aſſequantur. Ita vero commentatur ad hunc locum *Wesleyus*: *Deſtinauit nos pro ſuae voluntatis arbitrio, id eſt, ſecundum liberum illud & immutabile Dei decretum, omnibus bonis diuinis fortunare omnes & ſolos credentes.* Nolim tangere iſta vlcera. Sed in memoriam redit, quod tam ſaepe *B. Weiſmannum* pro Cathedra dixiſſe etiam alios meminiſſe iuuabit, nimirum Syſtematici nexus amorem in tranſuerſum agere aliquando etiam cordatos viros, quo minus vim & gravitatem verbi Diuini nobis auſteram ſaepe viſam dociles percipiant. Neque enim ad ακριβειαν ſcholae, ſed ad indigentiam Cordis humani, moroſi, abiecti, contumacis, ſuos ſermones inflectit Scri-

ptura

Digitized by Google

ptura Sacra. De *electione* quae ex alio autore ad Rom. VIII, 33. inseruit Ven. *Dn. Wesley* dignissima sunt, quae penitius considerentur: „ Longe ante natum Christum Gentiles a Deo deficientes „ reiecti sunt & nullo loco habiti; Iudaei contra „ electi Deut IV, 37. ideoque filii Dei Deut XIV, 1. „ Sacer Deo populus, peculiaris populus VII, 6. „ progenies electa IV, 37. nuncupati. His am„ plissimis titulis omnes Iudaei, tota natio, mali „ & boni condecorabantur. Iam cum intime con„ nexa sit doctrina Euangelii cum istis V. T. libris, „ quibus his ipsis phraseologiis nil est vsitatius; cum „ porro Dominus noster, & ipsius Apostoli, nati fue„ rint ex Iudaeorum gente, & ad Iudaeos istis „ formulis assuetos verba fecerint, non potuerunt „ non has phraseologias saepissime in ore habere. „ Hinc patet, qua ratione *reiecti* dicantur, qui „ fidei non obediuerunt, & *electi* contra, *popu„ lus Dei &c.* qui Christo nomen dederunt.



DE LIBELLO

HISTORIARVM SVEVICARVM

THOMAE LYRERI RANKWILENSIS,

OBSERVATIONES

I. C. Volzii.

Edidit ſuperiori anno, (1761.) denuo libellum *Lyreri*, cuius fere memoria erat obliuione deleta, Vir Cel. *I. R. Wegelinus* I. V. Lt. & Reip. Lindauiens. Conſul meritiſſimus, Lindauiae, forma quarta, tit. ſq. *Thome Lirers von Ranckweil alte Schwaebiſche Geſchichten ſamt Chronick eines vngenandten Authoris von Paepſten, teutſchen Kayſern vnd Koenigen, beſonders Caroli M. Zeiten an bis aufs Iahr 1462. Mit angehaengten Anmerkungen von Licentiat Wegelin Burgermeiſter. Lindau, im Verlag Iacob Otto, Buchhaendlers. 1761.*

Nullo paginarum numero adpoſito iſtae, more antiquo, a ſe diſcernuntur. 1. Ad finem libelli adiectae ſunt Cel. Editoris annotationes, quibus & hiſtoriam opuſculi & errores, & teſtimonia de illo

Digitized by Google

illo autorum, breuiter enarrat; ea, quae vera possint haberi, a *Thoma* relata, secernit a fabulis, atque illustrat, fidemque eius, quantum fieri potest, adstruere conatur.

2) Sequuntur *Felicis Fabri Monachi Vlmensis in historia sueuorum L. I. Cap. XX. animaduersiones in vetustum Chronicon Sueuiae Thomae Lireri Ranckwil.* Qui pariter aliquam ipsi fidem esse relinquendam censet, licet lapsus chronologicos, aliosque plures excusare non sustineat.

3) Occurrunt *excerpta e MARTINI CRVSII Annalibus sueuicis, sec. Edit. German. Cel. I. I. MOSERI,* L. IX. P. II. C. XVI. qui tamen autores parum tribuere videntur istis compilatoris nostri narrationibus.

4) Add. *Extractus Actorum Lindauiensium, siue D. Dan. Heiders gründliche Ausführung der Reichsstatt Lindau abgeloeste Reichs-Pfandschaft betreffend. In documentis Lit. aaa. p. 611. sqq.* Qui vsus est ex parte iis, quae attulit *Lyrerus,* atque proinde illius etiam defensionem aliquo suscepit modo, quamuis miseram fabularum inesse libello compilationem, pariter diffiteri non fuerit ausus.

5) *Excerptum ex supra laudati I. I. Moseri Bibliotheca Scriptorum de rebus Sueuicis. p. 55.* Qui satis seuere contra *Lirerum* eiusque fidem, *Crusium* secutus, pronuntiauit.

6) Aliud excerptum e *Bibliotheca Scriptorum rerum sueuic. in thesauro Differt. Select. Volum. I. Sect. II. Pag. XIII.* quod *Lirero* fidem non prorsus esse abnuendam, argumentis allatis, probare conatur.

7) Adiiciuntur tandem, *Anmerkungen Tit. Hr. B. v. PISTORIVS Reichs-Hochgraefl. Gesandtens in Regenspurg &c.* Qui cum aliis *Lireri* res sueuicas a Chronico breui subiecto distinguendas autumat, quod scil. noua manu fuerit exaratum, & quae eadem *Lireri* laborem interpolasse sit credenda.

Nolim equidem heic, quae pro tuenda *Lireri* fide dicta sunt, aut quae ipsi exprobrantur, repetere: dignus est, qui ab amatoribus patriae historiae, penitius excutiatur libellus. Vnum afferam, de quo viri Celeberrimi, qui de hoc foetu sententiam dixerunt, nihil commemorarunt, quod tamen, mea quidem opinione, non erat omittendum. In eo consentiunt omnes, qui de illo egerunt, fidem mereri *Lirerum* in iis, quae de rebus afferat, sua aetate gestis, quibusque se interfuisse ipse fateatur. Non repugno canoni critico, qui multi est vsus, in omni historia diiudicanda; sed eundem *Lirero* quam maxime obesse, ostendam. Ad calcem libelli sequentia sunt adiecta verba, quibus *Lireri* propugnatores potissimum niti videntur: „Vnd „ich Thomas Lirer gesessen zu Ranckweil, das do „gehoe-

Digitized by Google

„gehoeret zu dem Schloſs vnd Herrſchaft Felt-
„kirch, hab dieſe Ding den mehrern Theil geſe-
„hen. Vnd auch viel an frumen Leuten
„erfragt vnd erfaren. An warhaften Herren
„Rittern vnd Knechten die mich des gar war-
„lich vnterricht habent. Dann ich auch meins
„gnaedigen Herren von Werdenberg Knecht
„bin geweſen vnd mit ihm ausgefaren gen Por-
„tigal. Vnd mit ihm wider haim kumen. Vnd
„iſt das Buch zum erſten abgeſchriben worden
„indem als man zalt von der Geburt Chriſti
„XI. Hundert vnd im XXXIII. Iahr an Sant
„Oſwalts Tag.„

Verum enim vero, ipſa haec verba nouas pariunt difficultates. Vidit illas Cel. *Wegelinus*, easque, pro ſingulari qua ornatur eruditione, diluere conatus eſt. Refert ille, plerosque autores *Lirerum* ſcriptoribus ſeculi duodecimi annumerare, fidem facientibus verbis allatis, & eius libello annexis. Quoniam ſcil. in Seculo XII. non apparet *Comes Werdenbergenſis Albertus*, cui ea competere videntur, quae ſeruus iſtius, bonus ille *Thomas* narrat, autore *Lazio*, *in Genealogia Comitum Werdenberg*: ſtatuit, illum, de quo ſermo fuerit *Lirero*, *Albertum* comitem, eundem eſſe, qui circa annum a C. N. 920. floruerit, quae quidem obſeruatio Thomam Seculi X. ſcriptoribus inſerendum ſuaderet. Quod vero neque

que res relatae, neque lingua huic satis conuenire videtur seculo, vulgari tum sermone vel latino vel antiquo francico conscriptum libellum, a librario edente in familiariorem sua aetate sermonem conuersum, atque passim interpolatum esse coniicit, vir doctiss. *I. R. Wegelinus.* Sed neque Seculo XII. quadrat ista lingua, qua exaratum legimus libellum: tribuenda erit igitur haec mutatio editori seculo demum XV. viuenti; Cui etiam opinioni non repugnare videtur Cel. *Wegelinus.* At vero, primum vereor, vt satis munita sit, auctoritate *Lazii*, allata ista Comitum Werdenbergensium Genealogia. Quidquid vero eius rei sit, ipsa haec series genealogica, *Lazii* fide nixa, parum conspirat cum iis, quae nobis de regni Lusitanici siue Portugalliae supersunt origine, monumentis. Non est, cur prolixius ista heic loci referam, cum post antiquiores auctores, exactissime haec omnia expediuerit, vir meis laudibus longe maior *G. Chr. Gebauer*, in opere praestantissimo, quod A. 1759. de *Historia Lusitanica* cum erudito communicauit orbe. Manifestum est nempe, prima noui regni iacta esse fundamenta, cum *Henricus*, ex Burgundiae Ducum stirpe oriundus, *Alphonsi VI.* Castellae regis filiae *Theresiae* matrimonio copularetur, A. 1095. Obtinuit comitatum haereditario posthac iure, A. 1109. ex *Alphonsi* soceri testamento, neque

tamen

Digitized by Google

tamen regio illum elogio mactatum fuiſſe vllibi reperitur. Primus, qui rex fuerit appellatus, ab exercitu quidem ſuo, legitur *Alphonſus I.* Henrici filius, A. 1139. antequam celebre illud in *Oricbienſi agro* committeretur, cum ſaracenis praelium. Confirmauit regium hoc encomium A. 1179. *Alexander* Papa tertius, pro ea, quam ſibi arrogabat in principes terrae poteſtate, regnumque ſedi, quam vocant, ſubiecit Apoſtolicae. Antiquius tamen eſſe ius iſtud, ſi vel maxime Pontifici haec concedatur hypotheſis, docet Illuſtr. *Gebauer*, Hiſt. Luſit. Sect. II. §. VII. p. 48. & a Papa *Innocentio* II. iam A. 1142. agnitum. Quae cum penitus ſint expedita, quis eſt, qui *Lirerum* ferat, de Portugalliae Rege A. 920. regnante, nugantem? Primus, qui Mauris Luſitaniae partem eripuit, *Legionis* Rex erat, *Alphonſus* I. Catholicus, qui ad *Durium* vsque fluuium victricibus penetrauit armis. Regnauit ille, vti conſtat, ab A. 739-757. Veſtigia poſthac eius legit *Alphonſns* III. M. qui *Coimbram* vsque graſſatus eſt, & regnum ab A. 966-911. tenuit. *Garſiae* Regi A. 914. ſuccedebat in regno *Ordonius* II. & eidem vsque ad A. 923. praeerat. In huius igitur dies oportet incidant res ab *Alberto Werdenbergenſi* geſtae, & a *Thoma* in litteras relatae. Bene, inquis, falſus eſto *Lirerus* in *Portugalliae* regni titulo; ſalua tamen

res

res eſt, *Legionis* intelligamus regem, magnae tum temporis Portugalliae partis dominum. Reliqua, quae narrantur, nihilo minus vero erunt conſentanea. Fateor omnibus mutatis in autore nugatore, tandem aliqualis extundi poterit fortaſſe veri ſpecies. At vero poterat ignorare homo, qui ipſe in *Portugallia* tum verſabatur, qui *Alberti* miniſter erat in curia regis tantopere honorati, qui partes ſuas habebat potiores in rebus, quas a domino ſuo geſtas enarrat, poterat is ignorare, nullum eo tempore *Portugalliae* exſtitiſſe regnum, prouinciamque fuiſſe *Legionis* regno ſubiectam? Si vero ea, quae *Lirerus* narrat, ad poſteriora his tempora volueris detrudere, annus tamen 1133. quo ſcriptus eſſe aſſeritur liber, ipſam *Alphonſi* Luſitaniae regis adpellationem, ſex fere anteuertit annis. Neque cum Genealogia *Lazii*, ſuperius Doctiſſimo *Wegelino* adprobata, ex ipſius mente poterit ita facile conciliari. Quam igitur, quaeſo, fidem habeamus autori, qui in maximis aeque ac minimis, quae narrare vult, tam turpiter falſus eſt? Praeter nomina *gentium* ſeu familiarum, quas dicunt, eo, & poſtero tempore *illuſtrium*, atque *caſtellorum* & *vicorum nomina*, vix eſt, quod aliqua veritatis ſpecie conſpicuum queat dici. At hoc argumento quamlibet etiam Romanticam, quam vocare ſolent, fabulam, hiſtoriae elogio poterimus exor-

exornare. Inſignem Anachroniſmum, de fundato iſto tempore Monaſterio, ſecundum regulam *S. Bernhardi*, notauit ipſe Doctiſſ. *Wegelinus.* Sed miror, qui fieri poſſit, vt iis, quae de rege *Portugalliae*, de filia eius *Eliſa*, de *Alberto* Comite &c. narrantur, fidem adiungere videatur. Non vacat iam Theatrum Genealog. *Henningii*, aut *Lucae* Grafen Saal euoluere, quos libros ad manus non habeo: ſed quibus illi argumentis *Portugalliae regem*, filiumque eius *Iohannem* (quod nomen nec regibus *Legionis*, *Caſtellae &c.* iſto aeuo vſitatum) probare ſuſtineant, ſcire geſtirem. Vnde neque confirmatur his, neque valde ſollicitatur iſtis, *Lireri* fides. De annexo *breui Chronico*, fortaſſis alia occaſione, ſententiam dicere licebit.



SEN-

Digitized by Google

SENSVS

PROPHETIAE EZECHIELIS,

IN EIVSDEM

CAP. XL - XLVIII.

SVMMARIE (*d*) EXPOSITVS,

INSERVIENTE

Eberh. Frid. Hellwag,

A.M. Paſt. Prim. & Superintendente Eccleſiae ac Dioeceſeos Sulzenſis ad Nicrum.



Prophetia Ezechielis, quam C. XL-XLVIII. deſcripſit, in duas ſe ipſa diuidit partes: priore (C. XL-XLIV, 3.) viſionem illuſtrem, poſteriore (C. XLIV. 4-XLVIII.) ſeptem Iehouae edicta enarrat: expendantur duae ſententiae, C. XL, 4. & C. XLIV, 5. *quae ego oſtendo tibi*, -- *quae ego loquor tibi* -- duo diuiſionis articuli.

(*d*) Summarium hoc ex Gnomone in Proph. Ezechielem, parato ad prelum opere, (conf. neuen gel. Europa XIV. Th. in vita P. D. Burkii) ipſe Ven. Auctor, qui in poſteriora VIII. Capp. de templo commentatus eſt, excerpſit, ac nobiscum beneuole communicauit.

culi. Et viſio & edicta in vnum collineant ſcopum, vnam repraeſentant promiſſionem.

Denuo poſt XXV. annos exilii Iſraëlis (C. XL, 1.) abſolute promittit Iehoua, *ſe in medio filiorum Iſraëlis habitaturum in aeternum*, ita vt *locum throni ſui & locum plantarum pedum ſuorum* inter eos deſignet (C. XLIII, 7-9.) Nec conuerſio Iſraëlis, ſub ſcheſi *conditionis*, praecedit, ſed vt *pars promiſſionis* continuo adiungitur (v. 7.) Conuertetur Iſraël, & reſtituetur ſua ei terra, patribus promiſſa, in hoc adhuc ſaeculo, & quoad ſtatum eccleſiaſticum & politicum regimine fruetur Theocratico. Hic ſcopus, haec promiſſio eſt praeſentis Prophetiae, in ſuum abiturae complementum. conf. C. XLV, 1. XLVII, 14. S. XLIV, 22. 25. XLIII, 11. 7.

Vna eſt promiſſio, *vnicus* prophetiae ſcopus; nam a C. XL-XLVIII. continuus eſt rerum & viſarum & edictarum nexus. Theatrum vniuerſum eſt *terra Iſraëlis*, cuius meminit *Exordium* C. XL, 2. quae deſcribitur & diuiditur C. XLVII. XLVIII. in *fine* prophetiae vtrinque *vrbis* adiungitur mentio, ibi v. 1. *percuſſae*, hic nouis *menſuris* repraeſentatae. Totius igitur prophetiae non poteſt niſi homogenea eſſe interpretatio, ſiue literalis & propria, ſiue myſtica, allegorica, impropria. Non poteſt hoc proprie, illud improprie ſi-

T mul

Digitized by Google

mul exponi, sed omnia aut proprie, aut improprie.

Terra Israëlis cum suis limitibus, fluuiis, oppidis, plane vti apud Mosen, noua diuisione tribubus Israëlis distribuenda promittitur, tam clare & literaliter, vt nullus allegoriae locus relinquatur. Ex omni terra Israëlitis, portio singularis, quae Theruma audit, separatur, & accurate inter tribus finitimas disterminatur. C. XLV. XLVIII.

Ex medio Therumae integrae, Theruma sanctior, portio sacerdotum, & separatur & mensuratur.

In medio Therumae sanctioris mons ille situs est, in quo Ezechieli Sanctuarium 500. calamos & longum & latum ostendebatur, C. XLV, 2. coll. C. XLII, 16-20. XL, 1. 2. in sanctuario est atrium exterius, in exteriori interius, ad interius templum, continua mensurarum progressione. Terra vniuersa proprie est terra Israëlis: ergo & Templum proprie, externe, & materialiter est Templum. coll. §. 3.

Templi ideam sequitur idea cultus. Templum est proprie & literaliter accipiendum. Ergo & cultus, quoad Sacerdotes, Sacrificia, Festa.

Non

Digitized by Google

Non illud Zorobabelis est hoc Templum, quod multi volunt, & Vitringa inprimis speciose contendit, subscribente Collegio Philo-biblico in I. P. Fresenii Pastor. Samml. VI. At res & verba totius Prophetiae, sonora antithesi contradicunt. Io. Meyerus id ad oculum demonstrauit, citatus in B. D. Bengelii Erkl. Off. ad C. XI, 1. Multis id locis in annotationibus euincitur.

Nondum ex illo inde tempore impletum est, quod prophetat Ezechiel; Ergo etiam nunc impletio est exspectanda, nec fallet exspectatio.

At inquis, *Noui Testamenti tenor & indoles sensui isti proprio & literali ex omni parte repugnat. Vetus Testamentum sic reuocatur. Praeceptum carnale restabilitur, cuius abrogatio iam facta est. Hebr. VII, 16-18. VIII, 13. abnegatur Sublimitas & Spiritus N. T. dum reditur ad infirma & egena elementa. Sacerdotio Christi coelesti derogatur. Sacrificio eius vnico & perfecto derogatur, Gal. IV, 9. Hebr. VII, 11. X, 18. &c.* Ita videtur multis & olim & nunc. Veruntamen nulla est pugna, si placide rem pensitamus.

Noui Testamenti vis elucet ex C. XLIII, 7. 9. 10. 11. XLV, 8. XLIII, 27. fin. atque etiam ea, quae ad *veteris Testamenti* elementa descen-

dunt, *Nouo* adeo non ſunt contraria, vt *idem* potius noua vi, nouo argumento, demonſtrent, & conſummatum ſiſtant.

Abſit, vt V. T. reuocetur; antiquatum eſt. Sed Oeconomia diuina Noui Teſtamenti plene conſiderari debet. Duo ſunt in illa momentoſiſſimi euentus. Alter eſt aduentus Regni Coelorum in hunc mundum, cum Chriſtus naſceretur, cum in coelum ſublatus Spiritum ſuum effunderet. Exinde omni Creaturae euangelium & Salus offertur. Alter eſt aduentus Chriſti glorioſus: huic cohaeret, quod regnum mundi antea fiet Domini & Vncti eius. Iam, ſi mundi regnum Domino & Vncto eius ſubiicietur, quid & afferet virtus, & tenor Noui Teſtamenti? Si Satanas, mundi princeps ligabitur, num mundus tunc vacabit, & anarchiae relinquetur? imo vero tunc reuiuiſcet Theocratia in populo Dei, tunc Iſraël reſtituetur, tunc omnes gentes ab Iſraële non *arcebuntur*, ſed admittentur in Communionem Dei Iſraëlis.

Non reſtabilietur praeceptum *carnale*, infirmum & inutile. *Spiritus* Noui Teſtamenti vigebit, & multo abundantius, quam nunc, ſe exſeret. Vbi ſe exſeret? Vtique in hoc adhuc *mundo*, in hiſce terris; adeoque & in *mundanis*, in *terrenis*. Cur Chriſtus in *mun-*

dum

Digitized by Google

dum venit? Cur Spiritus eius effunditur ſuper omnem carnem? Nonne vt mundum *coelo*, carnem *Spiritui* reduniat & ſubiiciat? (confer Τὰ-τὰ in genere neutro Epheſ. I, 10. Col. I, 20.) id vero fiet, cum conſummabitur myſterium Dei, cum hoſtibus ſublatis, & Satana vincto, Iſraël convertetur, & plenitudo gentium intrabit. Tunc Dominus & Vnctus eius *regnum mundi*, ſibi iam ſubiectum, reget, tunc ad mundana etiam, ad terrena, ad ea, quae olim erant *praecepti carnalis*, deſcendet, & coeleſti benedictione, quantum capiunt, pro menſura huius ſaeculi replebit.

Non abnegatur *ſublimitas* N. T. non derogatur ſpiritui & veritati meliorum promiſſionum. Olim Deus Iſraëlis condeſcendit in populo ſuo ad formam regnorum mundi, ad mundana, terrena, carnalia, vti erant, iisque imagines tantum & typos rerum coeleſtium impreſſit, vti lex caerimonialis docet. Nunc noua rerum facies apparebit: Mundana, terrena, carnalia euehentur. Coelum verſus, & coeleſti regimini Noui Teſtamenti praeſentiſſima adaptabuntur. Coelos inter terramque propior exſiſtet connexio. Vis Spiritus, quae adhuc impeditur, & cedit tot impedimentis, & ſcandalis ſaeculi maligni, tunc ſubmotis obſtaculis effloreſcet, & exundabit etiam ad externa, corporalia, mundana, terrena, politica, oeconomica, in omnes gentes, terras, aquas,

animalia, piſces (c. XLVII, 1.) Tunc igitur virtus N. T. & nobilitas indidem mirifice exſplendeſcet, quum in minimis & infimis quoque ſeſe demonſtrabit, & conſummabitur. Non rurſum ſeruietur infirmis & egenis elementis, ſed eadem ſeruient cultui & cultoribus Noui Teſtamenti, & Teſtimonium libertatis chriſtianae perhibebunt antea nondum perhibitum. Nec tamen noua iam terra, coelumque nouum erit: Omnis oeconomia ſe ſe in metro *huius ſaeculi* continebit, proxime tamen in ſaeculum futurum, beatius, ſublimius, nobilius, deſitura.

Coeleſti archiſacerdotio Chriſti non derogatur. In Ezechiele nullius *archiſacerdotis* ne verbulo quidem fit mentio. Vir ſanctus menſurarum ſacrarum oſtenſor, intuente propheta, in *ſanctum ſanctorum intrauit*, vt metiretur, & ex illo doceret prophetam, hoc eſſe ſanctum ſanctorum. Id totum congruit ſenſui Noui Teſtamenti, altiores, coeleſtes, & Ezechielitica ſupereminentes eſſe archiſacerdotis rationes, de quibus alibi doceatur. *Sacerdotes* vtique memorantur Leuitae e ſemine Zadoki; nec tamen vnus quidem conſtituitur *princeps ſacerdos*: ergo non poteſt dici, *Sacerdotii Leuitici* reuocari (μεταθεσιν) translationem Hebr. VII, 11. 12. Manet translatio, manet Dominus noſter ſacerdos, vnus, ſummus, ſecundum ordinem non Aaron, ſed Melchiſedek, & ſacerdotes

Digitized by Google

tes Leuitae, vti olim Aaroni, sic nunc Christo eiusque sacerdotio Melchisedekiano subordinantur, ita vero, vt maiori interuallo post Christum relinquantur, quam olim post Aaronem. Nemo dixerit, sacerdotium Christi omnia alia sacrificia per se excludere: alias contradixerit clarissimis dictis: 1. Petr. II, 5. 9. Apoc. I, 6. V, 10. Immo sacerdos Christus plures fecit sacerdotes, & per sacrificium Christi, quam plurima acceptissima sacrificia offeruntur Deo. Tum derogaretur sacerdotio & sacrificio Christi, si sacerdos, si sacrificium, Christo & ipsius sacrificio vel opponeretur, vel coordinaretur, vel quocunque nomine substitueretur. Erunt sacerdotes, erunt sacrificia, vti quidem aliquatenus iam sunt, suo vnum quodque loco, pretio, gradu subordinata Christo, atque ex ipsius sacerdotali regimine prorsus pendentia.

Impossibile est, sanguinem taurorum & hircorum auferre peccata, Hebr. 10, 4. 11. *& vbi remissio peccatorum, non amplius oblatio pro peccato* v. 18. Iam dices, si Ezechiel de sacrificiis & sanguine taurorum & hircorum proprie loquitur, quomodo cum istis Paulinis consistet? Respondeo, haec difficultas non solum proprium & literalem sensum premit, sed etiam mysticum & allegoricum. Loquitur Ezechiel de *sacrificio pro peccato, pro reatu, &c.* Si non amplius oblatio est pro peccato, quia remissio peccatorum praesto est, sane nec *mystica*

vel ſpiritualis, & allegorica, nec *proprie* ſumta oblatio pro peccato locum habet. Cocceius cenſet, *ſignificari, quod Chriſtus ſit aſſerendus & confitendus vnicus ſacerdos, & vnica victima pro peccato*: rectiſſime & caſtiſſime dictum. Enim vero, ſi eiusmodi *confeſſio* Ezechieli dicitur *victima pro peccato ipſa*, hircus iuuencus &c. quid obſtat, quo minus dicas, hircum vel iuuencum, proprie *pro peccato* mactatum *ſacrificium*, fore realem confeſſionem vni ſacerdoti Chriſto, & vnico eius ſacrificio exhibitam? Impoſſibile eſt ſanguinem animalium auferre peccata, ſed id poſſibile eſt, vt ſanguis animalium pro peccato offerendus remiſſioni peccatorum per ſanguinem Chriſti teſtimonium praebeat, vt diſpenſatio remiſſionis per eiusmodi ſacrificia proprie talia dirigatur, deſignetur, & quaſi ex centro vnius ſacrificii Chriſti ad omnem peripheriam circumferatur. Erunt exercitia fidei vegetae, erunt vehicula Spiritus Chriſti ad extra quoque ſpirantis: non erunt oblationes pro peccato, quae cum ſacrificiis typicis, multo minus cum ſacrificio antitypo Chriſti in comparationem & parallelismum venient. Non erunt oblationes pro peccato demum nunc *auferendo*, ſed pro peccato *manifeſtando*, vt iam *ablato* per victimam inconſpicui Archiſacerdotis Chriſti. Porro diſtinguas peccata in vniuerſum coram Deo, & peccata eccleſiaſtica & politica praeſertim in ſtatu populi Theocratico.

cratico. In omni regimine ecclesiae quaedam exercetur *disciplina*; etiam fideles iudicantur & castigantur diuinitus a Domino ipso, ne cum mundo condemnentur; Ecclesiae membra si quid delinquunt, virgam, correptionem, deprecationem subire debent, nec id derogat remissioni peccatorum & vnico sacrificio Christi. Hoc non tollit disciplinam & oeconomiam ecclesiasticam generatim, multo minus Theocraticam. Eo igitur nomine sacrificia concipiamus futura ex Ezechiele, nullo praeiudicio sacrificii Christi consummatissimi.

Ne quis vos iudicet in esu, aut in potu, aut in parte festi, aut nouilunii, aut sabbatorum, quae sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi. Col. II, 16. 17. Hisce quomodo conueniunt festa, nouilunia, sabbata, apud Ezechielem? coll. Gal. IV, 10. Respondeo, in omnibus ecclesiis N. T. instituti sunt dies festi Dominici &c. nec quisquam dubitat, eos sancte & religiose esse habendos, salua libertate christiana. Quid potest amplius opponi? si addatur, festa illa omnia tum vtique rite, sancte, & nouo Testamento conuenienter iri celebratum, si ex vna parte adsit laetus, deuotus & quietis diuinae cupidus sensus, ex altera absit scrupulosus, Iudaicus, seruilis sensus ac Spiritus; id igitur *profanatio* sabbatorum esse iudicabitur, si quis sabbatum seruitute Iudaica celebrabit; & is *sanctificare* sabbatum censebitur, qui libero & generoso animo idem aget, ex sensu Paulino, im-

mo

mo ipsius Christi: conf. 1 Cor. V, 8. Εορταζωμεν.

Altissimus in templis manu factis non habitat: Act. VII, 48. *qui tabernaculo* externo templi cultum exhibent, *non habent potestatem edendi ex Altari*, quod nos in N. T. *habemus*: Hebr. XIII, 10. Rursus duo dicta Ezechieliticis aduersa visa. Respondeo: Vti Salomo, id ipsum & agnouit, & vrsit, in templo, quod ipse exstruxsit, ita idem in templo Ezechielis & vrgebitur, & generosissime agnoscetur; nec propterea non proprie aedificabitur, alias nec Salomoni quidem licuisset aedificare: Cauebitur a custodibus domus & altaris, ne quis vtrilibet nimiam exhibeat venerationem, sed verum ex omni instituto fructum capiat.

Veritas & Spiritus adorantium non vni loco adstringentur, vt Iudaeus ac Samarita inter se contendant de suo quisque monte, quo adorandum sit. Ioh. IV, 19. sq. Attamen in terra Israelis in monte isto sancto est locus throni, & locus palmarum pedum Iehouae: Ezech. XLIII, 7. Multo autem alia erat ratio Templi V. T. atque templi huius N. T. erit: videatur Ezechiel XLIII, 12. *lex domus*: *Omnis margo super capite montis est sanctum sanctorum.* Olim nonnisi adytum erat sanctum sanctorum; nunc emanabit sanctum sanctorum, vt *extimum* sit, sicut *intimum*; inde *Rex exibit e* monte *sionitico*, & verbum Iehouae ex Hierosolymis. Ies. II, 2. 3. quorsum? qua qua versum, hoc euentu, vt omnes gentes sint accursurae. conf. Ierem. III, 17. Sachar. XIV, 16. 20. 21. Ies. XI, 9. Hab.

Digitized by Google

Hab. III, 14. Itaque ex templo, ex Hierosolymis, ex terra Israëlis veritas & Spiritus in omnes terras, ad omnes gentes exundabit. Inde altare Domini invenietur in terra Aegypti. Ies. XIX, 19.

Vigor Spiritus efficiet, vt, quicquid *externi* in hoc cultu continetur, non iugum sit, sed conueniens vehiculum, quo aegrius careat Spiritus. Attamen parcior est Ezechiel in sacrificiis, & statutis reliquis, quam Moses. Etiam animalium subiectio sub pedes Christi speciatim promittitur Psalm. VIII, 8. 9. & Dominus Ps. XXXVI, 7. laudatur, vt *Saluator hominis & pecudis. Animalium* destinatio primitiua. Gen. I, 11. tunc amplius elucebit. Sacrificia inde brutorum in se nouo testamento non esse contraria, perspicuum est. Sed specialis eorum ratio demum reuelanda erit. Certe cultura animalium florebit. Ezech. XLVII, 9. 10. In sacrificio bos valebit bouem, non plus; Israëlita sacrificus offeret eum, non pro se toto, vt bos repraesentet virum (Ies. LXVI, 3.) sed pro parte solummodo mundana, qua dominatur brutis; Atqui etiam dominium in bruta Deo consecrandum; quid si fiat per sacrificia? Nec sacrificiis quaeretur iustitia & salus *aeterna* & coelestis, sed iustitia tantum Ecclesiastica & politica *huius saeculi*, quae istam supponit, idque vero sub regimine Theocratico. conf. Ezech. XLV, 16. 17. olim sacrificia erant vmbratica, & typica futurorum bonorum, vicaria quasi sacrificii Christi: deinde erunt vera, propria, suo nomine offerenda. Olim igitur splen-

didiora

Digitized by Google

didiora fuerunt ex suo vicariatu, sed simul apparuerunt vt infirma, egena, nihil consummantia; deinde erunt multo humiliora, tenuiora, viliora, nec tamen contemta, sed suo loco, & aestimio, quod animalia in suo cum Deo, Christo & hominibus nexu habent, vera erunt sacrificia, & ad proprium suum finem pertingentia.

Summa: Gloria Dei Israëlis lucida, gratiosa, prophetae conspicua, in vltimo sui complemento illustrissima, veniet, & domum implebit. Tunc nihil, quod nunc in Ezechiele sic videtur, erit nimis externum, mundanum, carnale, materiale, N. T. indignum. Nam filii Israëlis non polluent amplius nomen sanctitatis Iehouae, embescent ab iniquitatibus suis, ex repraesentatione domus; ad meliora omnia redibunt, cum de specialibus templi Conditionibus edocebuntur. Ecce! Gloria Dei Israëlis, principium: Conuersio domus Israëlis huic gloriae se prorsus submittentis τελος & scopus: mysterium Dei consummabitur. Regnum mundi regno coelorum subjicietur. Theocratia in Israële reflorescet, ad Analogiam veteris Testamenti, sed pro gradu, maturitate, plenitudine N. T. Ad Israëlem se se aggregabunt omnes gentes. Vnus grex, vnus pastor. Oeconomia omnis ad diem Christi gloriosissimum dirigetur. Sponsa Agnelli se se parabit & ornabit. Veniet Dominus. Amen. Veni Domine IEsu!

Digitized by Google

HENR. GVIL. CLEMMII

Prof. P. O. & Ecclesiastae Stuttg.

NOVAE AMOENITATES LITERARIAE.

Nota leges quaedam, sed lima rasa recenti,

Pars noua maior erit — —



FASCICVLVS TERTIVS.

STVTGARDIAE

SVMTIBVS IOH. BENED. MEZLERI,

MDCCLXIII.



SYLLABVS
THEMATVM.

Digitized by Google

Digitized by Google




SERMO ACADEMICVS
DE
PLANTIS
SACRAE SCRIPTVRAE,*

AVCTORE

PHIL. FRID. GMELINO,

Med. D. Botan. & Chem. Prof. P. O. Tubing.
Societ. Reg. Lond. & Goetting.
Sodal.



Quam toties nobis per vniuerſam naturam in millenis, iterumque millenis corporum tam animatorum, quam inanimatorum exemplis deſcribunt eius Hiſtorici rerum creatarum omnium copulam, earumque mutuos nexus, eam etiam ita quidem vltro imitari regnum ſcientiarum obſeruamus, vt illae omnes, & ſingulae concentrico quaſi niſu virium ſuarum nervos

* Sermo hic academicus occaſione Praeſentationis publicae Dni Lt. Hotz, d. VI. Nov. 1757. Tubing. habitus eſt.

vos vnico tantum impendere videantur fini, ab adorando rerum creatarum omnium Auctore praescripto.

Huius autem, vt omnipotenti sapientiae debemus vincula rerum extra nos positarum, homini adeo salutaria, ita & gratiae flectenti animos, illustrantique referimus in acceptis illam scientiarum humanarum harmoniam, qua reciprocis officiis altera inseruit alteri, & amicissimis fruuntur singulae singularum connubiis; est sane nulla, quam vocant in Academiis, Facultas, quae altera, si non saepe opus habeat, vti tamen frequenter summo cum vsu non possit.

Subsistamus nunc tantum in Facultate Theologica, & Medica; quis est, qui nesciat vtriusque crebros concursus amicos, qui non intelligat, ipsissima etiam diuina oracula, & veteris, & noui Fœderis, haud pauca continere passim, quae medica illustratione si non indigent, tamen vtilissime frui possint. Non opus erit, vt haec impraesentiarum vel exemplis, vel multis demonstrationum ambagibus latius diducam, cum Tecum praecipue agam, Reuerendissime Domine Cancellarie! cuius vt profundam eruditionem theologicam omnis veneratur literatus orbis, ita summam in aestimandis rerum ponderibus aequitatem vox populi communis agnoscit. Oportebit autem, ne Tua, Vir Magnifice! abutar leni-

tate,

Digitized by Google

tate, totiusque Auditorii Ampliſſimi patientia, hac vice vni tantum inhaerere commercii huius theologici & medici exemplo, quod mihi de argumento, hodie ſatis opportuno meditanti ſuggeſſere *Plantae Sacrae Scripturae*, quarum & Veteris, & Noui Teſtamenti paginae toties variam iniiciunt mentionem, & circa quas equidem bene noui, multam ipſos inter Theologos agitari controuerſiam, licet non ignorem, eam etiam non paucis tanti non eſſe videri pretii, quod operam his disquiſitionibus impenſam ſoluat. Non interim, ſi vera, quantum ego video, dicere licet, fruſtra optauit Cunradus Diectericus in Antiquitatibus Biblicis, vt eſſet, qui *Sacram* aliquando *Botanicam*, voluptate non minus eximiam, ac vtilitate ſcientiam, omnibus abſolutam ſuis numeris perficeret. Sunt vtique, fateor, multa, quae ad Sacram hanc excolendam pertinent Botanicam poſtulata, minus ad Medicum directe, ſed, ſi quidem magna licet componere paruis, id eſt, ſi metiri fas eſt Botanicam Sacram ex humana, non poterunt illius problemata Theologi ſoluere in totum, quin e Botanica Medicorum ſibi tantiſper conſulant; inquiram in hoc ipſum ego momentum breuiſſimo aliquo ſermone, quem vt beneuolis A. O. O. H. dignemini auribus, eſt, quod enixe rogo, iterumque rogo; non enim fruſtra vrget me impe-

tus, quem, an diuinum nominare liceat, an alium? Vos ipſimet iudicate, cum pari mentis ardore B. Chryſoſtomi verbis aſſentiar, quando dicit: quemadmodum in auri metallis ne minimam quidem venam quiſpiam, qui rem intelligat, omittere patitur, vt quae ad augendas diuitias plurimum faciat, ita & in diuinis Scripturis ne vnum iota, vnusue apex, imo ne dimidium quidem praetermittendum eſt, ſed omnia diligentius indaganda, nam a Spiritu Sancto proveniunt omnia; neque in his quidquam ſupervacaneum, nihil non neceſſarium, quid, quod non felicius, maiusue humanarum ſcientiarum lucrum eſſe poſſit, quam quod oracula nobis divinae Sapientiae in plenum vertit ſuccum, & ſanguinem.

Vere quidem huic indagini biblico-medicae applicari poteſt illud Terentiani, quod alicubi allegatum legimus occaſione plantarum in Hebraeo Veteris Teſtamenti codice commemoratarum: Veritatem hic ſcrupoſis ſequimur vadis. Fronte exile negotium, & dignum pueris putes. Aggreſſis labor arduus, nec tractabile pondus eſt. Quodſi enim vel ſolos hic Olaui Celſii, S. Th. D. & Profeſſoris Upſalienſis cogitas labores, quorum ſudorem congeſſit in ſuum Hierobotanicum, ſiue breues, quas vocat, de plantis S. Scripturae diſſertationes, Upſaliae anno

1745.

1745. editas, inuenies ibi stupenda prorsus opera conquisita subsidia omnia philologica, e linguis orientalibus, & summa eruditione critica euolutas, extricatasque voces tam hebraeas, quam graecas, quibus vtriusque sacri Codicis plantas designant, legas ibi frequenti celeberrimorum Arabum, Abu'lfadli, Luthf'allah, Aben-Esrae, aliorumque adspergine perfusas disquisitiones has theologico-botanicas, nec parum illustratas criticis aliorum annotationibus, Ursini ex arboreto biblico, Valesii, Smithi, Bocharti, Herodoti, Dioscoridis, Bellonii, Zornii, & Salmasii, vt plures reliquos taceam. Accessit optata Viro acuto peregrinandi opportunitas, qua factum est, vt Amstelodami, Lugduni Batauorum, Parisiis, Liburni, Florentiae, Romae, Venetiis, & Vindobonae doctos Iudaeos, & e Libano monte Maronitas, Syriacae, Arabicaeque linguae peritos frequentare sedulus potuerit; vtinam non fuisset impeditus Vir ad sacram natus Botanicam, quo minus licuerit in ipsum etiam excurrere Orientem, & aliquantisper in Syriae, Palaestinaeque vallibus commorari, etenim autopsia periti controuersias interpretum oppido multas vno quasi praecidit ictu, quare Tournefortius recte olim dixit: Plantae orientales difficulter describi possunt, nisi ab eo, qui fuit in loco; & Salmasius: In satorum, & herbarum exploranda

natura ſola dominatur autopſia, quemadmodum & Pocockius difficulter, ait, ne dicam, prorſus non ad cognitionem illarum peruenturi ſumus, nec, qua ſint forma, quaeque proprietates earum ſint, cognoſcemus, niſi quis regionem illam ingreſſus oculis eas perſpexerit, nomenque cuiusvis auribus perceperit, tum enim, Tournefortius monet, plurimum caperent auxilii e vocabulorum, quae nunc ſunt in vſu in iisdem regionibus, affinitate cum antiquioribus, prout & idem Tournefortius alibi de Graecis: nomina graeca hodierna herbarum, a ruſticis graecis hodie vſurpata in Creta, & alibi Graeciae locorum, decidunt ſaepe felicius certiusque controverſias de herbis a Dioſcoride memoratis, & Theophraſto, quam Doctorum commentarii, & coniecturae. Sed eheu! quam dolemus heic, peregrinatorum illorum, & praecipue Monachorum Hieroſolymitarum operam omnem Botanicae nauatam, quae Indiae vtriusque receſſus induſtria ſumma perquiſiuit, Palaeſtinam tamen deplorando fato ita omiſiſſe, vt ne hyſſopi quidem, prope muros Hieroſolymorum creſcentis, ramuſculum quisquam decerpere ſuſtinuerit, & vel ſiccum transmittere ad Europaeos! Ita vero, A. O. O. H. nominaui profecto, ſi non omnia, tamen plurima, tum, quae felicem iuuant, & iuuare poſſunt plantarum Sacrae Scripturae de-

determinationem, tum, quae progreſſurum tutis in ea greſſibus impediunt; videtur ſane cardo ſpicilegii huius primus in pleniore verti linguarum orientalium notitia, quam e libris adeo ſufficientem nunquam haurias, ac quidem e frequenti cum doctis Iudaeis conuerſatione, cum viris linguae Syriacae, Arabicaeque peritis; deinde vero, ſi quidem licet aut ipſis adire Orientem, Syriae, Palaeſtinaeque valles, aut certe frui opera Virorum, & fidelium ſatis in exponendis his vegetabilibus miraculis, & Botanicae ſatis peritorum, linguasque ſatis callentium orientales, qui ex itinerum ſuorum diariis ingenue nobis, quaecunque circa has viderunt, & obſervarunt plantas, referant, quodſi denique tertio Critica ſacra Theologorum praecipue, qui lectione verſant diurna, nocturnaque ipſum ſacrum codicem, ab omni libera partium ſtudio, ſolum attenta ſenſui diuini Autoris, omnia ſuggerat de plantis his data, & parallela loca, quaecunque pleniorem heic accendere facem poſſunt, nihil deerit ſane pro texendo filo Ariadneo, quod ex his nos promte ducat labyrinthis. Verum, quodſi iam cum hac recti norma comparas ipſos eruditorum, & eruditiſſimorum Virorum labores, lucri his coëmti calculum ſubducturus, invenies vbique obſtacula aeque multa huius indaginis, quae has euitaturos Syrtes praecipitarunt,

runt in alias, & in Scillam condemnarunt saepe metuentes charybdin. Quid enim solatii heic ad nos redundat ex opera insignium botanica, & alia eruditione clarorum nominum, Labati, Tachardi, Plumierii, Feuilleti, Camelli, Boymii, Matthioli, Salmasii, & Scaligeri, vtpote qui omnes, & singuli non viderunt in locis germinantes natiuis plantas has biblicas? quid Graeci, Romanique scriptores antiqui, quorum reliqua tam celebris est in orbe literario memoria, boni nobis hic praestant, cum ipsis orientales plantae vix magis, ac nobis innotuerint? consulamus tandem ipsos Rabbinos, eos quidem invenias plerumque minus de hac indagine sollicitos ignorantiam libere fateri suam, praesertim botanicam, aut si quidem attenti magis ad hos difficultatum scopulos haerent, confugere ad linguam Arabicam, Ebraeae cognatam, imo vero pleniore venandi veritatem impetu aliquos in Arabiam abiisse ipsos. Et illa quidem orientalis natio, Arabes puto, maximo ardore prosecuta est, vt omnis generis studia, ita & Botanicam, vnde nostris etiam diebus huius haud pauca prostant, impressa typis monumenta, quibus, tanquam sacris anchoris hodie adhuc aduolat illa Theologorum cohors, de sacra hac sollicita Botanica. Vtinam haec Bibliothecarum cimelia non tantopere commendaret summa raritas! gaudeamus

mus

Digitized by Google

mus interim his etiam subsidiis rarioribus, & medicis, vtpote quae nos iam proxime ducunt ad primarium sermonis huius finem, qui Sacrae Botanicae suasit vsum humanae, medicae; non vrgeo argumentum, quo mihi Theologi fauere videntur, fatentes, & ipsos Rabbinos heic palmariam suam opem repetiisse ab Arabibus Medicis, nec enim diffiteor, esse quoque horum analyses botanicas curtas non minus, ac obscuras, interim tamen non adeo quidem omne possum excutere partium studium, vt meos non in vsus traham sinceram Rabbinorum confessionem, quae hanc Arabum Botanicam, vtcunque pro ratione illius aeui obscuram, pro duce tamen per has tenebras tutiore agnoscit, ac alios omnes, addo, quod in hortis Europaeis non paucae colantur e Syria, & Palaestina translatae stirpes, quemadmodum & ipse noster academicus hortus tales alit, quarum indoles cognita multum nubes has diluit, vnde certe intelligo, & firma satis conclusione deduco, vbi cogito recentioris praesertim Botanicae vigilem attentionem, eius curas, & exactissima plantarum examina, quae nihil quidquam praeteruident, quod ad plenam, tam plantarum indigenarum, quam exoticarum, omnibus e mundi partibus allatarum historiam pertinere possit, paria futura esse soluendis praecipuis illis nodis, quos Theologia Critica, & Phi-

Digitized by Google

lologia Sacra poſt applicatam operam omnem offert Medicis, traditque; non enim hanc medicam Botanicam, noſtris adeo excultam temporibus, metiri tantum fas eſt ex illis ſyſtematum rationibus, quas multarum hypotheſium vanitati ſuperſtructas eſſe continuo nobis obiiciunt, ſed aeſtimare potius oportebit ex illis recentiorum Botanicorum limatis admodum vegetabilium deſcriptionibus, quae abſtrahendo ab omni ſyſtematis carcere plantas nobis delineant, quales Natura pingit, & format, ſuaque faciunt omnia data, quaecunque latiſſimo ſumta ſenſu hiſtoria earum naturalis obſeruatori porrigere poteſt attento, quis enim ignorat, docendi, diſcendique ordinem iubere multa, imperare quoque plurima in rebus phyſicis & medicis multitudinem rerum, & obiectorum, quae inuita hic & ibi Minerua fiunt, & a Muſis indiuidualia obiecta particulari prorſus examine proſequentibus non tenax adeo expectant obſequium; vt enim inſtillemus multa, & inſtillare poſſimus, iuuat ordo, ita quidem plurima digerens, vt, quae absque illo capi non poſſent omnia, capiantur, neque tum intereſt multum, num ille nexus adeo ſit numeris abſolutus omnibus, aliquid enim tentandum eſt, memoriae leuandae cauſa; dum vero ſingulos catenae huius annulos ad ipſam Naturae amuſſim emetimur, miſſa catenae ſymmetria,

metria, quam adornauit ſyſtematis phantaſia, ſenſuum & mentis aciem intendimus omnem, ne quid ſubterfugiat vel admittatur, cui non ipſa ſuccinat Naturae vox in concilio ſyſtematis hic quidem raro, vel nunquam caſtis prorſus auribus audita.

Et haec quidem praeſens eſt Botanicae facies, Botanicae, inquam, humanae, medicae, quae tot iam e tenebris ad lucem reuocauit medicarum obſeruationum vtiliſſimarum vmbras, quas Dioſcorides, Galenus, Hippocrates, aliique Medicorum graecorum reliquere nobis, necdum fugatas, niſi ab hac Botanicae noſtri aeui ſerenitate tandem euanuiſſent, cur quaeſo, dubitemus, quin ex eadem reuiuiſcere prorſus queant plantae biblicae, modo nobis Theologi ex omnibus ſcripturae ſacrae angulis colligant operoſa ſatis, ſanctaque auaritia, quaecunque poſſunt de iis corradere loca, & Philologia orientalis critica omni vacuas dubio ſiſtat denominationes, & appellationes, quae ad hanc nomenclaturam ſpectant ſacram. Etenim haec vbi data in promtu erunt, Botanica ſuccurrere felicius nulla poterit ſcientia humana, ea enim ſola eſt, quae hunc Naturae campum ſedula calcat, eius perfectionum minimis minutiis, ſi quidem rerum creatarum vna tales habet, attenta, haec ex autopſia, ipſaque plantarum ex omnibus mundi plagis

plagis cultura, ex itineribus aliorum, propriisque, quin omnibus externis, internisque ſubſidiis vindicat ſibi, quod poteſt, & communi lucro inhiat, vt profundiſſimam, quae humana exiſtit, vegetabilium omnium cognitionem prae aliis ambit ſcientiis. Addere autem plura de hoc dicendi themate vetat ipſa temporis ratio!



PRO-

Digitized by Google

PROGRAMMA
DE
TITVLO
ET
PRAEROGATIVIS
RECTORIS MAGNIFICI,

AVCTORE
CHRISTOPH. FRIDERICO SCHOTT,
S. S. Theol. Doct. et Prof. P. E. Moralium, Eloquentiae ac Poeseos ord. Scholarum Wirtemb. Paedagogarcha et Contubernii academ. Rectore.



Saepenumero iam Vniuersitati nostrae adeo licuit esse felici, * vt augustis summisque natalibus satos Principes non tantum in sinu foueret suo,

* Programma hoc lucem primum vidit, cum Serenissimus Princeps Dominus IOHANNES CAROLVS LVDOVICVS, Comes Palatinus Rheni, Dux Bauariae, Comes Veldenziae et Sponhemii rel. rel. qui in illustri collegio iucundum cum musis commercium coluit, suaque humanitate non minus quam morum Principes ornantium elegantia omnium sibi animos deuinxit, literariae reipublicae Tubingensis supremos fasces, tanquam Rector Magnificentissimus a. 1756. d. 31. Oct. acceptaret.

Digitized by Google

ſuo, imperatoriis artibus virtutibusque imbuendos inſtituendosque, ſed et eosdem nec academicos faſces aſpernatos ſummi apud ſe magiſtratus munere defungi cerneret, ſicque in iisdem cum honorificentiſſimam ipſorum praeſentiam, tum inſtitutorum ſuorum tutelam atque directionem clementiſſime ab ipſis ſuſceptam demiſſo cultu veneraretur. Quod decus vti multis aliis quoque academiis eſt commune, quarum quippe haud paucae hanc ſibi vindicare poſſunt gloriam: ita potiori tamen iure ad noſtram pertinere videtur Eberhardinam, quae prae reliquis tantum non omnibus inſigni Rectorum, qui ipſi praefuerunt, Magnificentiſſimorum numero eſt illuſtris. Licet enim primo a ſuis incunabulis ſeculo in faſtis ſuis duos tantum recenſeat, inſequenti tamen a nouem adminiſtrata eſt Principibus, inter quos praeter Sereniſſimos atque Potentiſſimos Wirtembergiae noſtrae Duces, et Tubingenſem Comitem celſiſſimum etiam Brunſvicenſis atque Luneburgenſis Ducis, et Comitis Palatini ad Rhenum, Ducis Bavariae, auguſta occurrunt nomina; hoc vero, quod ad finem ſuum decurrit, ſeculo tres Sereniſſimi Wirtembergici ſtemmatis Principes ſuos coluit Rectores. Mirum autem videri forſan poſſet nonnullis, quod ii, qui latiſſimarum prouinciarum heredes ad ſceptrum et imperium nati ſunt, academicum magiſtratum quantumvis ſplendidum & conſpicuum

haud

haud detrectarint, atque se non indignum iudicarint; et magis adhuc id mirabuntur ii, quibus bonae literae sunt despicatui, quique haec virtutis et sapientiae seminaria de ruditate et ferocitate sua gloriantes vecordi sententia nullo in pretio habenda esse statuunt. Cuius rei rationes inquirere et exponere, vti nec iniucundum est, ita nec ab instituto nostro, cuius gratia haec publice perscribenda esse putauimus, erit alienum. Obstare quidem videntur modestiae et verecundiae leges, quo minus in hunc excurramus campum, cum in hoc argumento pertractando versari nobis vix liceat, quin simul etiam Academiarum dignitatem et summorum, quibus reguntur, magistratuum praecellentiam adstruamus, et a suis originibus repetamus. At vero tantum abest, vt omnem modestia suae dignitatis vel gloriae mentionem respuere aut vetare dicenda sit, vt potius, qua ratione, si insuper habetur, iactantia turpis et frivola gloriatio atque ostentatio oritur, eadem, si nimis vrgeatur, in rusticum pudorem, qui omnino ponendus est in vitio, degenerare ipsa soleat. Quando autem quaeritur, cur summo loco nati et vel ipsi etiam Porphyrogeniti academicam purpuram non fastidiant, non vna quidem vel altera allegari potest ratio, vnde id deriuandum esse videatur, sed si iustus earum ineatur census, haud omnes eiusdem esse ponderis et momenti, neque ad hanc

quae-

quaestionem plene resolvendam et intelligendam aeque facere, haud difficulter perspicietur. Et eo quidem numero habendam putamus Illustris Viri DN. IOHANNIS PETRI DE LVDEWIG, Archiepiscopatus Magdeburgensis et Academiae Fridericianae quondam Cancellarii, sententiam, qui hanc ipsam quaestionem mouit, ad eamque respondit, fieri haud potuisse, vt Imperii Romano Germanici Principes Rectorum Academicorum iurisdictioni sese submitterent: atque ex hac ratione cum nihilominus ex re ipsorum esset, vt Academias adirent, hoc excogitatum fuisse remedium, vt ipsi Rectores crearentur, atque sic ipsis tota ciuitas academica subiiceretur. Quemadmodum vero hanc sententiam nostram non facimus, aliam postea allaturi rationem, quae et longe est conuenientior, et sua se etiam claritate statim in oculos incurrente commendat: ita tamen negare haud possumus, amplissimam semper omnino fuisse summi in academiis magistratus potestatem, Rectoralemque dignitatem Augustissimorum Imperatorum Regumque beneficio prorsus singularibus auctam ornatamque fuisse praerogatiuis, atque ad eum euectam gradum, quo pauci dantur sublimiores. Quamuis enim huius dignitatis initia et origines remotissimae antiquitatis tenebris obuelentur, ita vt non adeo facile sit, definire, an ab initio statim, an vero temporis progressu demum tri-

buta

Digitized by Google

buta ſit, cum praeterea etiam ambiguum videatur viris eruditis, vtrum ab ipſis imperatoribus, an vero a Pontificibus Romanis collata fuerit: nihilo tamen minus ex iis, quae adhuc ſuperſunt, monumentis fide omni longe digniſſimis ſatis ſufficienterque conſtat, ampliſſimam eam fuiſſe et longe ſplendidiſſimam. Etenim cum primae inſtituerentur Academiae, tanti haec res viſa eſt ſummis Imperantibus, atque haec quidem inſtituta adeo reipublicae eiusque commodis habita ſunt ſalutaria, vt omnibus modis ea promouenda atque amplificanda duxerint. Inde profecta ſunt magnifica illa priuilegia literarum ſtudioſis conceſſa, quorum largam meſſem, centum et octoginta numero, ſummo ſtudio collegit PETRVS REBVFFVS celeberrimus olim inter Gallos ICtus, et multiplici eruditionis apparatu ex legum Doctorumque ſcitis illuſtrauit; quo referri etiam debet vulgatiſſima Auguſtiſſimi Imperatoris FRIDERICI I. Authentica (quae habita dicitur) in Roncaliis, qui campi ſunt Italiae late patentes ſupra Padum, non procul a Placentia, loco conventibus publicis Imperii procerum olim percelebri, perlata. Quae ipſa vero manifeſto ſunt documento, ſi a minori concludere licet a maius, non potuiſſe non prorſus inſignes ipſis Academiarum antiſtitibus et magiſtratibus indulgeri praerogatiuas.

Digitized by Google

Atque ipſum quidem iam nomen Rectoris muneris praecellentiam luculenter deſignat. Licet enim HERMANNVS CONRINGIVS in diſſertationibus de antiquitatibus Academiarum, cum ipſam huius muneris originem, tum etiam denominationem eius a Pontificibus Romanis repetat, et a Rectoribus Eccleſiarum hanc appellationem in Vniuerſitates profectam eſſe putet: ſat firmis tamen, cuius ſupra meminimus, IOH. PETRVS DE LVDEWIG aduerſus ipſum euicit argumentis, et ipſam dignitatem ab Imperatoribus fuiſſe conſtitutam, et nomen politicae eſſe originis, tantumque abeſſe, vt nonniſi eccleſiaſticis muneribus tributum olim fuerit, vt potius et iam antiquitus, et illo ipſo tempore, quo Vniuerſitatum magiſtratui delatum eſt, Prouinciarum Gubernatoribus et Satrapis, qui Rectores prouinciae dicebantur, datum fuerit, atque ita ſplendidiſſimum munus politicum ſoli imperatoriae poteſtati ſubordinatum denotauerit. Qua de re eo dubitari poteſt minus, cum certum ſit, ipſos Orientis quoque Imperatores latina hac voce in graecam linguam transſumta prouinciarum Imperii ſui praefectos ſummos deſignaſſe, cuius rei et SVIDAS et alii Lexicographi teſtimonium perhibent, quorum ille ſub voce Ῥαικτωρ addit eſſe ειδος αξιωματος, reliqui vero eam per vocabula κυβερνητης et αρχων explicant. Quod vero tum, cum Academiae primum

mum conderentur, hic huius vocis ſignificatus viguerit, vel ipſa authentica ſuperius allegata, quae de Rectoribus Prouinciarum mentionem iniicit, abunde demonſtrat. Multo autem magis rectoralis dignitatis amplitudinem oſtendunt inſignia, quibus exornati ſunt Academiarum Rectores, cum fas ipſis ſit, ſceptris argenteis vti, et chlamide purpurea veſtiri, qui habitus, vti ex inſigni loco CASSIODORI Lib. VI. formula XXI. conſtat, prouinciarum Rectoribus proprius olim fuit, et argumento eſt omni exceptione maiori, haee ipſa inſignia ab Imperatoribus Auguſtiſſimis Academiarum magiſtratui fuiſſe tributa. Neque nos mouet, quod opponitur, vbiuis terrarum Europae hunc habitum obtinere, in quae tamen loca huiusmodi quid introducendi Caeſaribus nulla fuerit poteſtas, cum in propatulo ſit, id imitationem potius gentium Imperio haud ſubiectarum arguere, quam obſequium aliquod ordinationibus Caeſareis praeſtitum inferre, cuius generis exempla numero infinita allegari poſſe vix quisquam diffitebitur. Accedit praeterea peculiaris illae praecedentiae honos Academiarum Rectoribus indultus, qui quanto munere defungantur, et quam excelſa in dignitate ſint conſtituti, ſatis declarat. Ad illum vero quod attinet, Imperatoria privilegia Bononienſi et Paduanae Academiis conceſſa diſertis verbis haec ſanciunt:

ciunt: *praecedet Rector omnes alios, vt Equites, Sacerdotes, Praelatos, Episcopos, Archiepiscopos,* vti id testatur IOH. RAIMVNDVS L. B. de LAMBERG *in libro Priuilegiorum Paduanae Vniuersitatis.* Ne vero quis existimet, praerogatiuam hanc adeo esse splendidam, vt nullo vsu vel exercitio confirmari potuerit, exemplis rem illustrabimus, ex quibus patet, sanctionem illam nec fictam esse, nec non-vsu in desuetudinem abiisse. FILESACVS auctor est, Parisiis Vniuersitatem primogenitam Regis filiam audire, et in solemnibus conuentibus Rectori primum locum prae ipso Nuntio Apostolico concedi. Non multum inferior est conditio Rectoris apud Colonienses, qui loco quidem non tantum Archiepiscopo cedit, sed etiam Nuntio Papali; huic tamen proximum semper occupat, prout MILDENDORPIVS fidem facit. Louanii autem, teste VERNVLAEO, ne Nuntio quidem cedit Rector, nisi is simul fuerit Legatus a Latere, ceu vulgo appellamus. Notissima denique est, quae inter Episcopum Bambergensem et Vniuersitatis Viennensis Rectorem de iure praecedendi exorta olim est lis, vbi Imperator maluit illum a supplicatione sacra abesse, quam vt Academiae suae aliquod crearetur praeiudicium. Licet autem non omnium Vniuersitatum iura eo vsque se vel extendant vel obseruentur, sufficit

ficit tamen oſtendiſſe non vnam vel alteram tantum eximio hoc ornamento coruſcare, quod ſatis declarat, quanta rectorali muneri inſit auctoritas. Idem vero vltimo loco quoque poſſet comprobari ex ſumma iurisdictione, quae magiſtratibus academicis competit. Complures enim inueniuntur, quae et merum imperium in ſuos ſunt conſecutae, quod vti noſtrae eſt conceſſum, ita et Viennenſi, Oxonienſi, Pariſienſi, Ingolſtadienſi, Salmanticenſi, Gryphiswaldinae, Iuliae, et quot non aliis adſcribi debet. Sed nimii forſan ſumus in recenſendis iis, quae rectoralis muneris dignitatem et amplitudinem declarant. Et quorſum haec omnia? An vt noſtrarum praerogatiuarum praecones agamus ipſi; an vero vt contendamus, tantam ſemper auguſtis Principibus viſam eſſe Rectoratus Academici dignitatem, vt ex eius adminiſtratione peculiarem aliquam gloriam conſequi ſe poſſe, nouumque ſibi ſplendorem conciliare putarint? Abſit vtrumque quam longiſſime. Quid itaque, quaerit forſan aliquis, haec hactenus tam prolixe diſputata, ad quaeſtionis, quam tractandam ſumſimus, reſolutionem conferunt, vbi ratio nobis erat reddenda, cur Principes quoque faſces academicos gerere haud detrectent? At vero conferunt omnino plurimum, & licet ex iis ratio, quam inquirimus, nondum pateat, id tamen in-

 tel-

telligitur, eiusmodi eſſe dignitatem rectoralem, vt a Principibus etiam geſta, vti Academiis eſt ſplendori, ipſis tamen non ſit dedecori. Cum autem ex eo, quod non dedeceat Principes, Academiarum regimen in ſe ſuſcipere, et ipſas ſummi magiſtratus in iis functiones obire, nondum liqueat, quo argumento moueantur, vt hoc quicquid ſit vel honoris vel oneris non ſubterfugiant: miſſis reliquis omnibus, quae adhuc addi poſſent, illud ipſum quoque eſt explicandum. Omnes ſuas actiones bene nati Principes ita ſolent inſtituere, vt publica ſalus, quantum fieri poteſt maxime, promoueatur. Quum autem Academiarum vigor et incrementum publicis commodis plurimum inſeruiat, et a literarum cultura haud pauca profecto pendeant emolumenta in vniuerſam rem publicam redundantia: mirari ſane poterit nemo, ſi de iis quauis ratione ornandis amplificandisque cogitent, et quicquid eo facere poteſt, conferre ſtudeant Principes. Iam vero quod maius ornamentum, quod decus magis amplum ſplendidumque accedere poteſt Vniuerſitatibus, quam quando illuſtriſſimis natalibus orti Principes eas in tutelam recipiunt ſuam, ſuisque ſub auſpiciis et ſuo ſub praeſidio omnia geri, procurari, adminiſtrari patiuntur? Quid magis cum docentium in Academiis ardorem acuere, tum di-

ſcentium

ſcentium feruorem excitare poteſt, quam quando ſub tanto capite ſuam literarum ſtudiis conſecrare queunt operam? Mirificum enim calcar addit ſummorum virorum praeſentia; quantum addat oportet eorum praeſidium! Quantum, vbi res peragenda eſt ſecundum illud Venuſini Poetae: *Teucro duce, et auſpice Teucro!*



Digitized by Google

DE LVPODVNO ALAMANNORVM

DISSERTATIVNCVLAE

AMOEBEAE

IOH. CHRISTIAN. VOLZII

ET

HENR. GVIL. CLEMMII.



Diſſertatio I.

Nouam commentarioli de *Lupoduno*, quo ſitum huius oppidi inueſtigauit Cel. *Marq. Freberus*, editionem in Nov. Amoenit. litter. Faſc. II. p. 221. ſqq. legenti mihi, viſum eſt poſſe paucula ſubnecti ad litem iſtam dirimendam non inopportuna. Liceat iſta, heic expromere. Primo quae Cel. *Freberus* contra *Rhenani* ſententiam diſputauit, lectionem, *Lupodunum*, vindicaturus, loco illius, *Lupondum*, quam *Beatus* reſtituendam cenſuerat, omnino concedi debent, rectiſſime ſcilicet dicta. Sed ex hac ſcribendi ratione, neque pro *Freberi*, neque pro *Rhenani* opinione, quidquam deduci poſſe affirmamus, id quod, facta vtrinque argumentorum

collatione,

Digitized by Google

collatione, abunde patet. Secundo, non aſſentiri poſſum *Freberi* verbis, p. 244. allatis, vbi ait: „Locus ipſe tam ignobilis & obſcurus, in „media Barbaria ſitus, nullo aut amne praeterlabente, aut monte, aut nemore vicino conſpicuus, tanti quomodo fuiſſet, vt hunc potiſſimum in tam illuſtri victoria celebranda *Auſonius* conſecraſſet? &c. „ Fere idem in Cel. Virum heic retorqueri poſſe videtur, quod ipſe in Rhenanum, p. 240. coniecit conuitii. Sed abſit irreuerentia, in manes Virorum tanta fama inſignium! Diſputabimus modeſte. Nil ex eo ſequitur, quod ignobilis fuerit locus, & obſcurus. Quot ſunt, quae afferri poſſint, exempla locorum antea plane ignoratorum; quae belli fama, ex clade vel victoria inſigni, memoriae dedicavit ſempiternae? Fac fuiſſe obſcuri nominis locum, vel Romanis certe ignotum; celebre factum eſt nomen, bello hoc Romanorum, & carmine Poëtae ſatis decantatum. Deinde celebritas & nobilitas loci, hodie non aeſtimari debet ex eo ſtatu, quo nunc eſt, quod nulla eget demonſtratione. Accedit & hoc, tam pauca nobis ſupereſſe iſtius aeui monumenta, vt nullum inde duci queat argumentum, quod in paucis illis rarior facta occurrat huius oppidi mentio. Porro; in Barbaria, ſtilo Romano, ſitum offendimus *Lupodunum*: verum eſt; at quid inde pro

ſententia *Freberi*? De loco vtique quaeſtio eſt, in Barbaria illa Alamannorum quaerendo. Favet hoc potius *Rhenano*, tantum abeſt vt aduerſetur. Amnis praeterlabitur nullus; ſed *Nicer* eſt, qui non adeo longe remotus, quem celebrat Poëta, & vltra quem hoſtes reiecti ad *Lupodunum* vſque: *Iſter* eſt, famoſiſſimus apud Romanos fluuius, cuius fontem nominat *Auſonius*, ex cuius etiam vicinia *Lupoduno* accedit honor. Nullo, inquis, aut monte, aut nemore conſpicuus locus. Quaeſo! ipſa illa tota regio, qua ponimus *Lupodunnm* (*Lupfen*, *den Lupferberg*,) ad *Abnobam* montem referre Chorographos, vulgatiſſimum eſt. Montes illi, vbi caſtella *Lupfen Hoben Karpfen*, monti contigui ſunt, quem noſtri *den Hewberg* nominant: at ex inſignioribus ille in omnibus eſt Sueuiae noſtrae montibus, & qui ſine dubio tutum ſolebat pulſis praebere refugium Alemannis. Iudicent quos propior, vti me, docuit ipſe locorum conſpectus. Si de nemore quaeſiueris? In ipſa, reſpondeo, Martiana Silua noſtrum reperitur *Lupodunum*, & quamlibet culti iam ſint in iſta regione agri & frugum fertiles, vltro citroque tamen reliquiae ſiluarum adhucdum ſuperſunt vaſtiſſimae. Neque tandem putauerim ex terminatione nominis *dunum*, quidquam exſculpi poſſe, pro alterutra ſententia ſtabiliendum. Tertio, vrget *Freberus*, *Au-*

ſonium

sonium agere non de Romano ſolo recepto, ſed Barbarico victo & Germanis erepto. Tum iniicit *Taciti* verba, qui nulla habere Germanos, ſuo iam tempore prodiderit, munimenta. Enim vero ſua caedit Vir Cel. vineta. Cadit ergo, quidquid de Celebritate inter Romanos *Ladeburgi* ſui diſputauit: haec omnia nihil ad Rhombum, ſi de loco quaeſtio eſt, quem Romani antea nondum poſſederant. Deinde non valet a *Taciti* aeuo conſequentia ducta ad *Auſonium* & *Ammianum*. Longo interuallo, quo Germanis, ab iſta aetate ad hanc, bella cum Romanis interceſſerant, munimentorum illi exſtruendorum vſum poterant didiciſſe. Et ſi ſecundum *Cellarium*, Not. O. A. T. I. L. II. S. III. §. LXX. Galli aduenae coluerunt Decumates agros, nullum erit dubium eos caſtella etiam habuiſſe, more Romanorum. Obſeruandum eſt etiam, ex terminatione nominis nonnullos, Celticae originis eſſe illud, confeciſſe non ſine veri ſpecie, quibus caſtellorum vſum ignoratum fuiſſe, temere dixerit nemo. Addo & hoc, ſi vel maxime Romanum velis opus eſſe hoc caſtellum, nihil eſſe, quod adeo repugnare videatur. *Lupoduni* noſtri regio ad agros Romanorum decumates & Helvetiorum eremum contingit, ſi non potius ipſorum decumatium agrorum pars illa fuit exſtantior. Quis autem negauerit munimenta ibidem

ſtructa

Digitized by Google

ſtructa fuiſſe a Romanis, in iſta conſuetudine pertinaciſſimis? Ipſum tandem *Lupodunum* noſtrum (*Lupfen*) non in colliculo ſaltem, vti Freherianum, ſed in altioris montis ſummitate, qui ipſe vertex e regione montana editiore Sueuiae conſurgit, exaedificatum ſpectatur. Neque huc facit, quod de nominis ſenſim facta commutatione diſſeritur: omnia iſta, ſimili artificio, ad noſtrum adplicari poterunt *Lupfen.* Nec iſta rem conficiunt, quae de Pagis medii aeui, hoc loco eruditiſſimus affert Hiſtoriarum patriae Scrutator. Omnia iſta bene ſe habent, & *Ladeburgum* Lobodunenſis pagi oppidum eſſe, recte probant: ſed exinde nolim inferre, *Lupodunum* noſtrum idem eſſe cum *Ladeburgo*, & pago iſti dediſſe nomen, haec quippe omnia; non niſi ex ſumta hypotheſi, dicta eſſe mihi videntur.

Argumenta ex fontibus ipſis, & recentioribus etiam ſcriptoribus, in Doctiſſ. praeſertim *Sattleri* noſtri Hiſtoria Wirtembergica collecta, & neruoſe inſtructa, quibus noſtra firmatur ſententia, & *Freberi* commentario ſubiecta ſunt, vt nihil, quod addendum videatur ſuperſit. Recte diſtinguuntur etiam tres victoriae, de quibus gloriantur Romani Auctores, Argentoratenſis *Iuliani*, Argentuarienſis *Gratiani*, & Solicinienſis *Valentiniani.* Quodſi de *Solicinii* vero ſitu nobis conſtaret, vtique nouum argumentum noſtrae accederet

cederet ſententiae; quamuis ex *Auſonii* loco ita certa mihi eſſe videatur illa, vt vel ex *Lupoduni* vicinia ad *Solicinii* determinandum ſitum duci poſſe crediderim ratiocinium. Alia quaeſtio inueſtigatione vlteriori digna hic eminet, vbi mons *Pirus* exiſtat locorum? in quo *Valentiano* exſtructum commemoratur caſtellum.

Liceat iam ad notas quoque monere pauca. I. vtut antiquitas vrbis Sulzenſis & arcis Lupfenſis ex noſtris monumentis directe probari nequeat, nihil illud opitulatur *Frebero*; *Solicinium* poterat celebre eſſe Romanis; poterat interiiſſe, vel in ſtatum miſeriorem detruſum, & ſeriori aeuo reſtauratum. Interciderunt documenta, vſui nobis futura: ex ignoratione illorum nihil poteſt vlterius deduci. Addo coniecturam eſſe, *Solicinii* nomine venire forſan villam *Sulzau*, ad Nicrum, inter oppida *Horb* & *Rothenburg* ſitam: quae quidem ſuſpicio non adeo videtur repudianda. II. Quae de corrupta lectione *Ammiani* dicuntur, & reſtitutione lectionis, *Maenum tranſiuit*, valde incerta ſunt: codicum emendatiorum copia lucem reddere poſſet, ſi daretur. *Auſonius* Nicrum adpellat, quoniam ille a loco victoriae erat proximus. III. A tempore victoriae nihil roboris accedit Freherianae ſententiae. D. 31. Iulii *Wormatiae* degebat Imperator, ante victoriam ſata & tecta perdebant igne Romani, quae victui neceſſaria

cessaria videbantur cogebant. Quid est, quod nos vrgeat mense Iunio factum esse praelium censere? Nonne ipso Iulio mense accidere poterat? At illo mense fruges apud nos non longe absunt a maturitate & quae immatura erant, perdebant. Quidsi mense Septembri acciderit? minus congruae videntur circumstantiae: sed tempus certe non obest; vnius mensis spatio fieri haec poterant omnia; magis adsueti erant Romani milites itineribus faciundis, & celeriter videntur ab Alamannico recessisse solo; forte victoria non fuit adeo perfecta, vti Panegyricorum cantatur ore. IV. *Viticbabus* interfectus erat dolo Romanorum, hoc est expeditum; sed nihilominus eius gentem adoriebantur Romani hoc est certissimum de illo enim ipso populo loquitur, l. c. *Ammianus*, & suspectam fuisse ipsius fidem Romanis, etiam post *Vithicbabi* occasum, aperte profitetur, vnde bellum in ipsos maiori & lentiori cura paratum esse prodit. Et ipsa haec verba sunt argumento, irruptionem Romanorum ex hac parte Alemanniae esse factam. V. Quae ex Historia Vniuersali (allgem. Welthistorie) afferuntur, non adeo, concessis omnibus quae sumuntur, incredibilia sunt, vti primo intuitu adparent. Neque vt dixi, hac nostra in caussa expedienda, necessaria est temporis ista, quae in obseruationibus l. c. supponitur, determi-

determinatio. Poterant etiam haec omnia gesta esse, antequam Imperator concederet *Wormatiam.* Neque me Triumphi Romanorum morantur; non est adeo insolens, epinicion canere, absque victoria. VI. VII. VIII. vtut haec ad *Ladeburgum* quoque possint adplicari, eminentiori tamen sensu vera sunt de *Lupoduno* nostro. Ceterum & Cel. *Hauberus*, Nostras, accedere videtur *Frebero*, *in der histor. Nachricht von den Landcharten des schwaebischen Kreises.* p. 100 sq. not. e. Vnum subiungo de *Argentuaria*, quam *Colmariam* esse multi dicunt: sed non est dissimulandum, esse qui *Horburgum* intelligant, esse alios qui villam *Herken* innuant; de his, & de diuersa scribendi ratione, vid. Itinerarium Antonini ex editione *Pet. Wesselingii.* p. 354.

Dissertatio II.

Liberiori nec amplius ad Freherianum Commentarium adstricto Calamo liceat iam perscribere, quid de Lupoduno sentiam. Auctores praecipuos et classicos et solos in hac disquisitione consulendos *Ammianum* habemus et *Ausonium*, Historiographum illum, hunc Poetam; Poetam Historiographo subordinandum, certe non coordinandum nedum praeferendum

censeo

censeo. *Ammianus* sortem pugnae grauem, diu ancipitem, nonnullo quidem Romanorum commodo vel tandem decisam, absque vlla tamen Triumphi mentione describit. *Ausonius* e contrario profligatum penitus bellum, deuictos hostes, immo plane vltra ignotum Istri fontem exactos, plenum denique Triumphum canit. Ille mortui *Valentiniani* Historiam minori certe partium studio adornavit, hic viti adhuc laudes gratulantium more mirum in modum extollit. Vterque aliquid ex vero, ille tamen plus habebit. *Ammianus* igitur primo loco audiendus est. Locum pugnae anni tempus, hostes etiam, quales fuerint, perspicua partim oratione describit, partim probabili sic satis couiectura ex aliis circumstantibus intelligere nos iubet. I. Locus pugnae solicinium, siue oppidum, siue pagus, siue mons, siue regionis siluis dumetisque obsitae alia quaecunque pars fuerit, ab ipso indigitatur. Hunc vero locum si sciremus, ad Lupodunum facilius concludi posset; quia Ammiano maior quam Ausonio fides habenda, vel quia ab Historiographo tutius quam a Poeta, si caetera etiam paria sint, geographica certitudo petitur, multo vero magis, si hunc exaggerasse rem, & triumphum ante victoriam cecinisse non probabile tantum sed & certum sit. Huius igitur loci situm inprimis determinandum

esse

esse putem, si pro Lupoduno certi quid pronuntiari debeat. Suppono enim, quod nemo negat, ausonianam Ammianeamque victoriam vnam esse eandemque. II. Anni Tempus momentum aliquod habere propterea crediderim, quia ab eo iterum maior minorue Ausonii fides pendere videtur. Si enim ante 31. Iul. finita iam fuit expeditio Valentiniani, ita, vt milites in media aestate in hiberna reuerterint, quod post proelium hoc continuo factum fuisse aperte scribit Ammianus, nihil probabilius est, quam quod Romani paulo inferiores pugna discesserint, Ausoniusque hanc tam praeclaram scilicet victoriam, quam Ammianus rectius siluit, ex mero adulandi ingenio videatur finxisse. Ita vero omnia falsa essent, praeter Topographiam Ausonianam. Nonne autem & haec periclitaretur, aliquamque fidei sublestae suspicionem ob eandem causam incurreret? Deinceps si ad reliquas circumstantias temporis cum praecipuo rei momento non tam arcte connexas animum aduerto, lubens largior potuisse haec omnia unius mensis spatio expediri, quae Ammianus describit; at de probabilitate sermo erat. Neque enim Romanos sub Imperatore, qui Iulio Caesari longe impar erat, temporibus reipublicae iam dudum collapsae, contra hostes bellicosissimos, ipsisque subinde superiores, tantum effecisse probabile est,

Digitized by Google

vt, quemadmodum rebus optime olim gestis, ita & nunc venisse, vidisse, vicisse dicendi sint. Neque etiam sub initium Iulii, vel & ante medium, sata in campis praesertim marti anae siluae tam laeta, tam adulta, tam matura sunt, vt Romanus miles alimenta sibi ex iis parare vel potuerit vel certe voluerit. Pergo ad III. momentum, quod hostes, contra quos romanum agmen fuerit eductum, nosse penitius nos docet. *Rhandonis*, Regalis Alamanni, clandestina irruptio in vrbem Moguntiacam, praesidiis vacuam, certe occasio noui belli proxima esse potuit. Expeditio ipsa contra Alamannos suscepta est; *Rhando* fuit Alamannus; propior, citerior, & fractae fidei inprimis reus hostis, qui forsan in Vadomarii copiis militauit, leuisue etiam armaturae militibus praefectus fuit. Sed gentis infidae specimen tantum & cum specimine occasionem belli dedit Rhando; quapropter *Vadomarii*, & *Vitichabii*, vtut dolo Romanorum iam peremti, copias bello hoc etiam petiisse Valentinianum eo magis verosimile videtur, quo minus tanta solitisque grauiori expeditione contra vnum Rhandonem, inferiorem procul dubio Ducem, fuisset opus; licet Hieronymus in epistola ad Agerochiam, de clade Moguntiaci per Rhandonem clam expugnati, acerbius, quam de vllo alio proelio, scili-

cet

Digitized by Google

cet quia res Sacrae in periculum vocabantur, doluiſſe videatur, notante id *P. Pithoeo*, cui tamen *Valeſius*, aliam Moguntiaci irruptionem ab Hieronymo deſcriptam autumans, in notis ad l. c. Ammiani contradicit. Huic igitur argumento, ſi vlli alii, robur certe aliquod ineſſe ſentio, pro ſitu ſolicinii in ſuperiori Sueuia vindicando, quia ſedes haec erat copiarum Vitichabii, quas mortuo Imperante facilius ſubiugatum iri ſuſpicari iam poterant Romani.

Haec de Ammiani Hiſtoria; Auſonianam breuibus expediemus. Topographiae ipſius fidem aliquam haberi poſſe, etiamſi in reliquis omnibus ſubleſtae admodum fidei ſit, ex eo probamus, quod cum Nicer & Iſter fabuloſi fluuii non ſint, Lupodunum, quod ſolus & praeter eum nemo nominat, finxiſſe non poſſit dici. Fluuios vero nominat, quia Carminis praecipuum thema fluuius Moſella erat; vnde niſi terminatio obſtaret, vel ſi lectio Lupondum genuina eſſet, etiam Lupondum fluuii nomen dixerim, quemadmodum *Lycus* graecorum fluuius erat; ſed eſto iam caſtellum, vel etiam mons. (*a*) Nicer Lupodu-

(*a*) Nam & montes conſpicui nominibus peculiaribus inſigniuntur. Quod ſi igitur praeſumo, Dunum, Lupodunum Celticae originis voces eſſe & Dunum ſignificaſſe montem eminentiorem, iungo poſtea hodiernam & plurium

Lupodunum, Ister eiusque fontes in vicinia aliqua fuisse debent, etsi Alamannos supra hosce terminos plane non exactos fuisse contra Ausonium tueamur. Alias enim ne in connexione quidem adulatus vel mentitus fuisset, quod de Poeta nemo dixerit. Solemne quidem Ausonio esse, fontem Danubii penitissimis in oris occultatum Romanisque ignotum citra vllam causam, per meram hyperbolen pro Danubio ponere, variis exemplis in *Mosella* sua probare nititur Freherus; vnum allegabo. Epigr. IX. Ausonius de hoc fluuio ita:

Danubius penitis Caput occultatus in oris,
Totus sub vestra iam ditione fluo.

Qui locus, etsi aliis tolerabilior, parum tamen probat. In eo enim allegando suae hypothesi nimium indulsit Freherus. Sensus epigrammatis hic erit: Danubius totus, in ipsis quoque fontibus, Romanis antea ignotis & inuiis, Romano iam paret imperio. Deinceps, cur ignotos Istri fontes appellet, hoc proferri video licet ficulneum prorsus argumentum: Danubius a fonte ad Moesiam vsque

rium iam seculorum denominationem, qua Lupferberg dicitur ab eo tempore, cuius memoria in documentis est vltima vel prima, eadem ratione Lupodunum Ausonii montem quendam esse coniicere possum. Addo Lupfen castellum, & Lupferberg montem saepe a se inuicem distingui in documentis. Superflua inde disputatio esset, an Germani castella vel vrbes habuerint? ita Cel. *Sattlerus.*

vsque appellatur; inde vero ad Pontum vsque Ister audit. Itaque Istri fontes latinis vel romanis nulli sunt, sed Danubii. Haec Valesius. Talem vero verborum lusum Poetae in fingendo caeteroquin non inepto quis affinxerit? Haec igitur missa faciam. Nicer, Lupodunum, Fons Istri iunguntur. Nicer a Lupoduno, atque ab eodem hoc Lupoduno Fons Istri procul remotus esse nequit. Hic situs in arcem Lupf optime quadrat. Quodsi itaque Ausonio non omnis fides, vel potius non omnis probabilia fingendi dexteritas abiudicatur, Lupodunum nullibi nisi intra fontem Danubii & Nicrum quaesiueris, atque arcem Lupf vel Lupferberg cum Rhenano pro Lupoduno venditaveris.

Iam vero, autroque Auctore seorsim consulto, quid ex comparatione vtriusque sequatur, dispicimus, & paucis argumentis sententiam nostram stipamus.

I. Solicinium aliquod in superiori Sueuia situm probabili coniectura inueniri potest, quod difficile quidem esse non arbitror, cum haud praecise ad oppidum Sulz am Neccar adstricti simus, variaque insuper cognomina loco in Martianae silvae & Heluetiorum eremi confiniis Geographorum industria detexerit iam, & adhuc detegere possit; II. Si victi potius, certe non victores dicendi fuerint in hac expeditione Romani, adeo-

Digitized by Google

que reſpectu temporis habito vel in media aeſtate rebus non optime geſtis in hiberna reverti potuerint, diſſitarum prouinciarum Treuirenſis praeſertim incolis glaucoma aliquod victoriae, glorioſo militi concedendum, obiecturi; III. Si *Viticbabii*, licet defuncti, terras & eo magis, quia callidus & audax Imperator defunctus fuerat, bello infeſtaſſe Romanos, a Rhandone iuſtitiae praetextum aliquem petentes, quod maxime probabile videtur, vlterius probari poſſit; IV. Si tranſitus Rheni, in textu Ammianeo ob varias lectiones valde dubius vindicari ac inprimis oſtendi poſſit, cur in codicibus hodie obuiis librarii omnes, quibus tamen, vtut Idiotis, Rhenus, notiſſimus fluuius, ignotus eſſe nec poterat nec debebat, in deſcribendo hoc nomine haeſitauerint ac INHENVM potius quam RHENVM vt alibi ſcripſerint; V. Si coniectura etiam aliqua locum haberet, cur Hiſtoriographus *Lupodunum* plane taceat, *Solicomno*, procul dubio Lupoduno proximum, & forſan non ignobilem locum, memoret, Poeta vero ab Hiſtoriographo diſcedat, ac citra neceſſitatem verſus, cum

Hoſtibus exactis nicrum ſuper & ſolicomno,

aeque ſcribere potuiſſet ac,

\- - - *Nicrum ſuper & Lupodunum;*

Lupodunum memoret ſolicomno taceat; (neque enim ignobilitas loci, alias & Ammianus

eum,

eum, vt alios horridae regionis montes peculiari nomine haud diſtinxiſſet, vel ſi Lupodunum nobilius fuiſſet ac notius, certe vtrumque coniunxiſſet, neque etiam veritas hiſtoriae Poetae obſtitiſſet, quum ſupra vel vltra Solicomno iam ante pugnam ſi non coacti certe ſponte ſeceſſerint Alamanni;) ſi, inquam, haec omnia in tuto ſuint & extra dubitationis periculum poſita, fateor, Rhenani ac plurium Iuniorum ſententiam maiorem veri ſpeciem habere, quam Freheriana ſententia habet. Vltimum quoque momentum nr. V. nimium vrgere propterea nolim, quia, ſi & Poeta ſolicomno ſcripſiſſet, plane nihil de Lupoduno ex antiquitate conſtaret, adeoque tota lis de nihilo moveretur. Quatuor igitur, quae primo loco nominaui, momenta ſi expedita ac hiſtoricis argumentis ſuffulta forent, veterum Lupodunum in caſtello *Lupf* certiſſime fuiſſet reſtitutum ac inuentum. Sin vero alia argumenta Theſibus & quaeſtionibus propoſitis inſeruientia exputari poſſint nulla, robur tamen aliquod *Rhenani* ſententiae accedere, eamque probabilem hactenus eſſe crediderim, donec noua & fortiora pro alterutra parte militantia argumenta vel tollant probabilitatem vel augeant ac in hiſtoricam certitudinem commutent.



ELOGIVM
TOBIAE MAYERI,

Reg. Soc. Scient. Gott. Sodal. Claff. Math. Acad. Bonon. Socii, & Math. Prof. P. O. in Vniversitate Gotting.

denat. d. 20. *Febr.* 1762. (*b*)

AVCTORE

ABRAHAMO GOTTHELF KAESTNER,

Math. & Phyf. Prof. P. O. Gotting. Soc. Reg. Scient. Sodal. & Secretar. Acadd. Regg. Scient. Suec. & Pruff. rel. rel. Socio.



Nondum coaluit vulnus, focietati nuper Gesneri morte inflictum; cum nouo derepente fauciatur. Mayeri, non amplius noftri, fatum me loqui, intelligitis auditores, intelligeret, fi ab eo vniuerfo audiret, orbis eruditus. Eft enim hoc

(*b*) Virorum Scientiarum & verae eruditionis laude illuftrium Biographias, qualis MAYERI haec Kaeftneriana, MASCOVII Erneftiana, ALEX. BAVMGARTENII Me[illegible]riana, tam concinnas, tam fructuofas, atque ad formandos iuniorum animos tam aptas, paucas hucusque vidimus

hoc aliquod veluti doloris noſtri lenimentum, (eſſet certe, ſi diuiſus inter plures dolor, minus a ſingulis ſentiretur,) quod vterque hic luctus, non tam noſter eſt, quam omnis reipublicae litterariae. De Geſneri quidem laudibus, ſi vel temporis ratio permitteret, vel virium ſineret tenuitas, peruellem ego dicere, qui non in exigua felicitatis meae parte repono, quod Viri de me puero conceptam ſpem, iuuenis non penitus fefellerim, Sene vero, collega & amico ſim gauiſus. Sed, in antiqua eruditione ſummum, magnum in recentiore, philoſophum, poetam, ſtudiorum, quae nimis tetrica philologis plerumque videntur, geometriae & phyſicae, aequum aeſtimatorem, vtpote peritum, Germaniae praeceptorem, cultioris Europae omnis oraculum, alii doctius me celebrabunt, aut, etiam ſi noſtri id omittant, ſaeculis elapſis, poſteri Geſnero tribuent, quod nos Melauchthonis memoriae dari vidimus: a me credo auditores, minus indigna tempore veſtro, de mathematico vos exſpectaturos. (*c*)

Naſci

vidimus. Rem igitur Lectoribus gratam facturos nos eſſe arbitramur, ſi ſubinde talium biographiarum exemplaria ac ſimulacra perfecta prelo ſubiiciamus, atque ab obliuione vindicemus.

(*c*) Ipſa Cel, Panegyriſtae verba hic damus, vt quanti apud exteros MAYERVS, noſtras, aeſtimatus fuerit, non tam

Naſci Mayerum vidit, eadem Germaniae regio, cui cum tot magnis ingeniis, Keplerum debemus, Würtembergia, anno viceſimo tertio huius ſaeculi d. 17. Febr. in Marpaci oppido, patre honeſto ciue, qui ob ſingularem aquarum ducendarum peritiam, inde Eslingam quae Imperii vrbs eſt euocatus, rei aquariae praefectus obiit. Igitur ingenitum quoddam noſtro ſtudium videtur, ſcientiae illius quae vires motusque metitur, ad vſus humanos transferendae, diagrammata certe patris, & machinarum deſcriptiones, pingendi ardorem in quadrimo excitaſſe, poſt illum hic non referrem, niſi hinc intelligeretur, quomodo, oculo manuque inde ab infantia exercitatis, illam delineationum adornandarum facultatem conſequutus ſit, qua rarius profundiores mathematici celebrantur.

Tunc cum illo pingendi ſtudio infans teneretur, Chriſti cruci adfixi imaginem forte ſibi oblatam, tentando ſaepe rem, ac periclitando, tandem

ex noſtris, quam exterorum verbis appareat. Ita vero Cel. KAESTNERVS praefatur: „In Elogio quod optabam vt dignum eſſet Mayero & auditoribus, locum „dare nolebam minutae annorum, dierum, nominumque commemorationi, & aliis, quae ſollicite conquiſiturus eſſet, & prolixius quam vel ipſa eius quem laudaret inuenta expoſiturus, aliquis ex numero litteratorum, „omnia de eruditis, praeterquam ea quae ad eruditionem

tandem non plane intolerabiliter expreſſit. Hac re & laudem conſequutus eſt, & maius quidpiam; nam hiſtoriae ad quam pertineret pictura noſcendae curioſus, ſacrum codicem auide legit. Ita vero memorat ſe primum boni malique discrimen agnouiſſe, virtutique vel tenerrimis mentibus inſtillandae idoneum hunc librum praedicat, eiusque auctori gratias agit, quod alioquin deterior multo futurus fuiſſet. Haec, ex vitae hiſtoria, quam olim inchoauit, ſed vltra ſextum aetatis annum non continuauit, adferenda credidi, quoniam de religione ſententias continent bene ſe habentis, & mortem e longinquo ſpectantis, non illas, quas chriſtianorum aliquibus exprimit, qui gentium deos fecerat, timor.

Quam varii caſus puerum patre orbatum agitarint, enarrarem niſi tot alia ſupereſſent. Igitur quo in breuitatem omnia contraham, matheſeos elementa ex libris, quales ſors obtulerat,

„nem pertinent, nimia & miſera diligentia enarrantium. „Tamen, ne haec omnino deſiderentur, potiora, quae „deſperabam tractata ab oratore niteſcere poſſe, iam ad „calcem paginarum ſubieci, ſcriptorum catalogum ipſi „elogio.„ Vnum addimus quod nimirum Mayeri noſtri fama ad exteros ita peruagata fuerit, vt quoque Lugduni Gallorum tabulae ipſius de motibus ſolis & lunae in obſeruationum calculo omnibus aliis praeferantur.

Digitized by Google

rat, proprio marte in loco, vbi deerant docto-res, edidicit, praxium mathematicarum vſus aliis impertiit, emolumentum inde ad ſe redundare ſenſit, quoniam vulgus ſcientias vt amicitias vtilitate probat. Hic ſubſtituri erant multi, qui practicos mathematicos ſe profitentur; Mayerus vidit, praxin quae vulgari theoria vtcunque firmatur, profundiore liberandam eſſe a naeuis, & perficiendam. Hinc, & artem inueniendi mathematicam, quantamcunque noſtro aeuo reddiderunt ſumma ingenia, animo eſt complexus, & feliciter ad praxin transtulit.

In hoc autem geometrico puluere dum verſaretur, litteras humaniores non neglexit. Quarum ipſiusque poeticae facultatis, etiamſi ſeuerioribus ſtudiis maxime ducamur, hunc tamen vſum eſſe recte iudicauit, vt ipſa illa quae ſubtiliter diſſerenda ſunt, polite apteque dicantur, aliqua etiam ornate & ſplendide. Latine ſcripſiſſe Mayerum & eleganter, in laudibus forte poni poteſt viri, qui academiam non prius adiit, quam ibi docturus, in laudibus certe mathematici ponetur ab illis, qui quoniam aliquos e triuio mathematicos, ſqualidius ſcribere vident, ſummorum vix nomina norunt, barbariem mathematicorum propriam eſſe exiſtimant, perinde ac ſi Iurisconſultorum humanitatem, ex illis qui litigandi artem vnice callent aeſtimares. Iidem, ſciant,

Digitized by Google

ſciant, Mayero inſigniter Ouidii de mutatis in noua corpora formis carmen placuiſſe, cuius partem etiam vertit, metro vſus, quo epicum romanorum imitari ſe noſtri iam credunt. Mayero certe ea res felicius ceſſit quam aliis multis. Legeritne vero cum ſenſu aliquo pulchri poemata, ex hac eius ſententia intelligetur: poetas veteres, exigua & falſa ſaepius quam habebant naturae cognitione, feliciſſime vſos; noſtros, ornatum omnem fere, quem petere poſſent a patefacta magis naturae maieſtatae, negligere. Nempe, reſpondi illi, cum haec mihi diceret, olim poetae philoſophi erant, noſtri ephebi, qui anacreontica balbutiunt, aut hexametros mugiunt, nihil naturae norunt, praeter vinum & puellas.

De vitae genere, cui prouidentia diuina deſtinabat Mayerum, tam parum ille tunc cogitavit, vt pyrobolicae ſtudioſus, totum ſe bellicis artibus tradere decreuerit, multo minus credo celebritatis habiturus, ſi hoc tempore, quo in ſua viſcera, ne victrici quidem dextra, Germania ſaeuit, a republica quadam ad exercitum imperii miſſus baliſtarius occubuiſſet. Anno aetatis vndeuiceſimo, ſtudiorum primitias, quas ipſe vocauit, edidit, de curuarum vſu in problematibus geometricis conſtruendis; anno ſaeculi 45. Atlantem mathematicum quo plura & profun-

diora

Digitized by Google

diora quam ſolent in compendiis vulgaribus doceri, picturis elegantibus explicauit. Sequenti anno Noribergam venit, in tabulis e quibus pictos ediſcimus mundos, vniuerſaque geographia emendandis occupatus, amicoque vſus Celeb. Lowitzio, qui vnus iam poſſit quod detrimenti Mayeri morte accepimus, ſarcire. Academia Bononienſis ſodalem adſciuit, ipſe inter eos fuit, cum quibus Franzius ſocietatem coſmographicam inſtituerat. Gottingam inde ab anno ſaeculi quinquageſimo primo ornauit; ſtudiorum quidem vniverſitatem docendo quaecunque ad matheſin pertinent, ſocietatem vero ſcientiarum, eadem augendo. (*d*)

Quae

(*d*) Commodum fuerit, ſcriptorum Mayeri Catalogum heic ſubiungere. *Separatim edita*: Neue vnd allgemeine Art alle Aufgaben aus der Geometrie vermittelſt der geometriſchen Linien aufzulöſen &c. Als Erſtlinge ans Licht geſtellt von Tobias Mayern, Math. Cult. Eſslingen 1741; 8vo. Mathematiſcher Atlas, in welchem auf 60. Tabellen alle Theile der Mathematik vorgeſtellet werden. Augſp. 1748. fol. Bericht von den Mondskugeln, welche bey der Koſmographiſchen Geſellſchaft in Nürnberg aus neuen Beobachtungen verfertiget werden. 1750. 4. Programma de refractionibus obiector. terreſtrium quo ſimul lectiones ſuas indicauit. Gott 1751.

Tabulas geographicas quas delineauit recenſere longum eſſet. Vnicam nominaſſe ſufficiat, Germaniae criticam, qua quantum adhuc in Germaniae deſcriptione deſideretur oſtendit, locis, quorum poſitus debite defi-

niri

Digitized by Google

Quae augmenta doctrinis his ab eius ingenio accesserint sigillatim recensere longum esset, poterant enim, qui viro in vitam computantur anni, inuentis numerari. Igitur de palmariis in capita redactis summatim dicam. Angulis in campo accuratius & commodius dimetiendis, instrumenta plura excogitauit, illaque re insignem gratiam iniuit ab iis omnibus quorum praxis geometrica,

niri possit adeo raris, vt antiquam illam Taciti Germaniam, non hodiernam, quae placet etiam quibus non est patria, pictam te videre existimes. *In Volumine quod vnicum est commentariorum societatis Cosmographicae, ad annum* 1748. *pertinente* 1750. *edito* (Kosmographische Nachrichten und Sammlungen.) Beschreibung eines neuen Mikrometers (noui micrometri descriptio.) Beobachtung der Sonnenfinsterniss 1748. (obseruatio Eclipsis Solaris 1748.) Beobachtungen einiger Zusammenkünfte des Mondes mit Fixsternen 1747. 1748. (fixarum & lunae coniunctiones 1747. 1748. obseruatae.) Abhandlung über die Vmwälzung des Monds um seine Axe, vnd die scheinbare Bewegung der Mondsflecken worinnen der Grund einer verbesserten Mondsbeschreibung aus neuen Beobachtungen gelegt wird. Erster Theil (Dissertationis de lunae circa axem suum reuolutione, macularumque lunarium motu apparente, qua selenograph ae nouis obseruationibus emendatae fundamenta sternuntur Pars I.) Beweis dass der Mond keinen Luftkreis habe. (Lunae atmpsphaeram esse nullam.) *In collectionibus vtilibus Hannoueranis* Hannöv. nüzl. Sammlungen. Terrae motus, ex mutata grauitatis directione explicatus. Götting. g. A. 1756. p. 316.

Disser-

metrica, latius se quam ad agrum rustici cuiusdam a vicino disterminandum extendit. Superesse vel in ipsa geometria elementari, quae inveniri possint, & inuenta vsum praestate, figurarum rectilinearum facili in triangula transmutatione monstrauit. Errorum, qui in geometria practica & alibi committi possunt, fontes & mensuras, subtili in visus aciem inquisitione ostendit.

Aeris

Dissertationes exhibitae Societati Regiae scient. Gottingensi.

1. Latitudo Noribergae. Comm. T. I. ann. 1751. 2. Obseruationes astronomicae Noribergenses ibid. 3. In parallaxain Lunae eiusque a terra distantiam inquisitio Comm. T. II. ann. 1752. 4. Noua methodus perficiendi instrumenta geometrica, & nouum instrumentum goniometricum. ib. 5. Nouae Tabulae motuum Solis & Lunae ib. 6. Tabularum Lunarium in Tomo II. Comm. S. R. contentarum vsus in inuestiganda longitudine maris 1753. Comm. T. III. 7. Obseruationes astron. 1753. Gottingae habitae, ib. 8. Experimenta circa visus aciem. 1754. Comm. T. III.

Nondum editae.

1755. De refractionibus astronomicis. De transmutatione figurar. Rectilienarum in triangula. Gött. gel. Anz. 1755. 29. St. De inuestigandis legibus variationum thermometri ea methodo, qua astronomi ad motuum coelestium inaequalitates cognoscendas vtuntur. Item obseruationes astronomicae. G. g. A. 1755. 103. St. 1756. De motu Martis, a Iouis Terraeque attractione turbato. G. g. A. 1756. 50. St. Quadrantis muralis obseruatorii Gottingensis rectificationes, & obseruationes ope

illius

Digitized by Google

Aeris refractio, quantum obiecta terrestria spectantem falleret, inuestigauit.

Habent etiam, pro quo Mayero gratias agant, qui honesta illa voluptate tabularum coloribus distinctarum ducuntur. Colorum enim, quibus ars pictoria vtitur, tres esse primarios ostendit, & quot ex binis aut ternis primariorum varia ratione mixtis nascantur computauit, monstrans, quomodo pigmenta quae vsu teruntur, ad classes, vires illorum tingendi ad mensuram, possint reuocari. Artificii vero quo picturae datae ectypa multiplicantur, specimen exhibuit, arte ipsa celata.

Horum aliqua si satis essent ad memoriam viri posteris commendandam, poterat tamen illis omnibus carere, astrorum consultus, securusque nominis

illius institutae. G. g. A. 1757. 110. St. 1757. Methodus eclipses solares computandi. G. g. A. 1757. 110. St. 1758. Colorum ex pigmentis commixtis oriundorum computatio. G. g. A. 1758. 147. St. 1759. Nouus fixarum catalogus. G. g. A. 1759. p. 401. Artis qua picturae datae ectypa multiplicantur specimen exhibitum. ib. p. 402. Instrumenti goniometrici quod Astrolabium vocant structura emendatior. ib. p. 393. 1760. De fixarum quarumdam motu proprio. G. g. A. 1760. p. 73. Theoria magnetica. ib. p. 633. 1762. Computus declinationum & inclinationum magneticarum, ex theoria nuper exhibita deductus. G. g. A. 1762.

nominis cum Luna duraturi. Non temere Lunam dixi, auditores, quae ſecretiora ſua, Mayero, velut nouo Endymioni, videtur reuelaſſe. Vel ipſam lunae faciem accuratius deſcripſit, meritus profecto, vt inter illos quibus agros in Luna diſpertitus eſt Ricciolûs, quoniam plerumque nihil in terra poſſident coeli menſores, Mayerus etiam nobis ſplendeat. Motus autem quibus terrae ſocia agitatur, legibus ſubiicere, difficillimum ſemper viſum eſt aſtronomis, indignantibus, maxime ignorari proximum nobis ſidus, quaſi vel hoc ſuo exemplo praeiret illi quem in terra regit ſexui. Hic ſuperauit omnes Mayerus, tabulas condendo, inter quas & obſeruationes vix tantum diſcriminis intercedit, quantum inter obſeruationes ipſas intercedere ſolet. His autem conatibus ad explicandum magnum illud de longitudine maris problema, propius vllo aliorum videtur acceſſiſſe. Notum vero eſt, motus lunae qui perturbati apparent, mutuis, ſolis, terrae, lunaeque actionibus regi, adeoque ad celebrem illam de tribus corporibus quaeſtionem redire, cuius reſolutiones computis idoneas qui reperit, is, noſtro aeuo, ad ſummum coeleſtis phyſicae apicem enixus iudicatur.

Antiqui, lunam, ſordibus velut terrae, ob vicinitatem commaculatam crediderunt, recentiores, in luna lacus, & atmoſphaeram, & ipſa fulgura

fulgura viderunt, Mayerus, non adeo ſimilem eſſe lunam terrae, & ſi circumfundatur lunae aer, tenuiſſimum, puriſſimumque circumfundi perſuaſit. Ceterum, intra anguſtos hos orbitae lunaris carceres contineri noluit, Martem, quem primo Keplerus theoria ſua elliptica domuerat, arctioribus vinculis conſtrinxit, Fixarum loca accuratius definiuit, tuncque reperit propriis illas motibus cieri, neque fixas eſſe. Vltimo vitae tempore in magnete animum occupauit, cuius viribus leges tulit, notis veriores, declinationis vero theoriam condidit ſimpliciorem, & cui ſubiicerentur ipſae inclinationes, parum hucusque theoriae obedientes. Quem eius velut cygneum cantum, initio huius anni ſocietas ſcientiarium audiuit.

Haec cum biduum ſuperuixiſſet natali vndequadrageſimo, fecerat Mayerus; (*e*) iudicate Auditores, quae fuiſſet effecturus, ſi ad Halleii ſenectutem perueniſſet. Halleium autem dum nomino, videor mihi videre, ſi felices animae de terrenis ſuis ſtudiis, vt viri interdum de infantiae luſibus, colloquantur, videor inquam mihi videre,

(*e*) Mortuus d. 20. Februarii anni 1762. humatus 23. prope templum St. Albani, iam, quod granarium eſt, clauſum.

videre, Mayerum Halleio, de Veneris ſub Sole tranſitu cometaeque reditu referentem.

Vitam viri, vobis praelegere auditores, in animo nobis non fuit, ſed imaginem depingere, qua, vt Themiſtocles olim Militadis trophaeis, turbari quietem ſuam ſentiat iuuenis quidam egregiae indolis, Mayerumque aliquando nobis reddat. Igitur non longus ero in recenſendis iis, quae communia habet cum plurimis, vt, quod eo tempore quo Gottingam venit, coniugium inierit, etſi & hic contigerit ipſi quod non omnibus contingit, vxor ex animi ſententia, (*f*) conſortiique felicitas, non niſi fato illo turbata, quod ſuis maritum patremque rapuit. (*g*) Neque letalis morbi hiſtoriam a me exſpectate auditores, quem crediderim, inde a longa & lenta tabe, in illam magnitudinem excreuiſſe, vt proſtratas omnes vires ſentiens aeger, inſigni animi conſtantia imminentem ſibi mortem ſpectaret, etiam cum nobis, ſpes non exigua ſupereſſet. (*h*) De

(*f*) *Maria Victoria*, *Gnügii*, verbi diuini quondam apud Biſchofsheimenſes in Creichgouia, primarii miniſtri, filia.

(*g*) Filiis duobus, totidemque filiabus, illis iunioribus, Filio natu maximo annorum 10.

(*h*) Epitaphium quod Cel. KESTNERVS ex *Horatio* applicat, ita habet:
Te maris & terrae & magni ſine limite coeli
Menſorem cohibent Mayere

Pulue-

De me certe fateor, ſpem eius quod vehementer optabam, difficulter me eripi mihi passum. Amicitiam meam in precio illi fuiſſe, inſigni mihi honori ſemper ducam, eoque magis, quod inter doctores eiusdem academiae, ſtudiorum communitatem, amicitiae vincula arctius contrahere, rarius eſt, quam eſſe deberet, laborantque eruditi ſaepius figulorum morbo, etiam vbi aduerſus tormentum quo ſiculi tyranni maius non inuenere, tueri eos poterat Macenatum in vniuerſos munificentia. Ego vero, vix quopiam intimius vſus, niſi qui ingenio ſcientiaque excelleret, voluptate ad lacrymas prona, illorum fere omnium tantum recordor, & a quibus plurima doceri debere genus humanum arbitrabar, eos coelites ſuſpicio.

Mayeri iacturam, inprimis doleo Germaniae nomine, orbis recentioris in doctrina coeleſti omni magiſtrae. Non longum Aſtronomorum Germanorum texam catalogum; Non appellabo Cuſani, Purbachii, Regiomontani, Apiani, illa illuſtriora omnibus exteris nomina, poſtquam

Pulueris exigui prope clauſum paruula templum
Munera nec quidquam tibi prodeſt
Rexiſſe errantem lunam mouiſſeque ſummo
Sidera fixa polo morituro,
Quod nauta Horatianus cineribus archytae fecerat idem
Mayeri memoriae faciens ſcrib. A. G. K.

quam orientalis Graecia victorem Romanis magis ferum fugiens, artes intulit, agresti prae scholastica subtilitate Europae, & huc migrauit cum sororibus Vrania. Vt duobus verbis, quod proposui efficiam: Qualis esset Astronomia, nisi verum mundi ordinem Copernicus docuisset, motuum coelestium leges Keplerus? Ab his, verae astronomiae principia, qui trans Alpes, trans Rhenum habitant, qui mari a toto orbe seiunguntur, didicere omnes. Chaldaeis, pro Astronomia ab illis accepta hanc gratiam retulerunt veteres Graeci, vt barbaros illos appellarent: Quod, ne Germanis contingat, ab illo populo, cui nostro tempore ingenium Musa dedit, & ore rotundo loqui, non nisi Mayeri similes poterunt cauere.



MEMO-

Digitized by Google

MEMORIA
IOANNIS IACOBI MASCOVII,

ICti, Regis Pol. Elect. Sax. a Consiliis aulicis, in Curia Lips. Assessoris, Capituli Cizensis Decani, Senatus Lips. Proconsulis, aedis Petrinae Curatoris, & Collegii Princip. Min. Sodal. Sen.

d. 21. *Maii* 1761. *denat.*

AVCTORE

IOAN. AVG. ERNESTI,

S. S. Theol. Doct. ac Prof. P. O. t. t. Rectore Magnif.



Si quis censum ingeniorum humanorum agere, eorumque describere classes instituat, dubius haerere possit, primae gloriam vtrum attribuat iis, quorum solertia & fecunditas nouis rebus excogitandis inueniendisque se protulit, an, quae elegantiam & venustatem ab natura acceptam, & cultu assiduo auctam ad vitam humanitate fingendam, ad artes atque doctrinas

Digitized by Google

delectu rerum conformandas, ordine temperandas, & pulcritudine apta exornandas contulerunt. In qua dubitatione explicanda, si nominis potius admiratione trahi se, quam vtilitate rei ac pulcritudine duci sinat; secundum inuentionem vtique sibi decernendum putabit. Est enim profecto maior ingenii splendor in inueniendi celeritate & solertia, quam in iudicandi exornandique diligentia & venustate; propterea quod primum fortius ferit animos inuentarum rerum etiam inutilis nouitas & insolentia, quam ordinis, moderationis, pulcritudinisque tranquilla & suauis vtilitas; deinde vero etiam maius natura iudicatur, res praeclaras bene parere, quam bene partis recte vti. Neque nos sumus ii, qui Inuentorum, qui quidem proprie ac vere dicantur, ingeniis aut inuideamus principatum aut detractum velimus; ceterum alterum illud genus ingeniorum, si cum iis contendere velit, multa possit dicere, per quae principatus ille in discrimen adduci, & aequalitas quaedam non iniqua induci videatur, propter quam eiusdem classis gradum pari iure obtineant.

Ac primum magnum versari dicat errorem, ambiguitatis certe plurimum, in ipso inuentionis verbo, quod consuetudo, aberrans a proprietate loquendi, liberaliter communicauerit cum multis,

multis, quibus illius nominis honos nullo iure tribuatur. Profecto, cum inuenire proprium sit eorum, quorum ingenium aliquid ex se parit, & insita vi sua atque celeritate res incognitas, arduas & vehementer vtiles assequitur, & ad vsum communem profert; ab hoc genere lapsa consuetudo inuentionis laudem tribuit etiam iis, quibus diligentia potius in animaduertendo, aut elegantia in iudicando, aut dexteritas in digerendo & ordinando debetur. Oratorum quidem quae dicitur inuentio, ipso Cicerone iudice, nihil aliud est, quam animaduersio, & obseruatio eorum, quae res quaeque in se habet idonea ad persuadendum; in qua laus omnis est diligentiae. Atque tota illa ars Rhetorum inueniendi, nihil fere nisi regiones demonstrat, in quibus venere diligentia, & peruestiges cura, quae possint apte dici. (*de Or, II. 3.*) Inter artem quidem & diligentiam paullulum loci relinquitur inuentioni, quae proprie dicitur, estque ingenii excellentis & felicis, cum eius vis & fecunditas magnas, nouas, & perpulcras sententias de rebus diuinis & humanis gignit, quod Longinus τὸ ἀδρεπήβολον (alii ἐυεπήβολον) περὶ τὰς νοήσεις appellat (*de Sublim. §. 8.*) Quae autem Dialecticis inuentio dicitur, ea, sicut tota Dialectica Rhetoricae est, vt Aristoteles ait, ἀντίστροφος (*Rhet. I. 1.*) i. e. respondens ex altera parte & similis, ita &

Digitized by Google

ipsa inuentioni rhetoricae similis est, atque, vt bene demonstrat Verulamius (*de Augm. Scient. V. 2.*) diligentiae potius ac iudicii, quam ingenii, res nouas ex se efferentis, &, vt ille defendit, inuentionis, quae proprie dicitur, nomine haud digna. (*ibid. 3.*) Quid? inuenta Grammaticorum, Historicorum, Medicorum, Astronomorum item pleraque & Physicorum, an aliud sunt, quam res deprehensae potius diligentia, & assiduitate obseruandi, quam ab ingenio profectae? Quibus autem artium tribuitur inuentio, vt Dialecticae Aristoteli, quid, si vere iudicare volumus, tribuitur, nisi eorum, quae ab aliis per partes vel excogitata ingenio essent, vel animaduertendo cognita, apta ac diligens digestio, & velut bonae materiae elegans structura & coagmentatio. Quodsi his generibus inuentionis laudem deberi statuemus, ea certe laus communicabitur cum altero genere ingeniorum, quod non tam inuentionis gloriam appetit, quam iudicii, elegantiae venustatisque laudem. Nam & haec, illis ipsis bonis suis exercendis, & in disciplinarum tractatione vsurpandis, saepe diligentia sua indagant, quae non animaduersa sunt aliis, & quae aliorum ingeniis reperta sunt, iis etiam nouum decus addunt.

Sed semoueamus haec genera ab inuentionis communione, & sublata omni ambiguitate, videamus

Digitized by Google

videamus de iis, qui res tales, quales ante diximus, nouas, magnas, & vehementer vtiles, ingenio reperisse videantur. In his autem primum, satis constat, fuisse permultos, qui minus ingenio, quam casus cuiusdam, vt vulgo loquuntur, felicitate, si vere interpretari velimus, a prouidentia diuina, veluti manibus, ad inueniendum ducerentur, cum ipsae res sua sponte perspicuas quasdam sui ansas praeberent omnia alia quaerentibus, per quas facillime prehendi, & in lucem vsumque protrahi possent: quod genus inueniendi, ab initiis inde rerum humanarum maxime frequens, si, quoad ingenii vi constat, non dicemus anteponere, sed aequiparare se velit elegantiae illi ingenii, de qua loquimur, valde impudens sit. Nec huic generi multum dissimile est, quod a poëta tribuitur vitae humanae necessitati & egestati, quae *varias meditando artes extudit.* Nam haec inuentio etiam reperitur in brutis, nec in homine magnam ingenii vim desiderat. Et ex his tamen generibus sunt pleraque inuenta, propter quae mortales in immortalium numerum honore & gratia relati, statuis, templis, sacrificiis culti sunt; non ingenii admiratione: cur enim non & Pythagorae, & Archimedi, & similibus ingeniis, honos ille tributus? sed beneficii, quod per eorum manus

ad

ad homines Deus detulisset, amore & grata memoria.

Verum in his, atque in caeteris etiam inventis plerisque doctrinarum, vix operae pretium fecerint auctores, nisi vel ipsis pariter contigerit elegantia ingenii, vel aliorum elegantia ac diligentia eorum inuentis succurrat. Nam inventa mortalium pleraque sunt ab initio tenuia & rudia, eamque ob causam minus late patet eorum vtilitas, nec habent dignitatis aliquid ac leporis, quo valeant etiam ad liberalem oblectationem. Sed ea cum, velut bona aliqua materia, de auctorum manibus accepta, tractantur ingeniorum elegantium cura & diligentia, non modo luculentiora, vtiliora, ornatiora ac iucundiora fiunt, sed etiam accipiunt quaedam incrementa, eaque saepe huiusmodi, quae plus prosint prima tenuitate.

Atque etiam sunt vitia quaedam solemnia his, qui inuentis vel conantur disciplinas augere, vel auxerunt: quibus remedium, nisi ab elegantia ingenii vel sui vel alieni, esse non potest. Nam saepe & ipsi animaduertimus, & alios, doctissimos viros, audiuimus queri, multos de genere eorum, qui Inuentores essent, inuenta sua vel ea obscuritate inuoluisse, vt a paucissimis, ab his quoque vix, intelligi possent, quo nomine etiam magnus Neutonus reprehenditur, vel

tanta

tanta copia inutilium verborum obruisse, in iisque tradendis per tot ac tantas ambages vagatos esse, vt a cognoscendo prope deterrerent, plusque laboris & molestiae esset sustinendum in cognoscendo, quam vtilitatis inde sperari posset in agendo. Quibus, quamquam ingeniosis, quin etiam praeferendi sint, qui bene cogitata ad perspicuitatem breuiter, & ad obiectandum eleganter, explicare possint, non sinit nos dubitare res & ratio. Nam cum doctrinae studia spectent hominum vtilitatem, ad quam referunt intelligentiam suam prudentiamque, qui in iis honeste versantur, melius esse clarum est, quod etiam Cicero iudicat (*Off. I. 44.*) eloqui bene, modo prudenter, quam vel acutissime sine eloquentia cogitare; quod cogitatio in se ipsa vertitur, eloquentia alios, quibus prodesse debemus ac volumus, complectitur.

Et non dicimus de his, qui ab illa elegantia destituti, etiam inanem rerum nouarum ab se inuentarum opinionem suscipiunt: quod solemne omni aetate philosophis fuit; cum propter inscitiam bene & eleganter cogitandi ac dicendi verborum potestates vsitatas non assequerentur, iisque temere mutatis, aut etiam nouis veterum rerum verbis excogitatis, putarent, se nouas res ingenio excogitatas protulisse, in numero Inuentorum se collocarent, atque ceteris, qui res dudum

dum cognitas bene & eleganter explicarent, longe praeferrent: qui tantum abest, vt in prima ingeniorum classe recte censeantur, vt etiam ad quintam redigendi videantur.

Illud vero permagnum vitium est ac solemne, etiam eorum, qui proprie Inuentores dicantur, quod, nisi pariter valeant ingenii & iudicii elegantia, procliues sunt ad abutendum inventis suis, non modo per vanitatem in iis nimis iactandis, sed etiam vbiuis inculcandis, & omnibus per vim ad eorum rationem trahendis & contorquendis, h. e. peruertendis. Quo nomine Verulamius (*in Nouo Organo I. 54.*) recte reprehendebat Gilbertum, clari de Magnete operis auctorem; qui cum se in contemplationibus magnetis laboriosissime exercuisset, eruissetque multa ante incognita, ita captus est illo suo studio, inuentisque suis, vt etiam philosophiam iis consentaneam confingeret.

Horum omnium si fecerimus summam, intelligamusque, primum, permulta, quae verbo tribuantur inuentioni, proprie esse iudicii, diligentiae & elegantiae, aut certe huic communia, deinde, illam ipsam inuentionem, quae tota est ingenii acutius cernentis, indigere alterius ope atque luce, vt sit innoxia, vberior ad vsus humanos, & commendatior: efficitur, vt illa vis inuentrix ingeniorum non nimis multa habeat, quorum

quorum nomine se anteponere possit elegantiae; praesertim, cum haec multa possit bona sua commemorare, propter quae illi aequari debere videatur. Nam primum latius patet eius vis, vt quae totas artes ac disciplinas complectitur, sermones etiam & dicta omnia hominis persequitur, cum illa augustis admodum finibus coerceatur, & raro numerosam, vt ita dicamus, sobolem habeat. Atque etiam est ad vsum hominum copiosior, seruiens omnibus pariter & docendo & oblectando, quod non concessum est inueniendi sagacitati, quae est paucorum plerumque hominum, & fere eorum, qui se altius abdere doctrinis, & interiora artium adire cupiant. Nec illud paruum illius bonum est, quod non modo operibus ipsis a se effictis & conformatis prodest, verum etiam exemplo, quo intuendo, tractando cogitatione atque imitatione, velut contagione quadam, transire ad alios possit; quod secus esse in inuentionis solertia, sciunt omnes, quam esse prope totam, constat, in donis naturae inprimis fautricis, nec imitationi valde subiectam. Est illa denique semper vtilis & sibimetipsi & ceteris, quibus operam suam adhibet, in hac saepe mera species est, habens aliquid admirationis a nouitate, aut subtilitate, nulla vera & solida vtilitas. Itaque etiam paucis inventoribus contenta est vita humana: qui disciplinas,

Digitized by Google

plinas, & orationem, & vitam ipſam, iudicio, diligentia & elegantia ſua regant, fingant, & poliant, permultos deſiderat.

Quo magis aequum videtur, ita de vtroque genere ingeniorum ſtatuere, vt de fortitudinis & iuſtitiae comparatione iudicatum videmus a Cicerone, qui illam ſplendore & admiratione maximam, hanc neceſſitate & vtilitate principem numerat, vt qua ſine fortitudo ne tueri quidem nomen ſuum, & ab immanitate ſe poſſit ſecernere; hanc vero ipſam cauſam vtramque vim ingenii eodem gradu, eiusdemque Claſſis honore coniungi: quod videantur etiam hoc aequiori animo ferre debere, quo magis ſunt natura ipſa coniunctae & communi humanitatis vinculo copulatae.

Sed ex eo genere ingeniorum, quod iudicio elegantia & venuſtate valet, nuper excellentem & magnum Virum habuimus in hac Vrbe IO. IACOBVM MASCOVIVM, quem veriſſime iudicauit *Ern. Sal. Cyprianus*, Theologus Gothanus, & peritus in hac ratione, & ſeuerus iudex, cum, in epiſtola quondam ad aliquem de Collegis noſtris, *omnium elegantiarum promumcondum & arbitrum* appellauit. Erat in eo natura acerrimus elegantiae ſenſus, quo incitante etiam mature ſe & ſtudioſe contulerat ad artes eas omnes diligenter colendas, per quas & ille ſenſus

ſenſus alitur atque acuitur, & ipſa elegantia in iudicando, in delectu rerum, in dicendo ac ſcribendo, paratur. Iisdem porro diſcendis & aſſidue exercendis cum adoleuiſſet, acceſſerat, id quod eſt ad elegantiam, etiam ingenii, augendam efficaciſſimum, vſus & conſuetudo ſummorum elegantiſſimorumque hominum domi forisque, in qua etiam conſenuit, denique actio vitae, occupata in re publica gerenda, per quam prudentia acuitur, cuius felici contagione etiam illa vis ingenii, de qua dicimus, adficitur. Erat autem in omnibus, quae diceret maxime, quaeque ſcriberet, tanta cura elegantiae, vt ſibi, h. e. illi ſenſui ſuo vix ſatisfaceret, & tamen abeſſet ab adfectatione moleſta & inutili. Nam ad veram normam omnia dirigere didicerat, cuius conſeruandae nulla nimia eſſe aut noxia diligentia poteſt. Itaque & in docendo erat elegantiae aliquid propriae, quae abeſſet pariter ab eorum, quae cogitate ſcripta eſſent, ſubtilitate, & ab ſermonum temere ab inexercitatis in dicendo fuſorum negligentia & inelegantia. Quae autem diligentius ſcripſit, ea profecto exempla haberi aptae ei, quod tractat, argumento elegantiae poſſunt. Quid enim elegantius Hiſtoria Germanorum, quid Commentariis rerum Germanicarum? Et illa quidem non modo delectu rerum, & coagmentatione apta, & ſolertia veri a falſo,

Digitized by Google

certi ab incerto difcernendi, morum notandorum artificio, fententiarum aptarum ornatu probatur, fed etiam genere fcribendi fermone germanico, cuius ea eft elegantia, vt exemplo fit, quod nemo poft in eodem genere affecutus videatur: adeo abeft a vulgari talia fcribentium negligentia, & ab ceterorum mollitie & nouandi temeritate. In Commentariis autem cum eadem omnia infunt bona, a rerum delectu, & earundem tractandarum modo, tum hoc maius etiam elegantiae documentum habent, quo fuit difficilius e tali materia delectum probabilem facere, & res tam tenues rudiorum temporum aliqua gratia lectoribus commendare. Atque etiam ceteri libelli, non tam ad ingenii doctrinaeque gloriam comparandam fcripti, quam ad inftitutionis fcholafticae neceffitatem, vt Iuris publici feudalisque inftitutiones, in illa ipfa tenuitate elementari tamen aliquam habent elegantiae commendationem, quae ab ceteris ex vtroque genere libris abeft, in quibus adeo non folet effe cura aliqua elegantiae, vt etiam data opera barbariae ftribligine & fordibus referti effe videantur. Denique quicquid ille fibi tractandum & literis explicandum fumferat, cuius generis funt permulta, vel ad hiftoriam, vel ad ius publicum pertinentia, id habet proprium veluti, characterem elegantiae exquifitae, fubque eius calamo etiam

Digitized by Google

etiam tenues natura ſua & horidae res niteſcebant. Quod tantum Viri ſummi bonum hoc erat amabilius, quod & alios eiusdem elegantiae ſenſu & amore imbuere didicerat, &, quicunque ſe ad eius diſciplinam & conſuetudinem diligentius applicarant, ad ſuum exemplum conformabat. Nec vero hoc vnum bonum erat, propter quod eum admirabamur, in oculisque ferebamus, ſed id multis aliis non minus praeclaris cumulabatur. Quae vt recognoſcere lectores, & cognoſcere poſteri poſſint, totius Viri atque vitae eius quandam veluti imaginem advmbrare conabimur.

Patriam habuit Gedanum vrbem, parentes autem, *Ioannem*, illius vrbis ciuem honeſtum inprimis, Archipresbyteri filium e Marca Noua Brandeburgica, vnde puer admodum, fugiens belli tricennalis calamitates, Gedanum ſe contulerat; matrem *Cordulam*, *Philippi Hartmi*, mercatoris Gedanenſis, & *Eliſabethae Schumacheriae*, filiam: e quibus a. 1689. a. d. 26. Nou. natus eſt. Puer initia literarum didicit in ſchola patriae Mariana, ita ſtudioſe ac feliciter, vt vix decem annos natus in primo ſcholae ordine locum obtineret. Eodem tempore orbatus vtroque parente, venit in tutelam cognati materni, *Reinboldi Schumacheri*, qui nihil non fieri curavit, quo praeclara pueri indoles prouehi poſſet.

Digitized by Google

Itaque eum annis tribus post deduxit ad Gymnasium illius Vrbis, vt ad exquisitiorem humanitatis scientiam & altiores disciplinas adduceretur ab iis, qui in eo literas ac doctrinas tradebant. Ibi maxime humanioribus literis operam dedit, vsusque est assidue exercitationibus oratoriis & poëticis sub magistris praeclaris, *Bebrio* & *Sartorio*. Nec tamen neglexit ceteras disciplinas. Nam & audiuit *Groddecium* & *Glosmeierum*, qui philosophiam tradebant, *Willenbergii* lectiones historicas & iuridicas & *Schelnigii* Theologicas. Attigit etiam Mathematicas disciplinas, quas *Sahmius* profitebatur. Et cum destinasset studia sua Theologiae, assidue audiebat orientalium literarum Professores, *Gradium* & *Reussium*.

In his studiis atque exercitationibus cum sex annos ita consumsisset, vt omnibus & industriam & profectum vehementer probaret, bene maturum videbatur Lipsiam ire, vrgente etiam periculo, quod saeuiens in patria pestilentis morbi vis minabatur. Et vix euasit. Nam eo res venerat, vt nemini post eum potestas exeundi fieret. Ita, comitantibus duobus popularibus, in his *Nathanaële Gotfrido Ferbero*, qui post Consularis illius Ciuitatis fuit, per Berolinum venit Lipsiam, anni 1709. die duodeuicesimo Augusti, deditque nomen Ciuitati nostrae. Hic cum studia

ſtudia literarum & philoſophiae eadem, qua in patria coeperat, induſtria tractaret, aſſidueque audiret earum profeſſores, tum vero maxime ſe contulit ad doctores Theologiae, qui tum maxime excellebant, vtebaturque etiam exercitationibus de rebus diuinis populariter dicendi, nec modo apud magiſtrum, ſed etiam inter Sodales, qui diebus Lunae in aede Paullina declamitarent. Sed cum praeclari quidam Viri, qui ingenio eius excellenti & doctrinae, aetatis illius modum ſupergreſſae, mirifice fauerent, auctores eſſent iuueni, vt ſtudium ſuum ad Iuris publici priuatique ſcientiam, inprimisque Hiſtoriam transferret; ceſſit eorum auctoritati & conſiliis, totumque ſe ad eas partes doctrinae dedit: in quibus hoc felicius ei res proceſſit, quod & omnibus ingenii & literarum praeſidiis abundabat, per quae excellenter in iis tractandis verſari licet, & iam in Gymnaſio patrio fundamenta ei rei bene iacta erant. Sed cum totum hoc eo animo feciſſet, vt in hac Academia docendo explicaret partas doctrinae copias, ad eam rem aditum ſibi munire coepit Magiſtri Philoſophiae honoribus & iuribus capeſſendis. Eos vix ceperat, cum adſcitus eſt in *Collegium Anthologicum*, quod tum a clariſſimis & doctiſſimis in hac Vrbe Viris conſtitutum erat. Agebantur ab Sodalibus conuentus ſtati, in quibus praelegerentur

 diſpu-

Digitized by Google

disputationes de exquisitioris doctrinae partibus, super quibus a ceteris sermones conferrentur: in quo genere vtroque ita partes suas egit nouus Sodalis, vt omnes doctrinae & iudicii elegantia delectarentur. Vix annus intercesserat, cum comes adiunctus est adolescenti nobili e Buchwaldis, iter per Germaniam & Belgium facturo: vnde redux factus, mox Rector iuuentutis datus est duobus Comitibus Wazdorfiis, quibuscum Franciam, Britanniam & Italiam peragrauit. In vtroque itinere non modo doctrinam mirifice auxit atque expoliuit, visendis & scrutandis Bibliothecis, adeundisque viris quoque in loco eruditione claris, e quorum sermonibus proficeret, sed etiam cum multis praeclaris viris, qui ingenium eius doctrinamque vsu perspexerant, amicitias contraxit. Ex hoc quoque itinere feliciter in hanc Vrbem reuersus, a. 1714. cooptatus est in Collegium Principale minus, idque primum habuit publice doctrinae praemium. Sed mox plura & maiora secuta sunt. Nam cum anno quarto post Doctor Iuris creatus esset in vicina Halensi Academia, data ei est in hac nostra Professio Iuris extra ordinem docendi: quam vix adierat, cum cooptatus est in Ordinem Amplissimum Vrbis nostrae, in quo primum a. 1734. ad Praeturam, deinde a. 1742. ad secundum a Consulatu locum, Pro-Consulatum vocant, adscendit;

Digitized by Google

scendit; eratque ad Consulatum ipsum venturus, nisi valetudo obstaret.

Inter haec multi alii honores procurationesque variae rerum publicarum ad eum ornandum confluxere. Nam primum a Principe (a. 1722.) inter Assessores Consistorii, post etiam (a. 1729.) Curiae superioris relatus, denique (a. 1732.) Consiliarii Aulici ornamentis auctus est. Canonicorum Cizensium Collegium (a. 1739.) eum in numerum suum recepit, cui ad extremum etiam, ab a. 1748. Decani loco magna cum dignitate praefuit. Ordo autem Amplissimus ei curam Bibliothecae publicae (a. 1735.) & (a. 1748.) aedis Petrinae mandauit. Atque etiam, quoties legebantur, qui ad Conuentus Ordinum Saxonicorum publice mitterentur, eius ratio haberi solebat. Itaque iis septies cum primariis Ordinis Amplissimi Viris interfuit.

In his omnibus curis, ad quas etiam Lectionum habendarum labor assiduus accesserat, magnum leuamentum habuit a coniugio, quod a. 1720. cum Virgine ornatissima, *Sophia Elisabetha*, *Ioannis Wendelini Voelkeri*, mercatoris primarii, & Ducis Gothani Procuratoris, filia, optimis ominibus initum, ad finem vsque vitae durauit. Nam etsi prole caruit, tamen cetera, per quae felicitas coniugii venit, ei constitere. Quo etiam maiorem dolorem cepit Matrona

optima, & e morbo talis mariti diuturno, & e morte. Nec diu superstes fuit. Nam vndecim mensibus post, eum est consecuta, editis omnibus documentis, per quae pietas in defunctos patefieri potest.

Sed sustentabatur etiam in illis laboribus a naturali corporis robore, quod temperantia, tranquillitate animi, atque ipsa adeo ingenii agitatione assidua, & contentione corporis conseruabatur. Itaque ad annum vsque aetatis quintum & sexagesimum commode valuit, nullo grauiori morbo afflictus. Sed illo ipso anno primum (a. 1755.) tentatus est apoplexia: cuius vis etsi ita repressa est medicorum cura, vt vix leuia eius vestigia relinquerentur, tamen rediit ita annis duobus post, vt totum sinistrum latus resolveretur, nec vllis remediis firmari posset. Salva tamen vtcunque erat animi vis, & sublucebat interdum aliquid bonae spei: quae tota abrupta est die 21. Maii superioris anni, cum repetitus ictus repente vitam ademit, per annos vnum & septuaginta cum dimidio amplius, in hac quidem Vrbe supra quinquaginta ita actam, vt summa laude & verissima gloria cumulatus ab hac vita discesserit.

Etenim, si omnem temporum, per quae literarum in hac Vrbe sedes fuit, memoriam peragremus, qui maiori & latius propagata fama nominis

Digitized by Google

nominis doctrinaeque floruerit, neminem, qui pari, perpaucos reperiemus. Quantopere, & a quibus scholae eius frequentatae sint, etiam fama apud exteros celebrauit, & nos, qui testes illius celebritatis spectatoresque fuimus, etiam meminisse iuuat. Nec e Germania nostra modo, qua patet, vniuersa nobilitatis flos apud eum historias & iura docentem visebatur, sed etiam ab remotis vsque Britannis, ab Dania, Suecia, Russia veniebant, qui eius disciplinam se expetere dicerent. Quos ille omnes ita implebat admiratione sui, vt totidem praecones ingenii sui, doctrinae, prudentiae, humanitatisque dimitteret. In qua re nihil nec malis artibus & vanitati ipsius, nec inscitiae & leuitati laudantium debebatur, sed omnia veritati tribuebantur.

Nam doctrinae veritatem, magnitudinem, & exquisitam elegantiam etiam Viri, etiam principes in eodem genere homines, etiam inuidi praedicabant: habebaturque domus eius commune quoddam Oraculum, quod de iis rebus, quarum ibi disciplina esset constituta, planissime & verissime responderet. Genus autem docendi, vt supra diximus, omni ex parte, elegantiae suauissimam, nec minus vtilem commendationem habebat. Delectus rerum erat totus ad necessitatem & vtilitatem audientium, e seuerissima bene docendi lege, comparatus. Nihil redunda-

Digitized by Google

bat, nihil desiderabatur. Inde perspicuitas vera & salutaris, quae etiam orationis pura & clara breuitate illustrabatur. Adspergebatur etiam lepos, aptus rebus & doctoris grauitati, a versibus in primis poëtarum, quorum loco ponendorum mirum artificium erat. Nec ea modo disciplina erat, quae auditorii parietibus contineretur, qua omnes communiter vterentur: sed habebat aliud genus constitutum, pariter illud quidem omnibus commune, sed quod singulis proprie tribueretur, omnibus data sui adeundi potestate, per quam copiam faceret doctrinae suae consulentibus, non modo super iis rebus, quae traditae essent omnibus, sed etiam de quibus palam pronunciare satis tutum, aut alia de caussa consentaneum non videretur. Et ne deterreret quemquam pudor alieno tempore interpellandi negotia viri & labores magis necessarios, certos dies habebat horasque a lectionibus vacuas constitutas, per quas vnicuique facultas adeundi daretur. Quae tempora ita obibantur ab permultis, vt auditorii instar conspiceretur. Ipse modo in medio omnibus loqui, modo separatim vni, a quo vel seductus esset consulendi caussa, vel quem ipse seduxisset. Et alliciebat, siue excutiebat pudorem inutilem hilaritate oris & familiaritate sermonis, & omni humanitate dictis factis expromenda. Nec excludebantur Viri & doctores,

Digitized by Google

doctores, qui ad eos coetus tanquam ad spectaculum liberalissimum veniebant, & pariter sermonum vtilium materiam suppeditabant. Itaque inde sic discedebant iuuenes, vt vel doctrina aucti essent, vel amore literarum incensi.

Sed doctrinae gloriam non modo docendo parauit, sed etiam scribendo firmauit, & cum omni posteritate adaequauit. Scripsit enim multa, quorum indicem infra subiecimus, (*i*) nec modo minores libellos, qui pro cathedra disceptarentur, de capitibus delectis liberalis doctrinae, Historiae, & Iuris, vel priuati, vel publici, sed etiam maioris & amplioris argumenti iusta volumina. In quibus principatum obtinent *Historia Germanorum*, patrio sermone scripta, & *Commentarii* latini *Imperii Romanorum Germanici*: de quorum elegantia supra diximus. Res Germanorum antiquas sedecim libris explicat, initio ducto a temporibus, quorum certa est apud idoneos auctores memoria, h. e. iis, quibus iam sedes

(*i*) CATALOGVS SCRIPTORVM.

LIBRI.

Abriss einer vollstoendigen Historie des Roemisch-Teutschen Reichs, zum Gebrauch des darüber zu haltenden Collegii, Leipzig 1722. 4. Geschichte der Teutschen bis zu Anfang der Fraenckischen Monarchie in zehn Büchern verfasset. Th. I. — 1726. 4. rec. 1750. Principia

sedes & res populorum in Germania certae traduntur. Itaque primum locum tenent res Cimbrorum & Teutonum. Finem animo destinarat Carolingicae domus interitum: sed impeditus negotiis publicis, quorum multitudo cum aetate creuerat, in Merouingicae fine substitit. Populorum omnium, quorum religiones, mores publici priuatique, Germanicam prosapiam arguunt, origines, sedes, mores, resque gestas complectitur: nec modo in patriis sedibus morantes illustrat, sed etiam peregrinantes, & nouas ciuitates, noua regna condentes, in Italiam, Galliam, Hispaniam & Africam vsque persequitur, eorumque res gestas, opes, fata lustrat. Materia operis sumta ab auctoribus idoneis, scriptoribus antiquis, numis, titulis, aliisque monumentis similibus, quorum consulendorum & recte vtendorum facultatem dabat eximia literarum scientia. Nec tamen negligit recentiorum vel bene animaduersa, vel probabiliter coniecta. Sed in

cipia Iuris Publici Imperii Romano-Germanici ex ipsis legibus, actisque publicis eruta, & ad vsum accommodata — 1729. quintum rec. 1759. 8. Geschichte der Teutschen bis zu Abgang der Merouingischen Koenige, in sechs Büchern fortgesezt. Th. II. 1737. Commentarii de rebus Imperii Romano-Germanici a Conrado I. vsque ad obitum Henrici III. — 1741. 4. recogniti — 1757. 4. Einleitung zu den Geschichten des Roemisch-Teutschen

in omnibus vtitur iudicio suo, nihil tam laborans, quam vt fides traditis constet, sitque titulo dignum opus, h. e. historiam complectatur, veritate potius simplici vtilem, quam fabulis ingeniose excogitatis, quo nimis inclinauere ingenia, decoram & suauem. Nec minus perspicuitati consultum est, ordine rerum ac temporum apte nectendo, curioseque seruando, locis diligenter, etiam ad praesentem rationem, apte designando, rebus ipsis distincte narrandis, genere denique loquendi. Sed in talibus rebus perspicuitas nulla potest esse tanta, quin desideret lectorem, qui capere & sentire eius vim possit, h. e. qui sit plenus literis, sine quarum egregia scientia nullum est iudicium verae perspicuitatis. Nam vt imperiti literarum & artium bene intelligendi, & vero etiam dicendi, intelligere sibi videntur, quae obscurissima sunt peritissimo cuique; ita in iis, quae his planissima sunt, impediuntur illi, & in ipsa luce nihil vident.

Teutschen Reichs, bis zum Absterben Kayser Carl des Sechsten — 1747. 4. vermehrt 1752. 4. Commentarii de rebus Imperii Romano-Germanici sub Henrico IV. & V. — 1748. 4. Commentarii de rebus Imperii Romano-Germanici sub Lothario II. & Conrado III. Libri V. ab anno 1125. ad annum 1152. — 1753. 4. De Iure Feudorum in Imperio Romano-Germanico liber. — 1753. 8. recus. auctior 1754. 8.

EXERCI-

vident. Atque etiam, quae subtiliorem tractationem desiderare videbantur, separatim, ne series rerum disputationibus longioribus impediretur, ad calcem operis diligentius & eruditius illustrantur. Pulcritudo operis est talis, qualem tenuis plerumque materia capit, magis ab habitu operis vniuersi, quam singularum partium exornationibus. Et tamen, vbi facultas dabatur, mores illustrium hominum locique exquisita venustate descripti sunt, & sententiae adspersae.

Commentariorum tria volumina res Imperii nostri persequuntur. Consilium fuit, totum illum temporum & rerum tractum, qui ab initiis Imperii, quod proprie Germanicum dicitur, & Conrado primo ad Sigismundi Caesaris exitum pertinet, aliquot voluminibus complecti, vt, quemadmodum veterrimas res Germanorum vernaculis, sic mediae aetatis latinis literis illustratas relinqueret. Sed dum propter auctos labores publicos, obrepentemque paullatim aetatis infir-

EXERCITATIONES ACADEMICAE.

Exercitatio in Quinti Horatii Flacci Satyras. — 1714. 4. Exercitatio secunda in Quinti Horatii Flacci Satyras — 1716. 4. Differt. Inaug. de Originibus officiorum aulicorum Sacri Romani Imperii Halae 1718. 4. Differt. de Expectatiuis in Feuda Imperii. Lipf. 1719. 4. Progr. de legibus, quibus aut constitutum fuit Collegium Augurum,

infirmitadem tardius procederet, vltra Conradi tertii res progredi non potuit. Quod dolendum videtur hoc magis, quod haud scimus, an ex iis quidem, qui nunc sunt istius historiae satis periti, ea sit quisquam elegantia vel in iudicando, vel in scribendo, vt vel Germanicae illius, vel huius Latinae Veneris inchoatum corpus speret se posse absoluere. Incredibile dictu est, quanta diligentia & lecta sint e stercore scriptorum & monumentis antiquis, quamque apte inter se nexa, quae ad Imperii statum conuersionesque varias pertinerent, semotis omnibus, quae ab hoc consilio aliena essent. Tum genus orationis est illud quidem

gurum, aut sancita solutaue Auspiciorum religio — 4. Oratio de Ortu & progressu Iuris Publici. — 1719. 4. Differt. de Nexu regni Burgundici cum Imperio Romano-Germanico — 1720. 4. Diff. de Iure auspicii apud Romanos — 1721. 4. Differt. de Bello solemni Imperii ad illustrationem Articuli quarti Capitulationis Carolinae. — 1721. 4. Differt. de Iure Imperii in Magnum Ducatum Etruriae. — 1721. 4. Differt. de Iure circa rem monetariam in terris circuli Saxoniae superioris, proesertim Saxoniae Electoralis. Differt. de Regali Imperialique Augustorum Germaniae, Augustarumque coronatione. — 1723. 4. Diff. de Iure foederum in Sacro Romano Imperio — 1726. 4. Diff. de nexu Regni Lotharingioe cum Imperio Romano-Germanico. — 1728. 4. Diff. de Primatibus, metropolitanis, & reliquis Episcopis Ecclesiae Germania. — 1729. 4. Diff. de

quidem aptissimum Commentariorum tenuitati & simplicitati, ceterum, vt abest ab siccitate ac ieiunitate, ita cum rebus ipsis subinde etiam se sententiis & verbis attollit supra humilitatem Annalium, habetque etiam aliquid concinnitatis aptae rebus. Omnino auctorem arguit lectione Caesaris, Liuii, Sallustii & Taciti bene tritum, ceterum nullius imitationi proprie addictum, nisi quod magis ad Taciti rationem inclinat; quam tamen molliri intelligas ceterorum lectione. Latinitas ipsa est, sine scholastica affectatione, pura, elegans,

de his, qui sibi adscribunt in Testamento ad explicationem Senatus consulti Liboniani & Edicti Diui Claudii — 1731. 4. Diss. Origines Iuris Publici Imperii Romano-Germanici illustratae ex rebus Imperatorum Saxonicorum. — 1732. 4. Diss. de legitima electione & coronatione potentissimi Poloniarum Regis Augusti III. — 1734. Diss. de Foederibus Commerciorum. — 1735. Diss. de Iure stapulae & nundinarum Ciuitatis Lipsiae. — 1738. Diss. de Paribus Curiae. — 1740.

VARIA.

Examen de la liberte de Florence, sine nomine Auctoris. 1722. 4. Reponse d'un Amy Prussien à un Amy Hollandois au suiet de l'election prochaine d' vn Roi de Pologne, à la Haye, (Lipsiae) sine nomine Auctoris 1733. Epistola ad amicum, qua expenditur, quod Generalis Campi Mareschallus exercitus russici Marchionem Monti detineri iussit, sine nomine Auctoris.

elegans, nec minus leniter labens. Habebat enim acerrimum iudicium aurium: sentiebatque celeriter, si quid hiaret, aut asperum, aut parum absolute dictum esset. Et adhibebat in consilium peritos linguae, quibus sua legenda traderet, vt ipsorum iudicia cognosceret, nihilque libentius audiebat, quam si quis quid afferret, quod elegantius & aptius esset. Quod fecit inprimis, cum opus illud retractaret, secundae editionis caussa. Itaque eam etiam castigatiorem verbis intelligentes cognouerint. Nobis etiam modestia illa, plane antiquae elegantiae, mirifice placet, quod interdum iacit ac paene abiicit sententias, quarum viscum aliorum vanitas non effugerit, & attingit modo, quae iustae disputationis & ostentandae eruditionis materiam largam aliis praeberent. Quaedam tamen voluit in fine operis latius & exquisitius disserere: quae etiam scripta reliquit, suoque tempore in lucem proferentur.

Haec tanta tamque elegans doctrina fecit, vt saepe luculentis conditionibus inuitaretur ad mutandam fortunarum sedem. Sed Lipsiam nostram relinquere non sustinebat, praesertim quam aduersus se minime ingratam haberet. Nec minus colebatur ab omnibus, qui vspiam essent, eruditissimis viris, quique literas exquisite callerent. Nemo nostra aetate clarior paullo vir me-

morari poteſt, cuius non epiſtolae ad eum ſcriptae in ſcriniis eius repertae ſint, quae plane docerent, quantum eius doctrinae aliisque virtutibus tribuerint. Ipſe viciſſim impenſe fauebat ingeniis, praeſertim iis, quae elegantiori doctrinae capiendae apta, vel ſtudioſa humanitatis eſſent, eaque omni ratione incitabat, iuuabat etiam conſiliis & liberalitate ſua. Vix numerum ineas eorum, quos ſuffragatione ſua ad fortunam luculentam prouexit. Et erat eius tanta & apud nos & apud exteros auctoritas, adeoque ſaepe eius iudicium de dignitatibus hominum requirebatur, vt ei facultas talis liberalitatis deeſſe non poſſet. Qua re quantum etiam literis & reipublicae profuerit, facile eſt exiſtimare.

Sed rei Ciuitatis noſtrae publicae etiam conſulendo & agendo plurimum profuit. Nam & munera, quae ei publice mandata erant, dextre fideliterque adminiſtrauit, & quacunque in re potuit, rem Eccleſiaſticam Scholaſticamque, & reliquam ciuitatis vniuerſae, adiuuit, vt difficile ſit decernere, vtrum ornauerit magis gloria nominis ſui Ordinem Ampliſſimum, an profuerit ei prudentia conſiliorum & ſalubritate actionum. Quibus in rebus ille maxime regebatur & incendebatur amore huius ciuitatis, quae & ipſa per ſe ei videretur, vti eſt, amore digna, & ſe tam benignam ei praebuiſſet. Quamquam ille vniuerſam patriam no-

ſtram veriſſime amabat, eiusque & ſecundis rebus gaudebat, & aduerſis grauiter dolebat: nec aliud maius, aut omnino malum ſuum commemorabat extremo vitae tempore, quam quod eam tot ac tantis miſeriis publicis oppreſſam & prope perditam videret.

Sed huius tanti doloris remedium verum finemque ei mors opportune attulit, quae nihil aliud, niſi diſceſſum a conſpectu ac ſenſu maximorum malorum habuit, quem Viro tam bene de nobis merito ſerio gratulamur; praeſertim, qui ad hoc iter paratus fuerit ab animo, pleno fidei in Ieſum Chriſtum, ſalutis noſtrae auctorem, & pietatis verae, quae ſe factis publice priuatimque vtilibus edendis profert.

Huius talis ac tanti Viri, tam praeclare de communibus literis, de Vtraque Ciuitate noſtra meriti, memoriam, aequitas & grati animi officium poſtulat, vt Vos, *Cariſſimi Ciues*, non modo laudibus celebretis, ſed etiam imitatione amoris ſtudiique in bonas literas, omniumque virtutum, & veſtigiis eius in tractanda liberali doctrina perſequendis, colatis. Id ergo officium vt ei bona fide perſoluatis, ſerio Vos hortamur. P. P. Domin. XXII. p. F. Tr. a. C. cIↄ Iↄ cc LXII.



ANECDOTA

DE

LVDOVICO CASTELVETRO,

EIVSQVE

SCRIPTIS,

inprimis rarissima Locorum Melanchthonis in Linguam Italicam ab ipso translatorum editione. (*k*)

AVCTORE

IOAN. FRID. LE BRET,

A. M. Eccles. Stuttg. Vic. Societ. Florent. & Roboret. Sod.



Ex quo Germania reformatorem nobis peperit eximium, cui nec solertia nec animus defuit, contra publicos abusus testandi: eius fama

(*k*) Exstant haec anecdota in Clariss. Dni Auctoris ad Virum Amplissimum IOAN. PAVL. REINHARD, Antiquit. Poes. & Eloq. Prof. P. O. Erlangensem, Epistola, quae

fama ita in Italia increbuit, vt multi veritati inquirendae magis insisterent. (*l*)

Inter eos vero, qui veritatem euangelicam protexerunt, agmen ducit *Renata*, *Herculis II.* Ferrariae Ducis, vxor, & *Ludouici XII.* Galliarum regis, filia minor. Honoratur haecce matrona a *Fontanino* in eloquentia italica titulo *pestilentissimae haereticae, sectariorumque fautricis.* Confluxerant ad eam multi, maxime e Gallicis reformatoribus, & *Clemens Marot* inter alios aliquandiu apud eam erat moratus. Constantiam ac molestias huius matronae quis nescit? Maritus eius, dux *Hercules II.* omnibus modis in exstir-

quae Abiurationem PETRI IANNONII exponit. Primus versionis locorum Melanchthonis admodum rarae mentionem iniecit Cel. BRVKER Minister. Euang. A. Vind. Summe Rev. iam Senior, in Miscell. Lipf. T. I. p. 628. sqq. De auctore vero nihil, nec post eum quisquam, certi quid pronunciauit. Lectoribus igitur non iniucundum erit, Virum penitius nosse, cuius opera editio locorum Melanchthonis in Italorum linguam translatorum, ab initio trita, & cum voluptate lecta, post publico nomine combusta & suppressa, hodie rarissima primam lucem viderit. Neque enim dubitamus, quin argumenta Cl. auct. quaestioni enodandae satisfaciant, quapropter ea, prout in cit. Epistola leguntur, recudenda curauimus. C.

(*l*) Risum mihi mouent, qui temere, & ex innato partium studio, tam acriter in LVTHERVM inuehuntur, quod matris suae deformitates tam aperte detexerit, cum &

Digitized by Google

exstirpanda hac haeresi atque penitus euellenda ex coniugis mente allaborabat; quin & filiorum educatione eam priuabat. Accessit studium *Henrici II.* Galliarum regis, qui precibus vim addidit, & celebrem tunc temporis inquisitorem in Gallia, *Matthaeum Orizium*, Ferrariam misit, *vt* omne haereseos venenum tolleret. Quid tum Ferrariae sit actum, patet ex *Olympiae Moratae* epistolis, quae L. II. p. 143. ita scribit: *Ex literis, quas proxime ex Italia accepi, Ferrariae crudeliter in christianos animaduerti intellexi, nec summis nec infimis parci. Alios vinciri, alios pelli, alios fuga sibi consulere.* Mox videbis, cur motus hosce Ferrarienses praemiserim.

Apud Mutinenses societatem condiderant litterariam nonnulli ibi degentes eruditi, vbi de graecis latinisque litteris & de sana critica disputabatur. In hac academia (ita enim itali societates

& ipsi Itali naeuos indicare matris non erubuerint. Legesis praeclarissimum poëtam, LVD. ALAMANNVM in *Opere Toscane*, editionis gryphianae Lugdunensis de A. 1532. sat. XII. vbi ita Romam inter alia alloquitur:

Oh chi vedesse il ver, veddrebe come
Più disnor tu, che 'l tuo Luther Martino
Porti à te stessa e più grauose somme.
Non la Germania, nò, mà l'ocio, il vino
Auaritia, ambition, lussuria e gola
Ti mena al fin, che già veggiam vicino.

Digitized by Google

cietates appellant) anima quasi erat *Ludouicus Casteluetrius*, cuius acre ingenium arti criticae erat aptissimum. In hac academia num de religione quoque sit tractatum, *Muratorius* quidem in vita *Casteluetrii*, quae operibus eius criticis ineditis, Lugduni (aut Mediolani potius) impressis, praemittitur, silet; fatetur tamen (p. 17.) acuto nimis palato abundasse socios huius academiae, quam, vt album pro nigro, nubem pro Iunone, abusus pro vero dogmate arripuissent. *Franciscus Portus*, graecae linguae lector, cum aliis tam attente verba praedicatorum obseruabat & aucupabatur, vt ob hanc venationem multum academiae nasceretur suspicionis. A. 1541. Socius academiae, *Iohannes Politianus*, Romam vocatus fuit, vt de religione redderet rationem; qui vero ita feliciter laqueis hisce se expediuit, vt intactus dimitteretur.

A. 1542. vehementior exoriebatur procella, & Romana curia *Herculem II.* atque episcopum Mutinensem, excitauit, vt contra haereticos procederent. De qua patriae fama & *Moronius* purpuratus, episcopus postea Mutinensis, aliique multum laborarunt; quin & ipse purpuratus *Sadoletus* rei manum admouit, &, vt mens Pontificis Romani pacaretur, assidue laborauit. Descenderunt autem in id consilii, quod saeculo superiori gallicanae ecclesiae ab *Alexandro VII.*

Digitized by Google

ob Ianſeniſmum fuit propoſitum; ſcilicet, Roma mittebatur Mutinam quoddam formulare, 40. articulis conſiſtens (praefationem fecit *Sadoletus*) quod a conſeruatoribus, quos vocant, & populo, & ab omnibus litteratis, noſtro etiam *Casteluetrio*, fuit ſubſcriptum. Formulare hoc *Muratorius* vidit in tabulario Mutinenſi, nec vero publici iuris fecit; id quod tamen hac in re multam lucem dediſſet. (l. c. p. 20.)

Rebus ita quaſi per triennium pacatis, Ao. 1545. denuo recruduit vulnus, & academia, quae externis aduerſariorum armis ſubigi haud poterat, interna tandem diſcordia fuit fracta. Inter academicos hosce etiam fuit quidam *Peregrinus Erreus*, *Pellegrino Degli Erri* Italice dictus, qui Dauidicum pſalterium in Tuſcam linguam transtulit. Neſcio quid bilem ei mouerit, vt contra fratres ſuos inferueſceret. Scio quidem, *Muratorium* rem a ioco & ſale nimis acri, vel dictione nimis ſatyrica, repetere, quae contra hunc *Peregrinum* ab academico quodam fuerat prolata; at quis credat, rem tam exilem, niſi alii acceſſerint fomites, tantum accendere potuiſſe ignem? Quicquid ſit, *Peregrinus* ipſe a Romano tribunali commiſſarius apoſtolicus deputatus, noctu Mutinae *Valentini* cuiusdam academici aedes effingit; qui vero, minas & infortunium ſubodoratus, fuga ſibi conſulit. Quicquid ibi librorum

Digitized by Google

brorum exſtabat, id omne Romam deportabatur. Neque hiſce adhuc dum inuolutus litigiis *Caſteluetrius*, ad annum vsque 1553. patriae quietus inſeruiit.

Tum vero enatae ſunt lites grauiſſimae inter *Hannibalem Carum*, noſtrumque *Caſteluetrium*, quarum & principia & phaenomena notatu ſunt digniſſima. Scripſerat *Carus* in laudem Farneſianae familiae, ex qua oriundus erat *Paulus III.* poëma, cuius initium eſt: *Venite all' ombra de' gran gigli d'oro*, a Romanis poëtis aequali & vniuerſali applauſu exceptum. Amicus quidam *Caſteluetrii*, nomine *Bellicinus*, poëma *Caſteluetrio* mittendum cenſuit, vt, quid ſummus hic criticus de illo iudicaret, ſciſcitaretur. Iudicium *Caro* non ita honorificum, (*m*) auctori vero fuit funeſtiſſimum. Scilicet *Manet alta mente repoſtum iudicium Paridis, ſpretaeque iniuria formae.* Animis hinc inde exacerbatis, arma vtrimque fuerunt mota; ſaeuo, nec iniquo Marte pugnatum; multis variisque machinis teſtudinibusque oppugnatus *Caſteluetrius*, qui contra omnes hosce fluctus immotus ſtetit. Ingens eſt ſcriptorum farrago, ſiue pro hoc, ſiue pro illo exaratorum. Sopiendae controuerſiae & purpurati, & matronae, & princeps *Alphonſus*, *Herculis II.* filius, manum,

(*m*) De hoc Iudicio plura lectu admodum digna habet FREYTAG in analectis de libris rarioribus p. 218. ſqq. C.

Digitized by Google

manum, sed frustra, admouerunt, ob summam, qua *Carus* laborabat, ambitionem, quippe qui fauore, immo familiaritate purpurati *Farnesii* elatus & inflatus erat. Vltimum tandem, eumque periculosissimum mouebat lapidem, inimicum ad inquisitionis tribunal ciendo; immo ipse *Casteluetrii* frater *Paulus*, qui, ob bona patrimonii dilapidata saepius a fratre admonitus, odio fratris ad *Cari* castra transierat, eius ad tremendum illud tribunal erat accusator. *Ludouicus Casteluetrius*, hisce succumbens armis, nunc hic, nunc illic latuit, & sic mortem *Pauli IV Caraffae* expectauit, quem excepit *Pius IV.* Episcopus Mutinensis *Foscherarius*, qui & concilio Tridentino interfuit, autor erat *Ludouico*, vt Romam purgatum se iret, quod sub fide salvi conductus Ao. 1560. vna cum fratre *Ioanne Maria*, fecit, fretus promissione, non nisi obsequium, rectaeque fidei testimonium, a se iri postulatum. At aliter res euenit. Subito conventus S. Mariae in Via ei pro carcere datus; ipse ab inquisitoribus examinatus, constans & immotus stetit. Tandem post blandas voces minae consuetae sunt additae. Et hic stetit immotus & imperterritus. Sed quis non exhorrescat? Purpuratus *Ghislerius*, post *Pius V.* papa, vir ad seueritatem pronissimus, nec ipso negante *Muratorio*, vltima supplicia vehementissimos-

ſimosque cruciatus comminatus, ita *Caſteluetrium* perterruit, vt fugam quaereret. Feliciter, pleno die, ex conuentu exiere fratres, Romaque in Longobardiam aufugere, vias ſecuti occultas, & infrequentes. Vbi patebat aſylum miſeris hisce profugis? Ferrariae certe, vbi *Renata* illis praeſidio fuit. Terribilia emanant decreta contra vtrumque; citatur vterque; non comparet. Hinc maioris infortunii, & perpetui quaſi exilii labyrinthus! Tranſiit tandem ad Rhaetos, & Claraeuenae (*Chiauenna*) aliquamdiu ſubſtitit. A Gallis iterum iterumque admonitus, noluit in Galliam ſecedere. Cum patribus concilii Tridentini tractauit, vt culpa ſe eximere, innocentiamque demonſtrare, ſibi concederetur. Papa vero purpurato *Mantuano* reſpondit, quod, cauſa Romae inducta, penes concilium non ſit eius abſolutio; blanda inſuper verba, pollicitationesque, haud inuſitatas addens. Sirenico cantui vero diffidens noſter, re in longum protracta, concilii ſpe fuit deluſus. Et ſic ad Gallos Lugdunum abiit, vbi celebrem ſuam ſcripſit poëticam. Incendium Lugdunenſe omnibus eum ſcriptis priuauit; poëticam vero continuo clamore, *Saluate mi la poëtica!* ſeruauit. Inde ad Geneuenſes ſeceſſit, iterumque Clarauenam rediit. Animi magnitudine tum claruit *Maximilianus II.* imperator, cuius religio diu fuit dubia, num catholica

Digitized by Google

catholica sit, an vero ad protestantes accedat. Asylum aliquamdiu in eius terris inuenit; sed, ingruente peste, iterum ad Rhaetos se contulit, vbi & tandem A. 1571. post decennalem peregrinationem, obiit. (*n*)

Haec series fatorum *Casteluetrii*, quam si ex *Muratorio* depromas, non nisi mille excusationes inueneris; siquidem omni conatu negat, ad nostra hunc transiisse sacra. Laudo, quae *Muratorius* historice affert; sed maiorem candorem iure desidero. Vbi enim causam affert, cur *Casteluetrius* apud tribunal inquisitionis sit accusa-

(*n*) Ecce eius Epitaphium:

D. O. M.
MEMORIAE LVDOVICI CASTELVETRII
MVTINENSIS,
VIRI SCIENTIAE, MORVM AC VITAE
INCOMPARABILIS, QVI DVM PATRIAM OB
IMPROBORVM HOMINVM
SAEVITIAM FVGIT, POST DECENNALEM
PEREGRINATIONEM
TANDEM IN LIBERO SOLO LIBER MORIENS
LIBER QVIESCIT ANNO AETATIS
SVAE LXVI.
SALVTIS VERO NOSTRAE MDLXXI. DIE XXI. FEBR.
F. F. M. P.

PALLAVICINVS quidem in historia concilii Tridentini T. II. L. XV. c. V. in fine de operibus CASTELVETRII bene iudicare videtur: *aurebero*, ait, *meritato al loro Autore più onorato e prospero fine.* De iis, quae cardinalis GONZAGA MANTVANVS, concilii Tridentini praeses,

accuſatus? Cur de iis, quibuscum conuerſatus Lugduni, tacet? Cur argumenta interna, ex ipſius poëtica repetenda, ſicco pede tranſit? Scilicet plura ſciebat *Muratorius*; at ne rem totam panderet, obſtitit non vna cauſa. Aut enim panegyricum eius texere non poterat, aut, ſi vellet, ſuſpicioni ſe ipſum exponebat. Id vero eſt, quod aegre fero. Viri ſunt inter Romano-catholicos eximii, qui veritatem liberi ſunt profeſſi. At teſtimonia veritatis aut abſconduntur, aut

praeſes, cum eo tractauit, ita habet: *ben gli facea promettere qualunque più amoreuole trattazione, ſicche ſe l' aueſſe cognoſciuto innocente, non pur l' aurebbe aſſoluto, mà graziato, ſe anche ſi foſſe trouato, eſſer lui caduto in qualche errore, ſarebbe ſi contentato d'una ritrattazione ſegreta.* Verum eſt, PALLAVICINVM locos communes MELANCHTHONIS, a CASTELVETRIO in Italicum ſermonem translatos, non nominare, ne habeant praelati Romani, cuius pudeat, licet res in ſe pudenda non ſit, locos MELANCHTHONIS in Italia multum lectos & adprobatos in principio fuiſſe. Librum vero eius eſſe, oſtendit a ſtyli charactere inimitabili, *con quel ſuo carattere di ſtile, che non può eſſer contrafatto.* FONTANINVS vero locos hosce ipſos nominat. Tractatum ſuum de Miſſa diu ante Poëticen ſcripſerat. Fuga eius Romana ſuſpicionem eius apud inquiſitores auxit potius, quam minuit, quam ſuſpicionem nunquam ceſſare, ipſae res, in concilio Tridentino cum eo actae, docent. Ceſſante enim illa, rediiſſet. Sed maluit *in libero ſolo liber mori & liber quieſcere.*

Digitized by Google

aut ex impuro fonte dilucidantur. Quis maior *Sarpio*? Quis eo ſincerior? Quis ad rem proteſtantium magis accedebat? Si quid vero eſt, quod eius mentem prodat, id ſupprimitur, vt in vita *Sarpii* a me edita, in appendice non obſcure notaui, & iam quoque, pluribus firmatus argumentis, confirmo.

Dicam ego aperte, quod res eſt. Tribunal inquiſitionis neminem excruciat in Italia, niſi in quo aperta ſit haereſeos macula. Id & de *Caſteluetrio* ſtatuo. Detectum quippe fuit, traduxiſſe ipſum locos theologicos praeclari noſtri *Melanchthonis*, quos ſub ficto nomine *Hippophili de Terranigra* Venetiis imprimendos curauit, & ſic per totam Italiam ſparſit, vbi auide ſunt lecti. Verus titulus verſionis Italicae eſt; *I. Principii della Theologia de Ippofilo di Terra negra. Con gratia & Priuilegio. in 8.* De qua inter omnes rariſſima editione videſis, quae habent ſumme vener. *Schelhornius* in *amoenitatibus*, & *Vogtius* p. 452. *catalogi librorum rariorum.* (o) Cum voluptate lecti ſunt hi loci theologici, donec tandem quidam e S. Franciſci familia detexerit, auctorem eſſe noſtrum *Melanchthonem*, & ſic a carnifice publice ſunt combuſti

(o) Inprimis vero & ante omnes Cel. IAC. BRVKER in nov. Miſcell. Lipſiens. T. I. p. 628. ſqq. hic memorandus eſt. C.

busti. (*p*) Iam quis versionem dedit? *Casteluetrius* noster. Cito *Scaligerum* in *Scaligeranis* p. 342. *Pallauicinum* in *historia concil. Tridentin.* L. XV. c. X. in fine, qui ipsa acta depositionum *Casteluetrii* affert. Conf. insuper *Fontanini* in *eloq. Ital.* edit. *Apostoli Zeni*, Venetiis apud *Pasqualium*, 1753. T. I. p. 18. Hac de re altum silet *Muratorius*, nec minimam causam affert, cur in inquisitionis tribunal noster sit delatus. Sic &, apud quem delituerit

(*p*) Praeterea liber eius primarius erat: *Poëtica d'Aristotele vulgarizzata & sposta per* LODOVICO CASTELVETRO. ΚΕΚΡΙΚΑ. *Stampata in Vienna d'Austria, per* GASPAR STAINHOFER, *l'anno del Signore* MDLXX. 4. pp. 385. De stupenda raritate huius libri certus esse potes ex bibl. CLEMENT. T. II. p. 102. Extat hic liber in bibliotheca CAPPONIANA Romae, & SMITIANA Venetiis. Cl. AMADEVS SCHWEIER eius exemplar habet, quod mihi beneuole, quo vtar, porrexit; editionem vero Basileensem, non minus raram, vidi in bibliotheca seminarii episcopalis patauini. Si 6. & 8. Zechinos solueris, vix ea potieris. Huncce libellum sedulo legi, non nisi religionis studio. Dictio enim ipsa aliquantum est obscura, variis inde censuris exposita, de quibus non loquor. A multis olim fuit laudatus CASTELVETRIVS ob eximium huncce librum, si rem ipsam consideraueris; nec quid est, quod poetae nostrates, quod eloquentiae doctores desiderant, quod non in hacce Poëtica inueneris. Eodem tempore contigit mihi vti rarissimo *indice* BRASICHELLENSI, vtriusque tum Romanae tum Bergomatis editionis, de cuius raritate hinc inde multa inuene-

Digitized by Google

delituerit *Caſteluetrius*, nil affert. Ferrariae vbi ei patere potuiſſet praeſidium, niſi ſub *Renatae* vmbra? Inter proteſtantes multum fuit verſatus. Lugduni cum Hugonotis rem fecit communem. Id quidem negari nequit; miror vero, a *Muratorio*, ſub panegyrici ſpecie, omnia haec tranſiri. Cur nihil de typographo, quo vſus eſt *Caſteluetrius*, *Gadaldino*? cuius domum haereſi infectam fuiſſe dicit *Fontaninus*. Nec Romanis ſcriptoribus hac in re omnis deneganda eſt fides, qui acta ipſa inſpiciunt, adeoque quid naeui in ſingulis fuerit detectum,

inueneris. Vtrumque habet laudatus Cl. SCHWEIER. Ego ex illo ſtatim contuli, quid in CASTELVETRII opere delendum, ſiue expurgandum ſtatuat. De cauſa raritatis dicti indicis ego quidem a CLEMENTE, aliisque diſſentio. Scio, praxin tribunalis eſſe, libros quidem ſibi non probatos notare, improbandi tamen rationes nonnullas reddere, quod & in IANNONII opere accidit. At in expurgando CASTELVETRII opere nullam vnquam rationem affert Fr. MARIA de GVANZELLIS, Polymniacenſis epiſcopus, BRASICHELLANVS dictus. Expungit iſte ex praefatione ad MAXIMILIANVM II. ſequentia verba: *eſſendo noi ſopraprefi da fiero e ſortunoſo temporale ci abbia preſtato luogo ſotto l'ombra della gratioſa e potente protetione ſua da poteruici ritrarre e riparare quaſi in tranquillo e ſicuro porto in fino à tanto, che ſopraunenga tempo migliore.* Sed quid mali? Anne igitur imperatori de protectione conceſſa gratias haud agere debebat? Anne omnis perſecutionum CASTELVETRII memoria debebat perire?

Digitized by Google

tectum, nobis pandunt. Cur nihil de ſatyricis eius apophthegmatibus hinc inde ſparſis? Cur verbum ſilet, quod *Mutius* in *Battaglie* c. 10. p. 55. affert, *violentam* eum appellaſſe *confeſſionem auricularem.* In more ſcil. *Ludouico* noſtro fuit poſitum, vt breuibus dictionibus rem totam exprimeret. Sic de *Paullo III.* breuiſſime ita: *Paolo III. Farneſe voleva eſſer tenuto ſucceſſore di San Pietro, che fu Giudeo.* Cur nihil de operibus *Caſteluetrii* dicit, in indicem librorum prohibitorum relatis *Pii IV.* p. 29. & *Innocentii XI.* p. 182. cum nota: *niſi prius repurgentur?* In recentiſſimo *Benedicti XIV.* indice adhuc notantur p. 53. cum eadem clauſula. Frater, *Ioannes Maria Caſteluetrius* Baſileae Poëticam Anno 1576. 4. edidit, neque haec tamen *Fontanino* ſatisfecit, quia vterque *Ludouici* frater, *Ioannes Maria* & *Iacobus*, qui alteram editionem promouerant, eadem haereſeos pice fuerint inquinati. *Fontanini* l. c. T. II. p. 244.



DE FORTVNA RESPICIENTE OCCASIONE ANTIQVI LAPIDIS PROPE HEILBRONNAM EFFOSSI COMMENTATIO ANTIQVARIA. (q)

AVCTORE
IOAN. RVDOLPH. SCHLEGELIO,
Gymn. Heilbr. Rect. & Biblioth. publ. Administr.



Est in antiquis lapidibus, quos asseruat bibliotheca patriae publica, castrensis Romanorum ara FORTVNAE RESPICIENTI sacra, quam post initia saeculi labentis, in agro cis Nicrum, cum via publica, quae est inter *Nicrogartacum* & *Beckin-*

(q) Programma hoc pacis celebrandae causa nuper demum scriptum prorsus dignum iudicamus, quod ob argumentum plane non tritum & solide pertractatum recusum heic in nostris Amoenitatibus seruetur. C.

Digitized by Google

Beckingam, repararetur, inuentam, hic typis expressam dedimus, eo quippe consilio, vt quaedam ad illius illustrationem pertinentia subiungeremus, a scriptionis nostrae proposito forsitan haud prorsus aliena. Dedit quidem illius cum aliis eiusdem generis descriptionem *IOHANNES HENRICVS SEVFERTVS*, Spirensis, quondam Gymnasii nostri Rector, in programmate A. R. S. MDCCXIV. edito, & perpetuas annotationes in omnes istos lapides promisit. Sed quia ipse nihil attulit, quod explicationi nostri lapidis inseruiret, nec adhuc compertum habemus, an ille promissis steterit, & pro reliqua sua laboriosa industria quaedam dixerit, quae lucem huic antiquitati accendant: haud sane verendum nobis est, ne noster labor praeter rem susceptus & superuacuus doctis hominibus videatur.

Ipsa inscriptio Lapidaria ita habet:

FORTVNAE
RESPICIENTI SACR
NASELLIVS PRO
CLIANVS LEG
VIII AVG PRAE
POSITVS CHoR
I HELVE†oRVM
TORQVATO ET
IVLIANO COS
V S L L M

Sacratus est lapis FORTVNAE RESPICIENTI, cuius mentio in antiquis monumentis est rarissima. Illud quidem tralatitium est, FORTVNAM apud Romanos Deae loco habitam, & superstitionem hominum, ipsa fortuna caeciorem, quae soli diuinae prouidentiae debuit, Numini huic fictitio tribuisse. De *Fortuna* enim tanquam de Dea loquuntur antiqui Graecorum Romanorumque scriptores, cum euentuum curam atque moderationem innuunt, quorum causae mortalium oculos latent. Romani praesertim tanta hanc Diuam veneratione sunt prosecuti, vt templa illi consecrarent, & singularem eam imperii curam gerere arbitrarentur. Quo factum est, vt, quicquid Imperatoris auspiciis gereretur, id omne *Fortunae* acceptum ferrent, & signum huius Numinis in cubiculo Imperatoris collocarent, quod principem vel in prouincias vel ad bellum proficiscentem comitabatur, & Caesaribus ab Augustis extrema agentibus, tanquam traditi Imperii pignus, transmittebatur. Ea de re doctissima extat Cel. *REINHARDI*, adhuc *Erlangensem* academiam ornantis, dissertatio: *De signo Fortunae in cubiculo veterum Imperatorum eiusque transmissione;* vbi hic ritus ex locis Classicis *IVLII CAPITOLINI & SPARTIANI* firmatur.

Nec

Digitized by Google

Nec minus illud apud omnes conſtat, antiquos auctores legentibus varia occurrere *Fortunae* cognomina, *Auguſtae* v. g. *Barbatae*, *Virilis*, *Muliebris*, *Virginis*, *Coeleſtis*, *Conſernatricis*, *Gratae*, *Placidae*, *Reducis*, *Statae*, *Superae*, *Fortis*, *Primigeniae*, *Publicae*, *Priuatae* &c. RESPICIENTIS autem nomen infrequentius eſt. Quo fit, vt illud in quotidianis antiquitatum ſcriptoribus NIEVPORTO KENNETO, Anglo, POMEY, HEDERICO, DVCHOVLIO, fruſtra requiras, nec, quam virtutem huic Deae dederint, vspiam edocearis. Primus in aureae aetatis ſcriptoribus, quod nobis quidem conſtet, eius mentionem fecit TVLLIVS *de Legibus* L. II. c. 11. n. 28. quem locum, quia omnem nobis huius cognominis vim explicat, totum transſcribimus. Ibi vero CICERO ita: *Quoniam*, inquit, *expectatione rerum bonarum erigitur animus, recte etiam a Calatino Spes conſecrata eſt: Fortunaque ſit vel huiusce diei; (nam valet in omnes dies) vel* Reſpiciens ad opem ferendam; *vel Fors, in quo incerti caſus ſignificantur magis; vel Primigenia a gignendo comes.*

Omiſſis iis, quae de reliquis *Fortunae* cognominibus ad hunc locum dici poterant, ea tantum inde ſumus depromturi, quae ad propoſitum noſtrum valent. Intelligimus ſcilicet ex iis, quae CICERO hic diſſerit, quae ſit FOR-

Digitized by Google

TVNAE RESPICIENTIS vis, vel quaenam poteſtas huic vocabulo ſit ſubiecta. Eſt autem *Fortuna*, quae *reſpicit ad opem ferendam. Reſpicere* igitur, quando de *reſpiciente Fortuna* ſermo eſt, non ſignificat, *retro aſpicere* ſeu *flexis oculis adſpicere*, neque per metaphoram ad mentis vel cogitationum directionem vel ad relationem quamcunque refertur, ſed per metonymiam omnibus fere populis vſitatam *opem ferre, iuuare.* Ponitur ſcilicet id, quod vulgo antecedit, pro eo, quod conſequi ſolet. *Reſpicimus* enim ante omnia, quem *iuuare* volumus. Quo ſenſu ei reſpondet τὸ ἐπιβλέπειν & ἐπισκέπτεσθαι Graecorum, de quo, ſi placet, conferri poteſt *Luc. I,* 48. 68. VIII, 38. ad *Hebr. II,* 6. & *Iac. I,* 27. (*r*)

Vt vero, qui ſunt in veterum Romanorum monumentis euoluendis minus experti, perſpiciant,

(*r*) Neque eſt haec vocabuli vis latinis ſcriptoribus ita inuſitata, vt a Graecis eius poteſtas diſci oporteat. Exempla enim ſunt in Latinis vbiuis obuia. Nos tamen eorum cauſa, quibus Latium inſpicere quaſi per tranſennam tantum licuit, ſpeciminis ergo loca ex antiquitate afferemus, in quibus, quam diximus, poteſtas *reſpiciendi* vocabulo adiacet.

Apud TERENT. *Andr.* Act. V. S. 6. v. II. ita Charinus ad Pamphilum: *age, me in tuis ſecundis rebus* reſpice. In

Adelph.

Digitized by Google

ciant, haud infrequentatum esse in istis FORTVNAE RESPICIENTIS nomen, libet afferre, probationis loco ex *GRVTERI* inscriptionibus, quae legitur in Classis primae n. LXXVIIII. hac ratione comparata:

FORTVNAE,
AVGVSTAE
RESPICIENTI
M. AVR. CTESIAS.

Plura inspicere qui cupit huius *Fortunae* monumenta, euoluat Class. I. n. LXXVIIII. & Class. II. n. MCXXVIII. *REINESIVS* in *syntagmate inscriptionum Antiquarum* Class. I. Inscript. CCVIIII. ex *LVCAE HOLSTENII* ineditis sistit nobis lapidem FORTVNAE PLACIDAE sacrum, quam quidem non diuersam esse a RESPICIENTE idem censet.

Verum satis de *Fortuna Respiciente.* Restat, vt ad reliqua progrediamur, quae ad nostram Inscriptionem pertinent. Dedicatus est lapis a *NASELLIO PROCLIANO*, quod nomen legebatur

Adelph. A. III. S. 2. v. 55. Geta ad Sostratam: *nam hercle alius nemo* respicit *nos. Cicero in epist. ad Diuers.* L. X. ep. XI. *Omnia ei obsequia polliceor, si modo rempublicam respicere volet.* Praesertim autem ea vox de Diis adhibetur, praesenti Numine hominibus opem ferentibus & pro suo in eos fauore beneficiis cumulantibus. Testem eius rei producimus *Virgil. Aen.* I. v. 667. sq.

Digitized by Google

batur apud nos in alio lapide, hodie, vt alia plura huius generis, deperdito, a *REINESIO* vero & in *epistolis* & in *syntagmate* Class. I. n. XXXVII. descripto, qui has litteras inscriptas monstrabat:

SOLI INVICTO
MITRAE
P. NASELLI
VS PROCLI
ANVS LEG.
VIII. Aug.
LL. M.

REINESIVS ex libello *GEORGII SCHMIDII*, mercatoris Heilbronnensis, narrat, hunc lapidem in agro patrio suburbano a pagano quodam Beckingensi forte inter arandum iam MDCXV. repertum, cum numis, imaginem, vt credebatur, Drusi expressam habentibus, Beckingae sub curia esse collocatum. Postea Heilbronnam in aedes Faberianas illatus periit. Est in regione, vbi repertus

Dii tibi, si qua pios respectant numina, si quid
Vsquam iustitiae est, & mens sibi conscia recti,
Praemia digna ferant.

Aen. V. v. 687. *sq.*

Iupiter omnipotens, si nondum exosus ad vnum
Troianos; si quid pietas antiqua labores
Respicit *humanos; da flammam euadere classi*
Nunc, pater, & tenues Teucrum res eripe letho.

Apud

Digitized by Google

pertus est, fons, qui adhuc nostris hominibus *solis fons* audit, nomine forsitan ex veteri loci superstitione fonti imposito & ad posteros propagato.

Gens *NASSELLIORVM & NASENNIORVM* esse vna eademque videtur. Fuit haec plebeia, &, libera republica, haud ignota. *CICERO*, vt hoc vtar, in epist. VIII. ad *Brutum* huic commendat C. *NASENNIVM*, *Suessanum* municipem, ob res bello Cretico fortiter gestas in primis conspicuum. Sub principibus etiam plures eius nominis vixisse, facile ex *indice Gruteriano* intelligitur. Fuit *Nasellius*, quem nostra Inscriptio immortalem fecit, *legioni octauae Augustae* adscriptus, quod lapis diserte memorat. Quibus Latii mores cognoscere licuit, norunt omnes, Romanas Legiones distinctas fuisse vel ordine, vt, *prima*, *secunda*, *tertia*, *quarta* &c. *Legio*; vel cognominibus, quae vel ab earum institutori-

Apud *TERENT.* in *Phormione* Act. V. sc. 3. 34. Chre. ad Demiph. Dii nos respiciunt, *gratam inueni nuptam cum tuo filio.*

STATIVS Thebaid. L. III. v. 159.

Lucina respexit *demum nullo vlulata dolore.*

Nec in soluta oratione desunt exempla. *Cicero* ad *Att.* L. I. ep. 16. *Reipublicae statum illum, quem tu meo consilio, ego diuino confirmatam putabam* - - - - nisi quis nos Deus respexerit, *elapsum scito esse de manibus.*

Idem ad *Att.* L. VII. *ep.* I. *Videre mihi videor tantam dimicationem, nisi idem Deus, qui nos melius, quam optare*

Digitized by Google

ſtitutoribus, vt: *Auguſta*, *Flauia*, Antoniniana &c. vel a prouinciis deuictis: vt: *Parthica*, *Scythica*, *Macedonica*; vel ab euentibus, vt: *adiutrix*, *victrix*, *fulminatrix*; vel a Dearum Deorumue nominibus, vt: *Mineruia*, *Venerea*, *Apollinea &c.* accipiebant. Quae cum nemo facile poſſit inficias ire, legio octaua Auguſta octauae nomen ab ordine, *Auguſtae* ab auctore adepta eſt, quia vel ab *OCTAVIANO AVGVSTO*, vel, quod alii malunt, ab *Antonino Pio*, tunc temporis Auguſto, fuit allecta. Legionem vero Auguſtam octauam ſtationes habuiſſe in *Superiori Germania*, *Dio Caſſius* L. LV. auctor eſt. Eam autem ad Nicrum praeſertim praeſidia habuiſſe diſpoſita, omnes lapides in vicinia noſtra eruti luculenter demonſtrant.

Ad *COHORTEM HELVETIORVM* quod attinet, cui *praepoſitus*, id eſt, praefectus erat *Naſel-*

auderemus, *Parthico bello liberauit*, reſpexerit rempublicam, *ſed tantam*, *quanta nunquam fuit*.

Habemus a partibus noſtris ſtantem, ſaltem verbis tantum, non re diuerſum *Caſp. Barthium*, (at quantae auctoritatis iudicem!) qui in *Aduerſar*. L. 49. c. 14. poſt emendatos verſus *Calpurnii* Eclog. IV.

Me quoque facundo comitatus Apolline Caeſar
Reſpiciet.

haec habet: *Reſpicere a Numinibus traductum eſt*, *quae* reſpi-

Nasellius, ipsum nomen *praepositi*, hanc cohortem fuisse ex copiis *auxiliaribus* Romanorum, indicat, quae generali vocabulo *sociae* vocabantur. Romanorum enim cohortes singulis praefectis non vtebantur, a Tribunis tantum, Legionum ducibus, & a Centurionibus, ordinum ductoribus, iussa accipere solitae. Ac sociis praefecti dabantur, Romanis minus suspecti & fideliter dediti, a Consulibus, vt scilicet ea re securitati populi Romani consuleretur, & socii a turbis mouendis & seditionibus prohiberentur. Qui quidem praefecti eodem numero & eadem protestate erant, ac tribuni. Progressu autem temporis cum socii proprie sic dicti in ciues reciperentur, singulis auxiliorum cohortibus singuli praefecti sunt dati, quibus etiam *praepositorum* nomen solenne fuit. Vid. *Lipsius de Militia* Romana, Dialog. XI. Hae cohortes vt plurimum nomen gentis, vnde erant collectae, retinebant, quare nomen

respicientia *fingebantur, cum fauor eorum indicaretur. Sic* Respiciens Fortuna *in decima vrbis Regione colebatur, vt ex P. Victore notarunt Brissonius & alii.* Hactenus *Barthius.* Idem in notis ad *STATIVM* Tom. II. p. 721. Respicientes Deos esse *fortunatos facientes homines* affirmat. Vidit hoc, quod *BARTHIVS* ex *BRISSONIO* attulit, iampridem *ALEXANDER ab ALEXANDRO Genialium Dierum* L. I. c. 13. qui in templorum Fortunae dedicatorum recensione FORTVNAE RESPICIENTIS aedem iuxta templum

nomen *cohortis Aquitanorum*, *Asturum*, *Baetorum*, *Dacum*, *Gallorum*, *Thracum*, ſicut apud *Liuium* & *Tacitum*, ita in lapidibus apud *Gruterum* & *Reineſium* ſaepius occurrit.

Habebat igitur in noſtris regionibus ſtationem *cohors Heluetiorum* ſub Romanis ſignis militans, quorum maximae vires tunc temporis externo milite continebantur, Romanis quippe ſolitis, prouinciarum ſanguine prouincias vincere. Occurrit cohortis Helueticae nomen in alio lapide, in agro Beckingenſi, in colle, qui a ſacelli ruinis (die Capell) dicitur, effoſſo, qui vbi lateat, adhuc neſcimus, quem vero nobis ſeruauit Seufertianum programma. Cuius inſcriptio cum valde mutila ſit, & manum medicam requirat, nos, dum doctior manus acceſſerit, litteris minuſculis noſtras de ea ſupplenda coniecturas adiiciemus. Has autem litteras praefert.

SENO-

templum *Iouis Victoris* fuiſſe, ſed ſine vlla locupletis teſtis auctoritate, perhibet. Hauſerat id ſine dubio ex *SEXTO RVFO* & *PVBLIO VICTORE de vrbis Romae regionibus*, qui in libellis ſuis perraris in decima vrbis regione vicum *Fortunae Reſpicientis* recenſent, ſine dubio ab aede huius Diuae ita appellatum, quae haud procul inde aberat, quod etiam aliis vicis accidit, qui a templis finitimis nomen traxerunt.

SENOnibus
MATROnis
COHors
HELVETiorum
QVIRA (forte quinta)
IS IVLius Victi.
CIVS
LEG. VIII.
IEVSII. i. e. ita eius votum soluit iterum.

Nunc ad eam nostri monumenti partem, quae in primis nostram attentionem mereri videtur, accedamus. Namque in fine consules adscriptos habet, quod, si vnum monumentum, alio tempore explicandum, exceperis, in reliquis in agro Heilbronnensi repertis nullibi deprehendas. Dicit enim lapis, monumentum esse positum *Torqnato & Iuliano Consulibus.* Iam vero consules *C. Bellicius Torquatus & M. Saluius Iulianus* secundum *Almeloueenii fastos Consulares* pag. m. 88. A. R. S. CXXXXVIII. Vrbi praefuerunt, quo *Antoninus Pius* vndecimum imperii annum agebat, & *decennalia* celebrabat. Quo ex fundamento cognosci potest, quantum a veritate aberrauerint, qui cum ara solis in publicae viae reparatione erueretur, in numis inuentis Drusi imaginem expressam conspicere sibi sunt visi. *Nasellius* enim *Proclianus*, qui & *Soli Mitrae* & *Fortunae*

Digitized by Google

Fortunae Reſpicienti aram poſuit, nimis a Druſi temporibus remotus eſt, quam vt veri ſit ſimile, illum numismata, Druſi caput referentia, in monumentis ſtatuendis collocaſſe. Accedit, quod omnes numi, apud nos a Romanis relicti, quantum mihi videre licuit, vltra ſecundum poſt C. N. ſaeculum non aſcendant. Litterae VSLLM. in monumento conſpicuae neminem facile remorari poſſunt, harum deliciarum ſtudioſum. Patet enim, eas hac ratione eſſe exponendas: *Votum ſoluit libens lubens merito.* Etenim apud Romanos votis nil erat frequentius, nihilque religioſius. In primis autem in bello gerendo pro felici pugnae euentu vouebant. Saepe in medio praelii diſcrimine manibus ad coelum ſublatis vota nuncuparunt, quod exemplis facile probare poſſemus, ſi diligentiam ex ſuperuacuis affectaremus. Lautioris conditionis homines templa, ludos, ſacrificia annua vouebant; a fortuna magis deſtituti victimas, aras, donaria, decimam praedae &c. Votis factis, ea vt rata eſſent, precabantur. Voti compotes facti illud perſoluentes ſe Diis merito vel merentibus vota reddere affirmabant; qua in re his fere ſolennibus verbis vtebantur: *Votum ſoluit lubens merito*, & monumentis a ſe poſitis inſcribebant. His praeſtructis facillima

Digitized by Google

cillima eſt coniectura, quid ſibi velit lapis *Naſellii Fortunae Reſpicienti ſacer.* Suſcepit ſcilicet votum & Fortunae reſpicienti aram cum victimis promiſit in ſummo diſcrimine aut vitae aut famae conſtitutus. Forſitan illius ſtationes ob perpetuas Alemannorum incurſiones cum tanto vitae periculo erant coniunctae, vt vel ante pugnam vel in ipſa pugna, ope Fortunae implorata, vota ſuſciperet, quae deinde voti compos factus ſoluere religione tenebatur.



RELA-

RELATIONES ET OBSERVATIONES
DE
LIBRIS
TAM
NOVIS QVAM RARIORIBVS ANTIQVIS.

Confessio fidei ac religionis, Baronum ac Nobilium Regni Bohoemiae, Serenissimo ac Inuictissimo Romanorum, Bohoemiae, &c. Regi, Viennae Austriae, sub Anno Domini 1535. oblata. Adiectum simul quorundam grauissimorum Virorum de hac Confessione iudicium. Hanc multae Ecclesiae, quae sunt in Regno Poloniae, nuper susceperunt. Nunc iterum excusa, Anno M. D. LVIII.

RECENSENTE
IOAN. CHRISTIAN. VOLZIO,
Prof. P. O.

Dedit quidem notitiam libri huius Cel. Vir, *S. I. Baumgarten*, in Relationibus suis de libris memoratu dignis, quae prodierunt Tit. *Nachrichten von einer hallischen Bibliothek. I. Band.* N. LXXXXVI. p. 553. sqq. quo loco primam libri

Digitized by Google

libri editionem, forma quarta, quam vocant, Vitebergae prolatam commemorat, atque vlterius describit, eamque rarioribus annumerandam esse pronunciat. II. Band. N. CX. p. 59. Alterius mentionem facit editionis, eiusdem libelli, datae Basileae A. MDLXXV. forma octaua, & quid in posteriori hac noui accesserit, recenset. Neutro tamen in loco huius nostrae meminit Vir litteratissimus, vt fere coniecerim ignoratam ipsi fuisse istam, vel solo hoc argumento, inter rariores referendam, nisi p. 572. I. Band. N. CII. reperirem, illum, velut in transitu, eiusdem mentionem iniecisse, dum Germanicam recenseret libri versionem, A. 1564. factam. Quoniam vero Vir summus omisit adcuratiorem huius dare notitiam libelli, non incommodum videbitur, quae ad illam pertinent, indicare. Est igitur illa impressa forma, vt aiunt, octaua minore, foliis 52. quibus, praeter tituli folium octo accedunt folia, quae illico nominandis implentur scriptis. Primo loco comparet *P. P. Vergerii* praefatio ad lectorem, quam integram subiectam legisse, neminem credo pigebit. Secundo loco posita est, praefatio Doctoris *Martini Lutheri* in Confessionem Vualdensium. Tertio *Ph. Melanchtonis* epistola scripta Venerabili Viro in Christo, D. Benedicto, caeterisque Fratribus Vualdensibus in Bohemia. Quarto sequitur excerptum

ex libro *Buceri*, cui titulus, Scripta duo aduerſaria Latomi &c. in cap. de Eccleſiae autoritate, pag. 159. Quintum locum occupat excerptum, ex prolixis quibusdam literis D. *Wolfgangi Muſculi*, in Bernenſi Eccleſia Theol. Profeſſoris, ad Polonicas Eccleſias ſcriptis, menſe Februario. 1556. Sequitur deinde fol. 1. Praefatio Miniſtrorum, Eccleſiae Picardorum, vt vocant, in Bohoemia & Morauia, in Confeſſionem ſuae Fidei, vsque ad fol. 15. Tum poſita praefatio Baronum & Nobilium Eccleſiae Picardorum, vt vocant, conſentientium. Fol. 17. Articuli ſ. themata confeſſionis referuntur, numero viginti, ſequente p. verſa illorum expoſitione prolixiore. Fol. tandem 50. Concluſio ſubiuncta, quam verba ſequuntur, Prouerb. XX. „Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem, & roboratur clementia thronus eius.„ Praefatio ſupra commemorata, ſqq. concepta verbis: „Vergerius Lectori. Qua ratione quove conſilio ductus, hanc ego Vualdenſium, aut Picardorum (quos vocant) Chriſtianae Religionis confeſſionem, non ita multis hactenus cognitam ediderim, in primis dicendum mihi eſſe puto. Cum Deus me nuper ex Germania in Pruſſiam, in Lithuaniam, atque Poloniam euocaſſet, multas ac varias variarum gentium Eccleſias viſendi diſcendique ſtudio incenſum: tandem diu multumque in illa ipſa Polonia obequitando

atque

atque lustrando, in Ecclesias incidi circiter quadraginta, ad Vualdensium morem praescriptaque institutos. Quae ipsae me sane singulari quadam voluptate, laetitiaque affecerunt. Etenim pura in illis ac concors sonat Euangelii vox, adeo id quidem, vt neque in doctrina, neque inter docentes erroris aut controuersiae quicquam, non dico animaduertere, sed ne suspicari quidem potuerim. Ceremoniae castissimae atque purissimae, a papisticis istis superstitionibus gesticulationibusque ita alienae, sic prorsus remotae, vt ne odor quidem illarum, aut vestigium vllum reliquum sit. Disciplina grauis atque seuera, ex qua vitae renouatio atque redintegratio tales fructus fert, vt radicem horum minime fucatam, sed verissimam, ac Christiano homine dignissimam facile poenitentiam agnoscas. Haec cum partim ad Fratres in Italiam, aliarumque nationum scripsissem, partim nonnullis Illustrissimis Principibus Germaniae, aliisque summis in ea Viris ingenti exultatione coram nunciassem, alii in vniuersum ignorare Vualdenses, alii vehementer mihi mirari visi sunt, quid tandem in mentem venerit Sarmatis, vt Vualdensium praecipue Confessionem admiserint, veriti nimirum, ne puram ac sacram Christi doctrinam, quam nuper adeo recepissent, illorum placitis inficerent, atque commacularent. Hanc igitur ob caussam, gra-

Digitized by Google

viſſimam quidem illam, omni ſtudio mihi faciendum putaui, vt Vualdenſium Confeſſio, quae iam erat difficilis inuentu, recuderetur, atque invulgaretur: quod minime dubitarem, quin omnes, quibuscunque purior doctrina cordi foret, vel ex primo, (quod dicitur,) guſtu, non Confeſſionem modo, ſed Polonos etiam ipſos, aliosque quicunque eam in ſuam Eccleſiam recepiſſent, magnis celebraturi laudibus eſſent: ac denique patrem caeleſtem rogaturi, vt tam bene coeptas apud illos Eccleſiarum inſtaurationes ſeruare, ac ſua immenſa bonitate augere, indiesque magis fortunare dignetur. Praeter vero Martini Lutheri, Reuerendiſſimi atque ſanctiſſimi viri teſtimonium, qui hanc Vualdenſium rationem Eccleſiaſticam approbauit atque commendauit, ſubiicienda non immerito putaui, aliorum quoque maxime eruditione, maxima pietate atque autoritate virorum teſtimonia, inprimis Philippi Melanchthonis, Martini Buceri, & Wolfgangi Muſculi, qui mihi videntur eandem Confeſſionem adhuc magis, quam Lutherus, laudare, cum tamen is grauiſſimis verbis laudarit. Caeterum quanquam qui ſim non ignoro, moneo tamen Eccleſias hisce XI. annis in Chriſto renatas, ne ſatis eſſe putent, quod ſuperſtitiones Papiſticas, abominationesque caeteras ab Eccleſiis ſuis exturbare potuerint, ſed vt de concordi, de pura, de genuina filii Dei D. N. Ieſu Chriſti

doctrina

doctrina retinenda, tum de disciplina vitaeque mortificatione tali doctrina digna aliquando tandem vicissim inuehenda, diligenter & anxie curent. Tubingae. Kal. Augusti. M. D. LVII. „

Euoluenti mihi de hoc argumento *B. C. E. Weismanni* nostri, Historiam Ecclesiasticam, Editionis primae, T. II. p. 316. & 318. harum confessionem fieri mentionem, apertum est. Dedit etiam Vir doctissimus partem praefationis supra recusae; vsque ad verba illius, „*quae iam difficilis erat inuentu, recuderetur.*„ Sed miror Virum optimum asserere l. c. hanc fratrum confessionem Tubingae anno 1556. recusam esse, cum aperte titulus, quem habeo ante oculos, annum referat 1558. praefatio vero Vergerii scripta sit anno 1557. Eadem Epocha in secunda laudati libri editione legitur T. I. p. 1704. vnde secundis curis Vir beatus, nihil heic correxit. Sed haec de libello paruo, nec tamen minus proinde memorabili, sufficiant.



Digitized by Google

CONTINVATIO (s) EXCERPTORVM

EX

COLLECTIONE RARIORI WIMPHELINGIANA,

ARGENTOR. 1507.

RECENS.

CAROLI BVTTINGHAVSEN,

Prof. Histor. P. O. Heidelb.



III.

De Fausti Carminibus.

Carminibus Fausti p. 34. 35. hae praefiguntur literae:

„R. Philesius (t) Iacobo Wimphelingo *preceptori S. p. d.*

„Non possum satis mirari preceptor humanissime cuiusdam poetastri insaniam, qui ob id „poetas

(s) Conf. Fasc. II. Amoen. p. 218. sqq.

(t) Est *Ringmannus Philesius*, quem anno 1508. editores *Ptolemaei ad Franciscum Picum de Mirandula* ablegarunt. Vid. *Merkwürd. der Dresd. Bibl.* Tom. I. p. 315. 316. Habemus

Digitized by Google

„poetas lasciuos extollit, vt probos theologos „deprimat. Quod forsitan non faceret, si legis„set que vir eloquens *Hermolaus Barbarus* (*u*) „graphice in poetas scripsit, & quas in praesen„tia ad te mitto duas publii (*x*) *Fausti* (cuius „ego in clarissimo Parhisiorum Gymnasio aliquot „annis auditor fui) elegias, vnam de poetarum „infoelicitate, de eximiis theologorum laudibus „alteram. In quibus perlegendis quam sit ele„gans *Faustus*, quam epithetis scateat, quam „sententiosus diligenter quaeso perpende.

Iam sequuntur carmina *Fausti* quibus inter alia p. 39. de Sacrarum literarum apud Parisienses studio ita canit:

Hic bene nota patet coelestis littera verbi
Nititur & tanto pondere sancta fides.
Nec timet aduersos fluctus ventosque procaces
Hoc duce clauigeri recta carina petri.
Vsque adeo firma est & tanto remige fulta
Vt queat a nullo concutiente premi
Tantum parisię debet sacra pagina menti
Quantum diuinis sensibus ima caro.

IV.

Habemus & Germanicam *Iulii Caesaris* versionem a *Ringmanno Philesio* adornatam. Francof. 1565. Huius *Philesii* versus & leguntur in *Margarita Philosophica*. Argent. 1508.

(*u*) De quo alia occasione amplior erit agendi locus.

(*x*) Apud *Mylium* Bibl. Ien. p. 235. n. 619. & p. 236. n. 620. citantur. 1) *Pustii Fauhti Andrelini*, *Buccolica*.

IV.

De Ioannis Pontificis XXIII. Elegia.

Istam iam *Pareus Hist. Palat.* p. 219. edit. antiq. vel p. 215. edit. recent. adduxerat, addens: *in carcere Manheimiensi Pontifex tales versiculos composuisse dicitur. Pareum* presso sequitur pede Vir Reu. *Io. Pet. Kayser Histor. Schauplaz der Stadt Heidelberg* p. 244. Cel. D. *Cotta de fallibili Pontificis Romani* auctoritate p. m. 177. ita: *carcerem eius deplorauit quidem apud Engelhusium in chron. p. 296. edit. Mad. sequenti carmine &c. &c.* Ex nostro vero codice variantes colligi possunt lectiones, ibidem enim p. 39. legimus:

,, Elegia Ioannis pape. XXIII. In concilio ,, Constanciensi depositi, & ad terras Comitis ,, Rheni Palatini in captiuitatem deducti.

Qui modo summus eram gaudens de nomine presul
Tristis & abiectus nunc mea fata gemo,
Excelsus solio nuper versabar in alto,
Cunctaque gens pedibus oscula prona dabat,
Nunc ego poenarum fundo deuoluor in imo
Et vultum informem quemque videre piget,
Omnibus e terris aurum mihi sponte ferebant,
Sed nec gaza iuuat nec quis amicus adest.

Sic

Paris 1510. 2) Eiusdem IX. *Epistolae adagiales de Neapolitana Fornouiensique victoria.* Paris 1496. 3) Eiusdem *Elegiae de virtutibus* Argent. 1509. 4) *De captiuitate Ludouici Sforttae.* Argent. 1512. omnia in 4.

Digitized by Google

Sic variat fortuna vices aduersa secundis
Subdit, & ambiguo numine (y) ludit atrox.
Cedat in exemplum cunctis quos gloria tollit,
Vertice de summo, mox ego papa cado.
M. semel in festo paschae C. quater esto
Constans concilium decem & quinque benignum
Tunc gens expressit quod papa dolose recessit.

V.

De Elegia Seb. Brant.

Wimphelingius p. 40. ita:

„Sacro Sedunensium Antistiti *Mattheo* ac „comiti *Vallesie* domino pientissimo *Iacobus* „*Wimphelingius* sese commendat.

„Tuis praeclarissimis virtutibus princeps „magnanime impulsus, te plurimum amare coe„pi, atque ideo in argumentum affectus maxi„mi summique amoris in te mei, saphicam *Se*„*bastiani Brant* neniam (qui & ipse regis no„stri maximus est cultor) ad te mitto, quam „pridem

(y) PAREVS: *nomine.* IVLIO III. haec excidisse ferunt: *Al dispetto di Diò*, quae, (docente BAYLIO ad h. v. Lit. G. Not. p. 926. edit. germ.) ZWINGERVS non satis emphatice reddit: *in contemtum Dei*, sed potius reddi debent: *inuito Deo.* Sic *Ioannes* forsan dixit: *ambiguo Numine*; quemadmodum Poëta: *Passibus ambiguis fortuna volubilis errat.*

Digitized by Google

„pridem in imaturam & nationi noſtre perni-
„cioſiſſimam Philippi Caſtelle legionisque mor-
„tem excudit: vt ſi qua ex illius nobilis-
„ſimi principis occaſu triſticia confectus es:
„hac ſaltem lectione aliquantulum conſolatio-
„nem accipias: Dominus Deus tibi aſſiſtat.
„Ex Argentoraco. VII. Idus Iulias. Anno.
„M. D. VII.

Ac tandem exhibetur *Naenia ſaphica Seb. Brant*, quam iam *Specimini Monumentorum rariorum, res geſtas imperante Carolo V. illuſtrantium*, 1757. edito, p. 5-9. inſerui.



I. D.

I. D. KOEHLERS,

ANWEISVNG

FÜR

reisende Gelehrte, Bibliotheken, Münz-Cabinette, Antiquitaeten-Zimmer, Bilder-Saale, Naturalien- vnd Kunst-Kammern &c. mit Nuzen zu besehen.

Francofurti & Lipsiae 1762.

RECENSENTE

IOAN. CHRISTIAN. VOLZIO,

Prof. P. O.



In praefatione libelli refertur, suppeditatum fuisse illum a Bibliothecario Vrbis (Francofurtanae) Lt. Kneuselio, qui manu exaratum possederat eundem. Praelegerat Autor Celeberrimus haec praecepta nonnullis, qui litterarum colendarum caussa Goettingae commorati erant, adolescentibus, neque publicae luci, & typographorum prelo subiiciendum destiuauerat Vir nunquam satis laudandus. Id diffiteri noluit editor, naeuos

naeuos etiam, qui forte offenderentur, hoc ipfo excufandos putauit. Sed innumeri errores occurrunt, fcriptori (non Autori) plane non condonandi. Qui pofthumis eiusmodi legendis adfueti funt, quod de iis ferri debeat iudicium, per fe norunt. Vnius mendi (quod autem Autori nemo imputauerit) mentionem facit editor, cum admonet Marmor Parifinum nominari faepius, quod Parium vocari debeat. Sed pace huius ipfius, quem cetera ignoramus, Dn. Editoris monere liceat, ipfum in antiquos Pictores iniurium videri poffe, quod ex nomine ipforum coniicit, olim pingendis hominum figuris ipfis fuiffe interdictum. Nomen, quod iftis imponit, *Thier-zeichner*, videtur ex Graeco ζωογραφευς transductum effe: at vero non noua eft obferuatio, genio Graecae Linguae id poftulante, ζωε nomine, aeque homines, & maioris etiam excellentiae viuentia venire, atque bruta animalia, vnde nihil ex ifta pictorum adpellatione dexteritati eorum ignominiofum debebat deriuari.

Ceterum perluftrantibus nobis opusculum ipfum, plura occurrebant, quae ab eruditiffimo Autore ita fcripta aut dicta effe nobis nunquam poterimus perfuadere, vt nulli dubitemus, fi videre contingeret ipfi libellum, eandem de fua fama ingeminaturum effe, quam illuftris ipfius Collega

lega Dn. *Gebauer*, in praeſtantiſſimi Operis de hiſtoria Luſitanica praefatione & in praefatione alterius, de primis hiſtoriae Europeae lineis, egregii libri effudit tum de ſuis tum Gundlingianis praeceptis immature vulgatis querelam, eamque omnino iuſtiſſimam.

Speciminis loco pauciſſima, primo obtutu reperta, dabimus. p. 6. *Gallois*, vocatur *Galloie*. p. 8. dicitur: *Adr. Baillet iſt ein Bibliothecarius des Cardinals Launoie geweſen.* Duplex hic error eſt, ſatis vtique craſſus. Primo nomen peruerſe ſcriptum, quod potius *Lamoignon* efferri debebat: ſecundo magnus ille Vir, nunquam e purpuratorum Eccleſiae Romanae patrum numero, ſed Curiae ſupremae Pariſinae Praeſes fuit. p. 13. *Wilthemio* videntur Commentarii de pluribus attribui Diptychis Leodienſibus, cuius tn. libro titulus praefixus eſt: *Dipthychon Leodienſe*, qui de vno proinde ſaltem, non vero pluribus, facit ſermonem. In appendice vero ad iſtud Diptychon, praecipue agitur de pugillaribus veterum. p. 18. Miretur lector, vulgatiſſimum Ouidii verſum ſequenti ſcriptum eſſe modo: „*Nec titulus Minio, nec* --- *Charta notetur.*„ Quaeſo! non ſuccurrebat vox *Cedro*? aut maius illa poſtulabat ſibi ſpatium, quam lineolae illae transuerſae? p. 20. Vix crediderim ſequentia Doctiſſimo Koehlero

lero excidisse verba: *Zu Breslau hat der Franzoesische Historicus Froissard alle Geschichte mit solchen mit der Feder gezeichneten Bildern gezieret.* Sensum coniicient nasutiores: quis autem persuaserit sibi, mentem suam non distinctius exposuisse Koehlerum? p. 28. S. *Decla* pro *Thecla* legitur: sed culpam feret fortasse typographus. Ibid. *Casimirus Vtinus* occurrit, qui rectius *Oudinus* scribitur. Est autem hac ipsa pagina grauius erratum, in istis verbis: *Der sogenannte Codex Alexandrinus noui Testamenti Bibliothecae Bodleianae in Anglia.* Primo non Noui saltem, sed & veteris testamenti libros complectitur famosissimus iste codex, secundo regius erat, non Bodleianus, vti plura de hoc codice ex Prolegomenis Grabianis Ed. LXX. virorum & praefatione Cel. *Breitingeri* hauriri possunt, vbi etiam specimen ductus litterarum in codice vsitati exhibetur. (z) Sed innumeris aliis supersedeo notandis:

(z) Sine dubio, si Cel. Autor ipse has Schedas cum erudito voluisset orbe communicare, in commemorandis Codicibus graecis, recensuisset etiam Euangeliarium Geneuense vncialibus exaratum litteris, & egregie seruatum, quod ipse, beneuole commonstrante Doctissimo Bibliothecario Dn. *Lullino*, inspexi, & Codicem purpureum Tigurinum, argenteis scriptum litteris, laudasset, cuius pariter, cum Tiguri degerem, intuitu sum delectatus, & quem erudita dissertatione illustrauit Celeberrimus Vir quem

dis: E. g. p. 50. Congregatio S. Mauri in Hispania collocatur. Sufficiunt haec, vt fidem faciant iis, quae dixi. Duos tn. nequeo praetermittere errores: 1. quando p. 67. videtur affirmari, Erneſtum Pium, debitorum onere coactum vendi-

quem fautorem expertus ſum humaniſſimum, *I. I. Breitingerus.* Forte nonnullis non plane ingratum erit mentionem fieri duorum codicum manu ſcriptorum, quos in egregia Reip. Geneuenſis Bibliotheca videre mihi licuit, omnino ſingularium. Primus, in tabulis ligneis, cera obductis, continet: *Fragmentum Rationarii Regiae domus Philippi IV. Pulchri, Franc. Regis, ad poſteriores Sex menſes. Anni* 1308. Inſigni labore ſcripturas has enodauit, deſcripſit & hodierno ſermone expoſuit Cel. Vir, Geneuenſium decus, *Cramerus.* Alter Sermones complectitur D. *Hieronymi,* quorum pars membranae, pars maior papyro Aegyptiacae inſcripta eſt. Duo huic Codici praefixa leguntur teſtimonia Virorum fide, in hac cauſſa, digniſſimorum. I. ita ſonat: *Hunc codicem ex Papyro Aegiptiaca vidi & euolui, & Sexto vel cum tardiſſime Septimo Seculo ſcriptum iudicaui. Fr. Bernhardus de Montfaucon.* II. hoc eſt: *Summa cum voluptate hunc codicem vidi & percurri, a Summe Reuerendi Poſſeſſoris humanitate mihi conceſſum, Scipio Maffei.* Qui poſſederat Codicem, eundemque cum pluribus aliis, & integra Bibliotheca Reipublicae legauit teſtamento, erat Vir Cel. Verbi Div. Min. *Lullinus,* ante paucos annos praemature mortuus. Eſſent etiam quae de Bibliotheca Bernenſi dicere poſſem: ſed ablego lectores ad Catalogum Mſt. a Cel. *Sinnero,* Fautore aeſtumatiſſimo, editum, quo duce Codices ibidem luſtraui praeſtantiſſimos.

vendidiſſe Numophylacium ſuum: forte de Ant. Gunthero Schwarzburgico intelligendum. 2. quum aſſeritur Stuttgardianum Numophylacium Ludovicopolin eſſe translatum, quod oppido falſum. Multa tn. occurrunt vtilia, qualia exſpectari poterant ab Autore litteratiſſimo, & qualia futura fuiſſent cuncta, ſi ſua ipſius manu haberemus elaborata.



SEBAL-

SEBALDI RAVII,

S. S. Th. D. & LL. OO. Prof. P. O. Traiecti ad Rhenum,

EXERCITATIONES PHILOLOGIAE,

AD

CAROL. FRID. HOVBIGANTII,

Orator. D. I. Sacerdotis

PROLEGOMENA

IN

SACRAM SCRIPTVRAM,

nouiſſime 1761. & 1762. editas,

RECENS.

H. G. CLEMMIVS,

Prof. P. O.



Ex quo Prolegomena Houbigantii in S. Scripturam, quae Pariſiis 1753. Editioni Bibl. Hebr. prologi ad inſtar praemiſſa atque publici iuris facta ſunt, orbi literario innotuerunt, varia variorum iudicia de hoc libro publicis ſubinde re-

censibus inserta legi poterant; neque tamen vllum eorum ita comparatum erat, vt data opera scriptum fuisse appareret, qua quidem opera Cel. D. *Sebald. Rau* nuper demum Traiecti ad Rhenum in duabus exercitationibus 1761. 1762. functus eo maiorem ab eruditis gratiam iniuit, quo laudabilius nostra praesertim aetate optabiliusque tale examen erat, quod praeterea Viro in literis ac antiquitatibus Ebraicis versatissimo vti dignum ita & maxime honorificum iudicamus. Rem igitur lectoribus gratam facturos nos arbitramur, si, quae in compendio dari possunt, momenta excerpamus, & digito tantum indice, quid in his exercitationibus praestitum sit, commonstremus.

Miratur ab initio statim Vir Cel. quod hoc opus, in tanta literarum luce, non sine magna quarundum opinionum & coniecturarum confidentia in publicum fuerit productum. I. enim in Houbigantio perquam mediocrem, nec tanto operi sufficientem Hebraismi cognitionem inesse vel ex hoc intelligi posse scribit, quod grammatica nemini probanda fuerit vsus, nimirum Grammatica *Mascleuii*, cuius recensum decem abhinc annis Historiae Criticae Linguae Ebreae, germ. idiom. a nobis conscriptae inseruimus. 2) Viros summos, atque in his incomparabilem *Albertum Schultensium* despicit ac indigne tractat. 3) In condendis regulis criticis acumine suo longe infra

Iob.

Digitized by Google

Ioh. Clericum, cui tamen ſaepe obtrectat, ſubſidit; 4) Vbi de variis lectionibus aut emendando textu agit, ſaepe dubium dimittit lectorem, an codicum auctoritate vtatur, an vero ex proprio ingenio ſapiat. 5) De Maſora ita loquitur, vt rariſſime eam inſpexiſſe videatur. 6) Ex male conglutinatis *Io. Morini Lud Capelli* aliorumque argumentis id tandem agit, vt probet, maiorem eſſe auctoritatem Pentateuchi ſamarit. & verſionum veterum, inprimis Vulgatae, quam codicum hebraeorum.

Hoc iudicium ſuum multis argumentis ex prolegomenis Houbigantianis ita probat Cel. *Rauius*, vt Lectori in omnibus ſatisfaciat. Quod enim Houbigantius p. 2. aſſerere non erubeſcit, nimirum tanta incuria editum eſſe Sacrum Hebr. volumen, quanta vix vllus codex, qui typographiae luce fuerit cohoneſtatus, in lucem prodierit, id per tres articulos 1) qualis hodiernorum hebraicorum codicum ſit antiquitas & qualis ex antiquitate auctoritas; 2) Hodierni codices quam ſibi ſint inter ſe & veteribus conſimiles; 3) An codices accurate ſint deſcripti, & an Maſora eſſe potuerit codicum emendatrix, erudite, ſolide, ac perſpicue confutat, eademque ſollertia alterum Houbigantii caput, *hebr. Bibliorum editiones quam ſint mendoſae*, exerc. II. perſequi incipit, ac Articulum primum, qui de mendis orationis ſenten-

 tiam

tiam afficientibus ex verbis vel verborum literis 1) mutatis, 2) omiſſis, 3) additis, 4) traiectis agit, hac lege pertractat, vt omnia Houbigantii exempla quam parum probent, perſpicue ac erudite demonſtret. In hac exercitatione ad IV. tam tantum Claſſem de mendis ex Traiectione verborum literaramque, non vltra, peruentum eſt. Quapropter in ſequentibus, quae prelo nondum ſunt liberatae, exercitationibus caetera argumenta expoſitum iri ac refutatum vti ſuſpicamur, ita etiam vitam & diuinae gratiae largiſſimam affluentiam ad perficiendum hoc opus atque abſoluendum Cel. Autori apprecamur.



OBSER-

Digitized by Google

OBSERVATIVNCVLA

DE

SVCCESSIVO ANNORVM DECREMENTO,

AD

CHRONOLOGIAM SVAM MATHEMATHICAM

Berol. 1752. editam.

ET

DISSERTATIONEM

DE EODEM ARGVMENTO

IN

AMOENITATIBVS ACADEMICIS

Fasc. II. 1754.

ILLVSTRANDAM CONSCRIPTA

AB

H. G. CLEMMIO.



Si motus vertiginis terrae in ratione celeritatis motus annui acceleretur: idem quotannis numerus reuolutionum obtineret; etiamsi anni ho-

Digitized by Google

dierni cum priſtinis non eſſent iidem. „ *Adeoque ſi dies naturales quoque decreſcerent, ex obſeruationibus earumque ſolicita comparatione cum priſtinis plane nihil pro decrementis annuis definiri poſſet.* „

Suppoſui in hoc §, obſeruationibus confici poſſe, quod anni ſubinde decreſcant; quo caſu dierum decrementum concluderetur magis quam obſeruaretur; quia dies, breuiores facti, numero iidem eſſe poſſunt, quamtumuis aggregatum ipſum, ſiue annus, imminuatur; 360. gradus conſtituunt circulum maximum & minimum; Sed in minimo circulo gradus ipſi ſunt etiam minimi, quippe qui in ratione circulorum decreſcunt. Haec ſi ad annum applicemus, veritatem prioris aſſerti facile perſpiciemus.

Iam vero notum eſt, quod plures obſeruationes Ptolemaicas in dubium vocent, immo etiam anni quantitatem inde ab Hipparcho ad noſtra vsque tempora eandem per obſeruationes deprehendi, conſtanter aſſeuerent. His aliquid dandum eſſe cenſeo, atque Problema ita ſoluendum, vt nec ii, qui annum conſtantem fingunt, ſolutionem faſtidiant.

Sit ita; contineat noſter annus tot praeciſe temporis articulos, quot annus Hipparcheus continuit; Valeat Ptoremaeus cum ſuis obſervationibus minus recte inſtitutis. Quid inde; An

An argumentum, a priori desumtum, iam profligatum est? Nequaquam. Dies subinde breuiores finge: & omnia in concordiam redibunt.

Dicam, quod res est. Petii illustrationem a motu vertiginis planetarum reliquorum, deinde a pressione materiae grauificae, atque conclusi retardationem motus vertiginis; non eam conclusurus, si vlla via patuisset ad concludendam accelerationem, posito decremento annorum, per *obseruationes* cognoscendo. Neque enim dies breuiores obseruarentur, si annus ipse breuior fieret, &, quod cardo rei est, haec diminutio ex obseruationibus, dies, horas, minuta, &c. numerantibus, colligi ac determinari posset.

Duo igitur adhuc restant casus:

I. Dies subinde fiunt breuiores, vel motus vertiginis accelerari potest, & si quantitas anni semper constans *obseruetur.*

II. Dies subinde fiunt longiores, vel motus vertiginis retardari potest, & si quantitas anni varians & subinde decrescens *obseruetur.*

Prius potest locum habere, saluis argumentis l. c. allatis, vtpote quae tantum illustrationi inseruiunt. Nimirum Planetae Soli propiores ob alias, vt dixi rationes, tardiorem vertiginis motum nancisci potuerunt; nec tantum ob propiorem a sole distantiam; quam solummodo causam esse *potuisse*, non actu *fuisse* diximus.

Digitized by Google

Pari ratione Preſſio materiae grauificae ad hypotheſes, vti notum eſt, refertur. Pone Attractionem Newtonianam: & habebis, cur potius motum vertiginis acceleratum ſtatuas. Quo enim propior globus fit centro ſuo, eo fortius ſingulae eius partes attrahuntur: & quia haec attractio cauſa eſt tam gyrationis circa ſolem, quam *gyrationis circa axem*; motus vertiginis ex hac hypotheſi acceleretur neceſſe eſt. Adeoque in propiori a ſole diſtantia, ſucceſſu temporis, poſita hac attractione, admodum probabile fiet, motum vertiginis terrae, vnacum motu progreſſiuo accelerari, hoc eſt, & dies & annos fieri breuiores.

Quodſi igitur ſemel euictum fuerit, quantitatem anni per obſeruationes conſtanter eandem apparere: dies fieri poſſunt breuiores. Viciſſim ſi contrarium demonſtrari poſſit, & obſeruationes annum decreſcentem, h. e. talem ſiſtant, qui minori ſubinde dierum, horarum, minutorum &c. numero abſoluatur, euidens eſt, dies ſubinde fieri longiores, vel motum vertiginis accelerari poſſe.

Deciſio igitur quaeſtionis plenaria dependet ab obſeruatione motus annui. Hunc enim nondum ſub calculos ſatis exactos reuocari poſſe, bene norunt Aſtronomi; quapropter, quod de

luna

Digitized by Google

luna canitur, ad nostrum quoque, quem colimus, planetam applicari poteſt:

Paſſibus haud aequis graditur ſubiectaque nulli
Hactenus Aſtronomo numerorum frena recuſat
Terra - - - -

Satis, quod erat, nos feciſſe arbitramur, dum Problema ad duos caſus, nimirum ad motum vel retardatum vel acceleratum, reuocauerimus. Quisnam locum habeat, vel nati vel adhuc naſcendi aſtronomi & ſeduli obſeruatores determinabant. Multum iam praeſtititCeleberrimus, ſed praematuro fato functus Tob. Mayerus, Gottingenſium Aſtronomus, quem ſi alii ſequuntur, eiusque aſſerta, propriis obſeruationibus comprobant, tandem res eo redire poteſt, vt nemo non confiteatur, terram motu tam vertiginis quam progreſſiuo, vtroque quidem ſub eadem lege, accelerato vel retardato, gyrare.



DE

NOVA EDITIONE

VINDICIARVM ARBITRII DIVINI

IN

RELIGIONE CONSTITVENDA,

A

CELEB. LIPSIENSIVM THEOLOGO

I. A. ERNESTI,

ADORNANDA

RELATIO PRAELIMINARIS.

H. G. CLEMMII.



Cum in eo essem, vt dissertationes recenserem, quibus arbitrium diuinum in religione constituenda vindicauit Vir Cel. I. A. Ernesti, ab eodem laudatissimo Theologo literas accepi, in quibus se nouam earum editionem cogitare post alia scripsit. Quod quidem institutum quam laudabile sit, quamque proficuum studiis Theologicis, ii intelligunt, qui tres dissertationes, interiecto aliquot annorum interallo seorsim editas, atque ita probatas, vt prima earum pars hoc iam

iam anno Lipſiae fuerit recuſa, cum attentione legerunt. Phantaſmata enim quorundam recentiorum, quibus contraeundum eſſe omnes cordatiores Theologi praecipiunt, quam vana ſint, non oſtendit modo Cel. Auctor, ſed & quantum momenti in Scripturaria idea de arbitrio circa religionem diuino inſit, argumentis ſolidis demonſtrat. Vt paucis rem complectar; arbitrium diuinum in conſtituenda religione ſi primo loco ponitur, verae & ſcripturariae ideae de religione vniuerſa, de Deo, de homine, de ſacrificiis, de ritibus, de promiſſionibus, de ſacramentis, ac inprimis de fide quae ſacra Chriſtianorum anchora eſt, reſuſcitantur, Philoſophematum vero de neceſſitate reuelationis a priori deductorum farragine prorſus ſopiuntur; Deinceps methodus Theologiae ſobriae, quam Lutherus docuit, & primitiuae, quam ab apoſtolis accepimus, reſtituitur, nec amplius Philoſophiae, non verae ſed fucatae illius, laruis obducta apparet. Accedit, quod aduerſariis ſiue ſocinianis ſiue aliis rectius reſponderi poſſit, vbi tale arbitrium Dei in religione conſtituenda ſtabilitur. Vnicum hoc fidei fundamentum vti veteres Theologi ab eruditione non minus quam a vera aduerſus Deum religione inſtructiſſimi probe perſpexerunt, ac torrentibus opinionum recentiorum oppoſuerunt, ita & ex recentioribus non tantum

Theolo-

Digitized by Google

Theologos ſed & perſpicaciores (qualis Cel. Meierus in Medit. de relig. Chriſt.) Philoſophos prodire, qui praecipuum hoc αληθηας ιδραιωμα agnoſcant, mirifice laetor; ac laetari mecum eos quoque crediderim, qui ſenſum Sacrae Scripturae penitius rimari ſolent. Dedi igitur non niſi praeliminarem relationem libri Erneſtiani, in quo quae diſputationi magis, quam libro conueniunt, reſectum, additum vero iri, quae in libro rectius quam in diſputatione dicuntur, Cel. Auctor literis ad me datis ſignificauit. Spero itaque fore, vt propediem plenior huius libri, in quo thema plane non tritum, ac aetati noſtrae ſcitu perneceſſarium pertractabitur, recenſio ſubiungi poſſit.



Digitized by Google

HENR. GVIL. CLEMMII

Prof. P. O. & Ecclesiastae Stuttg.

NOVAE AMOENITATES LITERARIAE.

Nota leges quaedam, sed lima rasa recenti,
Pars noua maior erit — —



FASCICVLVS QVARTVS.

STVTGARDIAE
SVMTIBVS IOH. BENED. MEZLERI,
MDCCLXIIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

HENR. GVIL. CLEMMII

Prof. P. O. Ecclesiastae & Bibliothecarii Stutgardiani

NOVAE AMOENITATES LITERARIAE

QVATVOR FASCICVLIS COMPREHENSAE.



STVTGARDIAE

SVMTIBVS IOH. BENED. MEZLERI,

MDCCLXIIII.

Digitized by Google

Digitized by Google



L. S.


Biennium eſt, ex quo AMOENITATES NOVAS cum orbe literario communicamus; Quae cum iam quatuor faſciculis Volumen iuſtum conſtituentibus abſoluantur, in uno etiam volumine cum indice ſuo ſecundum praecipuas materiarum claſ-

ſes

Digitized by Google

ſes comparent. Delectus rerum, concinna thematum breuitas, nec iniucunda varietas, in horis ſubſeciuis otium magis, quam negotium faceſſet Eruditis lectoribus, quos, ut noſtra & aliorum ſtudia litteraria ſibi commendata habeant, ſuisque conſiliis iuuent, promoueant, ornent, decenter atque officioſe rogamus.

Stutgart d. X. Septembr.
MDCCLXIIII.



Digitized by Google

SYLLABVS
THEMATVM


VII.

Digitized by Google





Digitized by Google



SERMO ACADEMICVS

DE


PRIMA PRIMI ADAMI VESTE,

AVCTORE

PHIL. FRID. GMELINO,

Med. Doct. ejusdemque & Chemiae Prof. P. O. in Vniv. Tubing. Socc. Regg. Londin. & Goetting. Sodal.

DOMINICA LAETARE 1763.



Ἴδε ὁ ἄνθρωπος, ecce Homo! Verba sunt pretiosissimae illius historiae Passionis, quam Adorandus nostrae Salutis Reparator nostrûm causa sustulit; verba, quae vere Diuinus Orator mediis in conuiciorum fluctibus, quibus aduersariorum furor opprimere ipsum conabatur, dulcissimis de suis labiis effudit; sic enim ipsius Euangelista Ioannes capite decimo no-

Digitized by Google

no, commate quinto refert, Iesum, quem paulo ante narrauerat, ab acerrimo Iudice Pilato, eoque simul ethnico, sententiam reportauisse, quae ipsum in faciem hostium declarauerit innocentissimum, nunc in publicum prodeuntem rursus, corona horridum aspectu spinosa, purpureaque amictum veste ita exclamasse ad populum: Ecce homo! Hem vero, quae turba malorum, quae petulantissimarum illusionum imbres irruunt heic in hunc Diuinum hominem, qui recti ubique consciam, quin vere sanctissimam habuit mentem. Sentio equidem, duo haec verba quoties pie attento reuoluo animo, duplici perfodere pectus acie ad profundissima penetrante, quarum altera plus quam glaciale relinquit gelu e sensatione illius extremi rigoris, qui corporis artus, animaeque facultates peccatorum pondere oppressas immobiles ad omne bonum reddit in homine Diuinitatis, eiusdemue imaginis experte, altera vero ima cordis penetralia non describenda replet lætitia, eiusque abyssum suauissime percutit, dum eodem mihi nunc in homine, aliis omnibus superiore, horumque amore ad imam humanitatis depresso scalam, adeo satisfacientem sistit plenissimae salutis Recuperatorem, ut nihil tanto magis optari posset Redemtore, nostrorum criminum pondera leuante, spinasque illorum nostris e conscientiis solide adeo euellente.

Quid

Digitized by Google

Quid enim quaeso, nonne vigilemus, auresque non minus ac oculos adesse iubeamus, cum adeo serio agi res obseruamus Optimi Seruatoris pro nobis, ut cauillationum patientissimo miseriarum confluxus verba exprimat: Ecce homo? Nonne vero haec, quae in sacro heic legimus codice, nos edoceant, infinita pro nobis praestitisse Diuinum hunc Fratrem nostrum, dum se nostris pro peccatis victimam dedit, filius aeterni Patris, cuius iustitiae mortalium hominum nemo, solus autem hic immortalis, par aeternitate satisfacere poterat. Is vero eluit, & extinxit scelerum nostrorum insignes maculas, ille suo soluit lytro nostra debita. Gratissimo agnoscamus, & aeternum grato animo haec in nos eius merita! Neque vero unquam dimittamus nostris ex oculis turpitudinem illam peccati summam, cui eradicandae tantum impendere laborem, cuius causa cruentos tandem profundere sudores, & pro parte humanae naturae opem ex altissimis implorare ac efflagitare denique coactus fuit Celsissimus noster Saluator viribus humanis fractus & emunctus omnibus. Imo vero recurramus etiam, ut hanc ruminaturi turpitudinem discamus erubescere profundius, ad primum hominem, unde ad nos translatus est hic aterrimus, quo notamur a natiuitate, carbo; Adamus ille plena quousque coruscauit imagine Dei,

Digitized by Google

libere in paradiſo exſpatiatus eſt nudus, quam primum vero transgreſſionis legis Diuinae ſibi maculam inuſſit, conſcientiae ſuae, mendacis nunquam noſtrarum actionum iudicis, monitis perculſus, inde pudore ſuffuſus agnouit, ſe nudum eſſe, ſtuduitque ſuum tegere corpus. Iuuabit huic primi hominis tegmini paulo longius immorari, & mihi Botanicae profeſſioni adſtricto breui ſermone quaedam proponere de *prima primi Adami lapſi veſte.* Argumentum eſt non iniucundum, nec Veſtra forſan A. O. O. H. indignum prorſus attentione, quare, ut conſueta me hodie quoque in audiendo beneuolentia, & patientia dignemini, multis a Vobis exoro atque contendo precibus!

Memorabilis admodum eſt locus, quo ſacer ille Hiſtoriographus Moſes circumſtantias deſcribit primi humani generis parentis, eiusque ſociae, nunc nudorum, nunc veſtitorum, ita vero ille Geneſeos Capitis tertii commate primo ex interpretatione Caſtellionis: Ceterum, quum eſſent Adamus, & eius coniux ambo nudi, tamen nihil erubeſcebant; mox autem, cum ſexto commate narraſſet: mulier ſumſit de fructu arboris, comeditque, praetereaque viro etiam

Digitized by Google

etiam suo dedit, qui & ipse comedit, septimo commate subiicit: Tum apertis eorum oculis ambo animaduerterunt, se nudos esse; confertisque ficulneis foliis fecerunt sibi subligacula. Nono dein commate legimus Iouam Deum, Adamum inclamantem: ubi es? cui ille: audita per pomarium Tua voce, territus, utpote *nudus*, abscondi me. Deus autem, quis ostendit tibi, te esse nudum, & quae sunt reliqua. Equidem praetereo plurima illa porismata theologica, quae deduci possent inde, meis videlicet altius posita oculis, nihil tamen vetat, mirari singularem illam Protoplastorum nostrorum verecundiam post lapsum, adeo studiosam tegminis, quae a nobis inter virtutes ponitur, & incuriam contra nuditatis in priore innocentiae statu; verum haec & alia non sunt huius loci, quare nunc potius ad praecipuum conuerto me problema botanicum, quod haec sacra historia continet, inquisiturus nimirum in vestem illam, seu subligacula ista, quae fecisse heic sibi leguntur primi Parentes e confertis ficulneis foliis? Quaenam igitur fuit vestis huius materia? quae folia ficulnea? qua e planta desumta? Nemo erit, qui somniare possit, fuisse folia ficus arboris, quae communiter nostro etiam tempore ita dicitur, hujus enim foliorum qui latitudinem nouit, & longitudinem, inde iam intelliget, non ea sufficere, vel inserui-

re posse commode tegendo corpori, quare ratio potius suadet, plantam quaerere atque suspicari talem, quae foliis & latissimis superbiat, & longissimis, quae specioso habitu suo uniuerso, quo eminuerunt arbores Horti Eden omnes, respondeat eius excellentiae, quae nostro etiam aeuo talem agnoscat Patriam, e qua nexum adhuc qualemcunque cum isto amœnissimo horto perspicere liceat.

Atqui vero singula haec quoad postulata non est planta, quae propius accedat, ac quidem illa palmis adeo affinis, quae triuiali nomine *Musa* dicitur *paradisiaca*, quare non dubito, subscribere verbis Celeberrimi Ioannis Gesneri, Luminis illius insignis Tigurini, quae in parte practica tertia phytographiae sacrae generalis elapso proxime mense ventilata p. 5, §. 3. ita effert: Musa paradisiaca verisimiliter Protoplastis primum subligaculum dederat, quo nuditatem tegerent.

Operae pretium erit, ire ultra, & indagine prosequi seueriore hanc plantam? Est e classe polygamiarum, earumque monoeciarum Linnaei, quam vocat Musam spadice nutante in speciebus, in horto autem Cliffortiano, & alibi, nunc Musam racemo simplicissimo, nunc Musam Clif-

fortia-

fortianam; Cluſio, Cæſalpino & aliis Muſa ſimpliciter dicebatur, Caſparo Bauhino in Pinăce audit: Ficus indica, fructu racemoſo, folio oblongo, vel Palma humilis, longis, latisque foliis; Plumierio & Boerhauio eſt Muſa fructu cucumerino longiori. Plinius Hiſt. naturalis L. 12. c. 6to ſcribit: Muſa, ſeu Pala maior alia pomo & ſuauitate praecellentior eſt, quo ſapientes Indorum viuunt, folium auium alas imitatur, longitudine trium cubitorum, longitudine duorum, arbori nomen Palae, pomo Arienae. Serapioni, Auicennae, Indis, quorum ſub climate domi eſt, Muſa, Maum, & Amuſa dicitur, Ficus Martabanis alibi, Acoſtae Muſa, ſiue Ficus indica, Ludouico Romano placuit nominare fructus poma paradiſi, quoniam ea comediſſe volunt Adamum; eſt haec planta, Platanus Ouiedi, & Indiae occidentalis, Melapolanda Indiae orientalis, Abella Inſulae Diui Thomae incolis appellata, Budaim in bibliis, vel Dudaim potius, unde Olaus Celſius in Hierobotanico p. 15. Maus, ſ. Muſa, quae de Dudaim ſcribunt, mire conueniunt cum Arabum Maus; Phyximilon Aeſchylo Tragico, Margraita, vel Margarita Graecis & Latinis, Muz Mauze Theueti, & Gemez Mauritanis, Paqaure Americanorum Theueti, Muſa pacoure Lugdunenſium, Ficus Pharaonis Arabis Medici Rhaſis, Serapioni & Auicennae Daracht,

Moris dicta quoad arborem, Lerio Pacoaire frutex. Dodonaeus refert: Musam, cuius folia Teenah dicuntur aliis, nunc in Syria Mose vocari, additque, Graecis, & incolis Christianis ac Iudaeis arborem censeri, de qua sibi a Deo prohibita comederit Adam, cui subscribit etiam Garcias; ita & Brocardus, qui Terram sanctam descripsit, nomine pomorum Paradisi fructus eius nominat, qui alias Quelli, & Guinensibus Bananas audiunt. Prosper Alpinus Libro de Plantis Aegypti capite vigesimo secundo p. 32. b. scribit: Musa, vel Mauz arbor apud Aegyptios vocata crescit in multis Aegypti locis, praesertimque Damiatae, olim Pelusii, ad mali punici magnitudinem, sed ramis caret, nam instar cannae folia sua spargit, quae sic longissima sunt, & latissima, ut sex, septemque cubitorum in quibusdam visa sit longitudo, & latitudo fere duorum. Linschottanus fere similia refert, cum scribit: folia ulnam, & ultra longa, tres lata spithamas (lapathii aquatici sex pedes longa, duos lata Lerio) in variam suppellectilem Indis in Goa cedunt, quibus & Turcae papyri loco utuntur; surculus saepe ducentis ficubus praegnans est, uuarum more in se compressis, unde procul dubio Caspar Bauhinus denominationi suae, quam pinacis p. 508, nro I. habet, quaestionem adiecit, an uua, quam e benedicta terra Mosi attulerunt?

Digitized by Google

lerunt? acini, e quibus dependent, tantam saepe in molem grandescunt, ut a binis baiulis transuersa pertica vix gestari queant; fructifera est toto anno, Indis quotidianum largitur commeatum; e foliis in Insula Capul supparum conficiunt, quo corporis partem inferiorem, & pudenda tegunt. Doleo equidem, si quid botanice doleo, speciosissimam hanc plantam, Hortulanis vulgo Pisan, aut Bisang dictam, emarcuisse in horto nostro academico Tubingensi, qui ante septem hos, & quod excedit, annos lætissime virentem illam, & notabilem iam ad altitudinem elatam exhibuit, at nostri quidem climatis est impatientissima, nec nisi laboriosissima educatione, summam attentionem exspectante inter nos conseruari potest. Plura qui de illa scire cupit, adeat Prosperum Alpinum de plantis Aegyptiorum loco iam indicato, & eiusdem librum quartum de Medicina Aegyptiorum de medicamentis alterantibus, quorum est apud Aegyptios usus, Libro primo pag. 117. b. euoluat autem praecipue plenioris huius paradisiacæ plantae cognitionis cupidus Ioannem Bauhinum, quippe qui Historiae plantarum uniuersalis Libro primo, capite septuagesimo quarto de *Musa*, p. 148 & seqq. totius plantae habitum, partes omnes, fructum, natales locos, tempus & sationem, vires medicatas omnes, vel efficaciam in huma-

num corpus qualemcunque, utendi modum, & quaocunque alia, ſcitu neceſſaria, e claſſicis Auctoribus antiquis adeo prolixo deſcribit calamo, ut mea nunc de hoc argumento tranquille ſilere Muſa poſſit, poſtquam Vobis, A. O. O. H. in Muſa Botanicorum depinxit primam primi Adami lapſi veſtem, quantum aſſequi ratio poteſt, adeo aptam in Paradiſo eius, & uxoris nuditati tegendae, ut commodior excogitari nulla pro ea mundi periodo queat, veroque propius accedat nulla, quae tum temporis ad manum eſſe potuerit.



EIVS.

EIVSDEM

SERMO ACADEMICVS

DE

ANNIS CLIMACTERICIS.

D. X. FEBR. 1762.

Aetate non modo corpora mutari noſtra, ſed & ſingulares per ſingulas huius periodos mutationes ſubire, obſeruationis eſt antiquiſſimae, vulgo non minus tritae, ac ipſis Medicis; eleganter hanc populi vocem, & communem in ea re conſenſum decantat Ouidius, Metamorphoſium Libr. XV. dum fabula tertia quatuor anni periodos comparat cum periodis humanae vitae, ita enim ille:

Quid? non in ſpecies ſecedere quatuor annum
Aſpicis, aetatis peragentem imitamina noſtrae?
Nam tener, & lactens puerique ſimillimus aeuo
Vere nouo eſt: tunc herba nitens, & roboris expers
Turget, & inſolida eſt, & ſpe delectat agreſtes.
Omnia tum florent, florumque coloribus almus
Ludit ager: neque adhuc virtus in frondibus ulla eſt.

Tranſit

Tranſit in aeſtatem poſt ver robuſtior annus,
Fitque valens iuuenis: neque enim robuſtior aetas
Ulla, nec uberior, nec, quae magis ardeat, ulla eſt,
Excipit autumnus, poſito feruore iuuentae
Maturus, mitisque inter iuuenemque ſenemque
Temperie medius, ſparſus quoque tempora canis.
Inde ſenilis hiems tremulo venit horrida paſſu,
Aut ſpoliata ſuos, aut quos habet, alba, capillos.
Noſtra quoque ipſorum ſemper requieque ſine ulla
Corpora vertuntur: Nec quod fuimusue, ſumusue
Cras erimus.
Editus in lucem iacuit ſine viribus infans:
Mox quadrupes, rituque tulit ſua membra ferarum,
Paulatimque tremens, & nondum poplite firmo
Conſtitit, adiutisque aliquo conamine neruis.
Inde valens, veloxque fuit, ſpatiumque iuuentae
Tranſit, & emeritis medii quoque temporis annis,

Labi-

Digitized by Google

Labitur occiduae per iter decliue fenectae.
Subruit haec aeui demoliturque prioris
Robora. Fletque Milo fenior, cum fpectat inanes
Illos, qui fuerant folidarum morte ferarum
Herculeis fimiles, fluidos pendere lacertos.
Flet quoque; ut in fpeculo rugas confpexit aniles
Tyndaris, & fecum, cur fit bis rapta, requirit?

Quos vero fic in homine difcernere licet effectus ab hac aetatis mutatione, eosdem venatoriae, totiusque Hiftoriae naturalis attentiores fpeculationes uniuerfo animali regno communes effe docent, unde idem Nafo aliquam naturalium harum metamorphofium particulam in genere brutorum cornigerorum defcripturus, cornuaque, inquit, exuitur, nec non cum cornibus annos. Recurramus autem ad hominem, vifuri propius producta mirabilia illius mutationis, quam fola parturit aetatis alterata ratio.

Res eft experientiae, nec veritas longis demum anxiae ratiocinationis titubantibus ambagibus eruta, magnam effe vim mutationis aetatum, uti ad inducendas morbofas difpofitiones, fic ad vincendos etiam, & auertendos morbos plurimos,

Digitized by Google

mos, fabricam, texturamque ſolidorum ipſo dierum, annorumque flumine mutari notabiliter, eamque firmitatem perpetuo creſcentem per gradus, alios etiam conſiſtentia, colore, ceterisque qualitatibus reddere atque ſiſtere nobis humores, unde non poſſunt non actiones & functiones multae, tam priuatae, quam publicae, tum partium, tum integri, & totius corporis nouis prodire ſcenis. Audiamus effectus ſua de cauſa teſtantes: Homine in lucem edito, ſeptimo vitae menſe dentes moliuntur exitum, & erumpere ſuis ex alueolis incipiunt, menſe bis ſeptimo ventriculus tantum adeptus eſt robur, ut ſolidiorem capere cibum, & digerere poſſit, ter ſeptimo menſe pedes firmitatem ad inceſſum induunt, & lingua volubilis verba efferre incipit, ſeptimo anno primi excidunt dentes, mentisque actiuitas, ſenſuum internorum, & ingenii efficacia laetius germinare occipit, anno bis ſeptimo pili ad pubem excreſcunt, in ſequiore ſexu catamenia prodeunt, in teſtibus virilibus ſpermatici liquoris praeparatio incipit fieri. Inde ad annum ter ſeptimum usque corpus in longitudinem, caputque in volumen debitum excreſcit, barba in mento virili comparet, vox fit ſonora, mentisque facultates altiores emicant, nobiliores, multoque magis expeditae, a vigeſimo quinto ad trigeſimum quintum annum corpus latitudine

dine magis augetur, oſſa ſolideſcunt magis, membra ſingula firmitatem contrahunt maiorem, & robur, corpori maxima eſt agilitas, animo ingenioque vigor ſummus. Tum perſtat idem corporis robur ad quadrageſimum nonum usque annum, quo ſenſim remittitur, ſoluitur, unde in feminis etiam menſium ſubſiſtit fluxus, in viris generandi potentia decreſcit, magis autem aetate ingraueſcente, ipſamque ad ſenectutem transferente hominem plus quam ſucceſſiue obſeruas ad occaſum vergere corporis, animique vires, actiones autem vacillare, labaſci tandem tam vitales, quam animales, & naturales. Omnes autem has corporis, & oeconomiae animalis reuolutiones ineuitabiles quis non intelligat, ſub illis, quibus expoſitum eſt noſtrum corpus, externis conditionibus, idem corpus obnoxium reddere plurimis morbis, vocant Medici morbos aetati congruos, eorundemque numerant pene innumeros. Amplum eorum indicem legas in Diſſertatione B. Frid. Hoffmanni de aetatis mutatione, morborum cauſa & remedio, quae catalogum etiam eorum habet, quibus aetates ſingulae certe a potiori excipiuntur, ita quidem, ut ipſae remedii loco cenſeri queant, ſed ſuccinunt eidem axiomati aliae plurimae obſeruationes, quas & ab Antiquitate habemus, & a recentioribus confirmatas, illuſtria hanc in rem paſſim loca

loca Hippocrates habet, ita Sect. III. aph. 28. scribit: plurimae affectiones pueris iudicantur partim in quadraginta diebus, partim vero 7. mensibus, partim ad pubertatem accedentibus. Quicunque vero pueriles morbi perdurant, nec prius desinunt, quam ex ephebis egressi sunt, aut prius feminis, quam inceperunt esse menstruales, consenescere consueuerunt; & alibi de morbis epilepticis monet, scilicet, Sect. II, aphor. 45. iuuenibus comitialium liberationem faciunt mutationes, maxime aetatis, & aëris, & regionum, victuumque. Dein Sect. VI, aphor. 7. quibus epilepsiae ante pubertatem contingunt, mutationem accipiunt, quibus vero accidunt viginti quinque annos natis, iis plerumque commoriuntur. Simile fere huic Celsi effatum est, quod habet capite octauo libri II. Morbus, inquientis, comitialis post annum vigesimum quintum ortus aegre curatur, multoque aegrius is, qui post quadragesimum annum coepit, adeo ut ea in aetate aliquid in natura spei, vix quidquam in medicina sit. Suetonius narrat: Caligulam Imperatorem aetatis beneficio ab epilepsia esse liberatum. Plura desino addere testimonia, cum haec sufficere possint; progredior autem nunc ad *annos climactericos*, vernacula: Stuffeniahre, Staffeliahre, quos ideo tales nominant, quoniam singulorum quasi

lapsu

Digitized by Google

lapſu homo tanquam per gradus & ſcalas ad perfectionem, viriumque robur fertur, curſuque poſt retrogrado ad decrementum earundem, vitaeque interitum deſcendit; hinc vocis etymologiam repetunt a graeco κλίμαξ, κλίμακος, quod ſcalam, ſeu gradum ſignificat, unde vernacula etiam dicit: Stuffeniahr. Ita certus annus, isque a natiuitate ſeptimus, dictus olim fuit climactericus, vel ſcalaris, fatalis, decretorius, quem ſucceſſiue per ſcalas quaſi aſſecuti pro eo deberemus habere, qui vitae inſignem aliquam mutationem, periculi minacem ob coniunctam Naturae quaſi reuolutionem portenderet. Ex his vero ſeptenariis annis periculoſus maxime fuit aeſtimatus, aterrimoque notatus lapillo annus aetatis quadrageſimus nonus, quinquageſimus ſextus, & ſexageſimus tertius, qui heroicus dicebatur, graecis ἀνδροκλᾶς, quia virum frangit & debilitat. Nonnulli Veterum nouenarios etiam annos pro climactericis habuerunt, plures tamen unanimi conſenſu ſeptenario ſubſcripſerunt numero. Ab omni etiam aetate diuiſerunt in leuiores, id eſt, periculi expertes, certe parum eius habentes, temperatos, tranſitorios, & grauiores, magis periculoſos, formidoloſos, difficiles, imo quandoque lethales; priorum claſſi adſcripſerunt annum VII, XIV, XXI, XXVIII, XXXII, XXXV, poſteriorum angenti

turbae subiecere annum XLIX, LIV, LXIII, & LXX.


Iam vero non dubitamus quidem, quin recte olim, & composita pietate, non superstitionem tantum superante omnem, sed & panicos ridente terrores a Medicis incussos, responderit olim cuidam gratulanti, quod annum transcendisset climactericum, Maximilianus II. Imperator: omnes vitae suae annos ipsi esse climactericos, & ipsum sexagesimum quartum, aliosque dein se magis aestimare, quam sexagesimum tertium, decretorios climactericos maleficos, quia mortis diei sint propinquiores; cum tamen omnia sollicite pensitamus problematis momenta, in quibus eius cardo vertitur, animaduertimus quidem: indulsisse modo Veteres, modo recentiores Medicos non dissimulandae superstitioni, quam septenario immolabant numero, modo inconstantiam prodere aliquam ad nouenarium etiam excurrentem numerum, damus porro: rationes educationis a primis incunabulis, mutatum saepe victum, clima, vitae genus, forte politicas etiam constellationes varias, morbos, & alia sexcenta, posse Proteum hominis multoties in alias atque alias fingere formas, ita quidem, ut, qui post annos mente sibi dispar est, in compage corporis etiam, eiusdemque oeconomia tot vicissitudines

Digitized by Google

nes patiatur, quot ſufficiant extinguendis characteribus ab annis climactericis impreſſis, & ſupprimendis illis, ut in ſyſtemate neruorum perturbationibus, ſic in ſyſtemate vaſorum orgaſmis, undarumque fluentium tumori, hos comitantibus annos ex iſta reuolutione; largimur ulterius: indiuiduales hic & ibi locum exceptiones inuenire, quae toties hominem ab homine diſtinguunt, ex particulari, huic illique propria fabrica corporis, quae definitum adeo periodorum climactericarum terminum non admittat; verum enim vero, prouti haec exempla rariſſima certe ſunt, ita ſane contrariae multae ſunt obſeruationes, quae nos edocent, humanam naturam ſuarum legum eſſe tenaciſſimam, atque in arduis illis oeconomiae ſuae operationibus, quibus determinatis temporibus maioris momenti cataſtrophen molitur, circulos perturbari ſuos nolle unquam, ſed promtum expectare virium corporearum omnium obſequium, hoc eſt experientiae, quae noſtram fecit artem, exemplo monſtrante viam iuxta Manilium! quodſi autem volumus, ut oportet, in his etiam rebus phyſicis, & medicis affigere pondera potius credulitati, quam addere tantum plumas, ut Bagliuus exprimit in Diſſertatione de Tarantula, cedere profecto debemus veritati, quae nobis repetitis argumentis & ex-

Digitized by Google

perimentis omni ratiocinio ſuperioribus confirmat, nunquam eſſe per accidentales nominatas cauſas mutabilem fibrarum & ſolidorum noſtri corporis viui compagem, adeoque nec legem, cuius executio hac immutabilitate nititur, ſcilicet ſi cetera ſint, maneantque paria, nullaque vis omnibus nominatis maior, vel externa, vel interna has fibras, haec ſolida in totum ſoluat, deſtruatque, quare dum hos admittimus ſano ſenſu climactericos annos, adeo non aſſoticae vitae pollicem premimus, quaſi vero extra hos annos moriendi nulla porta & occaſio eſſet, ut potius ad animum reuocare ſerio moneamus omnes noſtras limitationes, tantoque magis, quoniam licet prorſus conuicti aſſeramus: dari annos climactericos, de numero tamen aſſignato hactenus hinc & inde dubitamus, cum vis ponderum huic affigendorum credulitati ex unita vi multorum annorum, & myriadum obſeruatorum pendeat. Haec autem de hoc argumento dixiſſe ſufficiat!



EXER-

Digitized by Google

EXERCITATIO CRITICO LITERARIA DE ALLEGATIONIBUS LIBRORUM NOVIS ACCESSIONIBUS COMPLURIBUS AUCTA

A
FERDIN. STOSCHIO,
S. T. D. & V. D. M. Gymn. Reg. Ioachim. Berolini
Prof. P. O. & Ephoro, Soc. lat. Ienens. &
Teuton. Goetting. & Bremens.
Collega.

---

§. I.

Non deesse in republica literaria, hoc in primis, quod viuimus, seculo, qui, ubi scriptum aliquod in dias luminis auras prodire iubent, in eodem insignem aliorum auctorum multitudinem allegent, nemo est vel in illius pomoeriis adeo hospes, ut ignorare queat. Nulla enim dies abit, qua non eiusmodi libros, quin paucarum tantum plagularum commenta-

Digitized by Google

tiunculas procudi videas, in quibus tot ferme (si non plura interdum) allegata reperias, quot pertractata, & in quibus permulta eruditorum nomina maioribus literis distincta satis superque ostendunt, quantopere iis excitatis auctor delectetur ac sibi plaudat, quantamue iam eruditionis laudem promeruisse sibi videatur. Equidem ego ab eorum me partibus non adeo alienum esse lubens profiteor, qui morem istum improbandum esse censent, judicantque, scriptores illos laureolam in mustaceo quaerere, atque adscitis illis ornamentis alienisque corrasis opibus, in quem censum redigendi sint, semidoctorum nimirum & micrologorum, ipsos ut plurimum prodere tam clare, ut clarius non possint. Attamen, etiam hoc dum ferimus iudicium, coelitus illud delapsum: *ne quid nimis*, animis nostris obversetur necesse est; ne partim ad omnes ac singulos illud adplicemus, certaeque ac uniuersalis regulae loco habeamus; partim vero, ne omnes in uniuersum damnemus, etiam sat magno numero allegationes. Non enim solum magni quidam viri, & quibus solidae eruditionis gloria dubia reddi nequit, suo exemplo suaque auctoritate intercedunt: (*a*) sed & in aliis aliisue argumen-

(*a*) Tales sunt. e. g. *Gerdesius*, *Ikenius*, *Io.* v. d. *Honert*, *Zor-*

argumentis & doctrinis exponendis historicis praesertim philologicis & antiquariis in rebus, non exiguae utilitatis res esse, imo interdum vix ac ne vix quidem euitari potest, complures indicare fontes, complures adferre sententias dissonantes, complures denique aut testes veluti aduocare aut iudices; quin accidit non raro, ut ipsum siue grati animi, siue candoris, siue tandem laudis bene meritis viris tribuendae officium, suo quodam iure id a nobis exigere videatur. Quotusquisque est, qui inficias ire velit, ex accurata auctorum, qui thema nostrum aut data opera pertractarunt, aut ad eius illustrationem aliquid contulerunt, recensione, historiam literariam specialem multum foenerari? (*b*) Quis porro est, qui non consideret, in tanta hodie librorum multitudine fieri vix ac ne vix quidem posse, ut eosdem libros lectores omnes possideant, quos ipsi possidemus, sed alii alios; singulis autem unum saltem, quem adeant, eo facilius monstrari posse fontem, si plures simul indicentur, qui de argumento egerunt? Quis denique est, qui non intelligat, compendiariam sic saepe viam iniri? taediosumque & nobismet & lectoribus ne-

Zornius, *Pfaffius*, *Walchii*, *Kislingius*, *Schlichterus*, *Koecherus*, *Zeiblchii*.

(*b*) Conf. *Heumanni* conspect. reip. liter. c. I. §. 8.

gotium multa post alios repetendi, quin ex iis exscribendi, commode effugi posse, ubi satis scriptorum, unde ea peti queant, laudauerimus? Quis tandem est, qui non illos potius accuset, ac plagii cuiusdam reos pronuntiet, qui eorum, quibus sua debent, nomina ingrati tacent, quam hos, qui, quos ipsi consuluerunt, plures, aliis etiam consulendos ingenue commonstrant? Ut praeterea taceam, mediocriter doctos mediocriter doctis plerumque nos scribere, quorum e re est, ad librorum notitiam magis ac magis erudiri; atque eorum quoque lectorum imbecillitati dandum aliquid interdum ac succurrendum esse, qui ducem sequi detrectant, nisi complurium auctoritate stipatum, & apud quos nomina plus saepe valent, quam argumenta.

§. II.

Non itaque nimis rigidi simus censores. Per nos liceat illis, qui eius rei sonticas sibi caussas habere videntur, permultos allegare libros, & vel aciem quandam auctorum instruere. Sed & illi vicissim nobis concedant, ut iustam ab iis exigamus methodum debitamque ἀκρίβειαν, ne inepte, vitiose, quin ridicule, illud fiat. Verum enim vero, quum magnus ipse interdum dormitet Homerus, & exempla passim prostent, quod eru-

eruditiſſimi etiam homines, & tales, qui in aliis excitandis parciores ſunt, hac in re, ut in aliis, facile humani aliquid pati queant, non inutile videtur, praecipuas quasdam proponere regulas, quas ſi obſeruauerimus, non ſolum errores literarios in allegationibus non temere committemus, ſed & utiles illas ac non iniucundas reddere poterimus. Has regulas exemplis quibusdam illuſtratas dabimus, in quibus ſi celebrium ſubinde virorum peccata adnotata occurrant, ea aequus lector ſua ſponte iudicabit non eo fine a nobis adferri, ut eorum rodamus famam, ſed ut vel hinc nos alii eo cautius mercari diſcamus, eoque maius adhibeamus ſtudium, ne in talia incidamus, quo facilius ipſi incidere poſſumus. Caeterum, quum duplex allegationum ſeu citationum (ſit venia verbis) genus conſtitui poſſit, alterum auctorum & ſcriptorum, alterum ex his rerum ac verborum, de utroque in his regulis quaedam dicemus.

§. III.

Regula itaque prima haec eſto. *Nullus excitandus eſt auctor, qui non antea probe notus nobis ſit.* Secus qui agunt, illi ſiue circa nomen, ſiue circa patriam auctoris, ſiue circa alia, quae ad eum pertinent, facile errare, aliosque

in errorem abripere poterunt. Sic BARTHOLOMAEUM PLATYNAM adpellandum esse, quem BAPTISTAM PLATINAM alii vocant, docet cel. HEUMANNUS in *consp. reip. liter. cap. IV.* §. 47. *not. ee.* IACOBUM BARADAEUM cum BARADATO confundi docet P. E. IABLONSKI *in instit. hist. Christ. p.* 117. SAGITTARIUM notavit ITTIGIUS *de script. hist. eccles. p.* 6. (*c*) quod in *introduct. ad hist. eccles. p.* 270. inter doctores septimae centuriae retulerit CLEMENTEM ARELATENSEM, pro quo CAESARIUM ARELATENSEM nominare debuisset; PETRUM BURMANNUM, Belgam illum κριτικώτατον, auctor diarii Gallici *nouvelle biblioth. Tom. XIV. p.* 35. (*d*) quod CYRILLUM ANCONITANUM hominem *Graecum* adpellauerit, quum tamen, praeter magnum illum Italorum numerum, qui eum patriae suae vindicent, ipse natalem sibi urbem *Anconam* esse testetur. Eundem virum celeberrimum MARTINUM & HENRICUM SMETIUM confudisse, notatur in *observ. misc. crit.* *nou.*

(*c*) Vid. eund. ibid. p. 20. 28. 37. 65. & T. II. p. 13. Similes *Spanhemii* & *Millii* errores in hist. eccl. literaria indicat *Hallettus* in comment. de auct. ep. ad Hebr. §. IX.

(*d*) Add. *Hultmanni* miscell. epigr. p. 149.

Digitized by Google

nou. Tom. IX. p. 359. HENRICUM PONTANUM, professorem huius seculi Ultraiectinum haud incelebrem, IACOBUM adpellatum videre potes in *actis Societ. Lat. Ienensis Vol. III. p.* 329. Magnum inter Belgas Iureconsultum, CORNELIUM BYNKERHOLK, magnus Germaniae polyhistor, I. A. FABRICIUS *bibl. Lat. Vol. III.* HERMANNUM nominauit, notante REINOLDO in *opusc.* a cl. IUGLERO editis *p.* 711. Qui idem in *bibliotb. Graeca Vol. I. praef. p.* 1. *it. L. IV. cap. II. p.* 86. *c. V. p.* 123. & alibi pluries, ut & ARCHIB. BOWERUS in *hist. pontif. Rom. edit. Belg. Tom. I. p.* 21. communem errarunt errorem, quo celebri Scriptori Gallo, ELLIES DU PIN, nomen ELIAE tribuitur. In diario Belgico *Boeksaal* dicto, IOHANNES HENRICUS A LOM, professor philosophiae Harderouicenus, male *Ludolphus Henricus Lommius* audit. AUGUSTINUS VAN STAVEREN, scholarum Lugdunensium in Batauis rector meritissimus, ab HEUSINGERO nomine ARNOLDI insignitus fuit; ut ipse animaduertit in *notis ad* CORN. NEPOTEM *minore forma editum p.* 18. Sed ohe! iam satis est. Plura eiusmodi errorum in eruditorum nominibus exempla, quae singula inde repetere non lubet, adtuli in *Europae eruditae part. IX. p.* 105. *part. XI. p.* 650. 651.

Digitized by Google

651. & 732. Alia obſeruauit CASP. BURMANNUS in *Traiecto erudito p.* 13. 23. 24. 79. 155. 182. 192. 248. 280. 295. *&c.* Pergo ad errores circa patriam doctorum hominum admiſſos. Iam olim LUCIANUS *opp. Tom. I. p.* 619. *edit.* GRAEUII, inepto cuidam hiſtorico exprobrauit, *quod neque Parthus, neque Meſopotamita eſſet, inter quos relatum ſe egregius iſte ſcriptor collocauerit.* IANUS ANDR. HULTMANNUS in peregregio *miſcellaneorum epigraphicorum* opere *p.* 149. 150. PHILIPPUM DE STOSCH, *baronem Danum* vocat; quum tamen is Cuſtrino in Marchia noua oriundus, & a Carolo ſexto Caeſare baronis dignitate auctus fuerit. In diario Germanico, *Auszüge aus den Theolog. &c. diſp.* 1738. *P. IV. p.* 214. ex GE. LUDOV. ROLOFFII ſub cel. BAUMGARTENII praeſidio Halae 1737. ventilatis *obſeruationibus de concilio Tridentino, quantum per illud melior deteriorque facta fuerit eccleſia Romana*, ibidem recenſitis, IO. FRANC. COURAYERIUS *Anglus* vocatur, quem tamen *Gallum* natione fuiſſe conſtat. Similiter ELSNERUS iu *comment. in ep. ad Philip. p.* 708. *in not.* adnotat, I. C. WOLFIUM male CAR. DAUBIZIO *Angliam* adſignare patriam. De errore, tum LAMBECII, tum BAILII, circa patriam IO. AUENTINI admiſſo, videſis SIM.

PEL-

PELLOUTIERIUM in *nouu. biblioth. Germanique Tom. IV. P. 2. p.* 268. 269. Alios circa religionem auctorum excitatorum erraſſe videas. Sic STEPH. IORDANVS in vita LACROZII Gallice ab eo ſcripta BERGERUM adpellat, *paſteur d'une des egliſes* reformées *de Berlin*, quum tamen hic in hac ipſa urbe *Lutheranae* confeſſionis miniſter fuerit in eccleſiis Fridericopolitana & Hieroſolymitana; cuius non inerudita quaedam exſtant ſcripta. Sic viciſſim BUSCHINGIUS in *introd. in ep. ad Philipp. p.* 58. inter *Lutheranos* in hanc epiſtolam commentatores ponit IO. C. KESSLERUM, qui tamen *reformati* coetus ſacra Bremae adminiſtrauit; nec commentarium, ſed quasdam tantum in illam obſeruationes, quas WOLFIUS aliquoties laudat, edidit. Mirum plane, quod DAHLEMANNUS in *Schauplatz masquirter und demasquirter Gelehrten*, theologum eccleſiae noſtrae celeberrimum I. H. HEIDEGGERUM, *Ieſuitam & profeſſorem Tigurinum* nominet, *p.* 190. Humano capiti ceruix equina. (*e*) Alii denique in ſede, commorationis loco & munere adſignando peccarunt; prouti I. C. WOLFIUM in *curis philol. & crit. N. T. Tom. II. p.* 553. BATTIERIO, profeſſori Baſileenſi, Lauſannen-

(*e*) Conf. ſimilem errorem in biblioth. raiſonnee Tom. L. P. II. p. 421.

ſannenſem cathedram tribuiſſe, notat venerandus GERDESIUS in *diſp. XII. ad* 1 *Cor. XV. p.* 24. *Laubanenſem* in *Lubenenſem* ſcholam commutauit IKENIUS. Vid. *miſc. Lipſ. noua vol. V. P. I. p.* 60. Diarium Gallicum, *bibliotb. des ſcienςes & des beaux arts P. XV. Tom. II. p.* 499. ALEX. GOTTL. BAUMGARTENIUM, profeſſorem in academia Francofurtana ad Viadrum non ita pridem fato functum, Halenſi adſignat academia. Singulare mihi exemplum occurrit, quod praetermittere non debeo, in his viri multis ſcriptis perennem nominis famam adepti verbis: *Fuit noſtro tempore vir doctus, Io. Heynius, ſcbolae Aldricenſis in comitatu Brandenburgico rector, qui edito Berolini* 1742. *de cometis libro &c.* Vide I. G. ALTMANNI *exerc. philol. crit. de ſtella magorum duce* in *Muſaci Helu. Partic. IX. p.* 60. Unum tantum HEYNII de cometis librum memorari, licet plura illius de hoc argumento ſcripta exſtent, facile excuſatur. Maius eſt, quod *comitatus* Brandenburgicus dicatur, qui hodie certe *marcbionatus* aut *electoratus* non poteſt non ab omnibus adpellari. Et tamen *comitatum* dixit, quum *urbem* nominare debuiſſet. Sed quae tandem *ſcbola* illa *Aldricenſis?* Res haec eſt. Vir ille ſomniis ſuis de cometis ſatis notus, fuerat tum rector *ſcbolae* ita dictae

Sal-

Saldriae in urbe Brandenburgo (der Saldrischen Schule zu Brandenburg.) Huic non absimile est aliud in diario Gallico, *nouu. biblioth. German. Tom. XXIII. Part. II. p.* 452. ubi laudatur cl. DUSCH, *professeur a Christianaeo;* pro quo dicendum fuisset: *au college dit Christianaeum.* Intelligitur autem gymnasium Altonauiense, non urbs *Christianaeum* dicta. Addo istud de *insecto-theologia* reu. LESSERI in *nouv. biblioth. Tom. XIV. p.* 267. scriptum: *On en est redevable a Mr. Frederic. Christian* Lessers (sic scilicet in germanico exstabat genitiuus) *Pasteur de l'eglise* de Fauenberge dans la ville de *Nordhausen.* Illi ipsi denique, qui in clarissima literarum luce vixerunt, si paullo diligentiores fuissent antiquitatis inuestigatores, non Ateio philologo Ateium Capitonem iurisconsultum substituissent; non Tertulliano illo presbytero consule dixissent factum esse senatus consultum Tertullianum; non hoc denique commisissent, quod incredibile videtur, sed est verissimum, ut, quum fontes vellent indicare, quos ipsi nunquam viderant, iuris studiosos ad Alexandrum ab Alexandro ire iuberent, atque hunc scriptorem cum Dionysio Halicarnasseo & A. Gellio fide & auctoritate exaequarent. Verba sunt cl. RUCKERI in *orat. inaug. de subsidiis futuro ICto necessariis p.* 41. 42.

Gronin-

Digitized by Google

Groningae 1752. 4. Non dicam nunc de *Lexico eruditorum* IOECHERIANO, in quo quot quantiue errores in uno eodemque docto homine bis, falſo ſaepe nomine, commemorato deprehendantur, luculento ſpecimine probatum dedit cl. OELRICHS in *Beytraegen zur Geſchichte der Literatur p.* 287. & *ſeqq.*

§. IV.

Sequatur hanc regula ab ea non multum diſcrepans altera. *Nulli allegandi ſunt libri, quos non ipſi inſpexerimus, & quos non aut nunc, quum ſcribimus, ad manus habemus, aut ſaltem aliquando fideliter & accurate adnotauimus & excerpſimus.* Contrarium qui faciunt, in quam miros incidant errores, ſequentia doceant exempla. Scire vellem (ſaltem eum me ignorare nec detegere potuiſſe fateor) quis ſit ὁ διάλογος μέγας Γρεγόριος, *magnus Gregorius dialogus*, quem ex NICEPHORI *hiſt. eccl. L. III. c.* 32. FALSTERUS in *amoenit. philol. p.* 105. in ſcenam producit. Riſum teneatis amici! AMBROSIUS DE ALTA MURA, theologus pontificius libellum *Interim* cum *Auguſtana confeſſione* mire confudit. Ita enim ſcribit: *Quem haeretici* interim *vocant, eſt liber, qui etiam nuncupatur* Auguſtana confeſſio, & *iſte liber*

liber complectitur sex capitula; referente cl. GEORG. GOTHOFR. KüSTERO in *bibliotb. hist. Brandenb. p.* 211. A. MIRAEUS poetam Italum, GUARINIUM scriptoribus ecclesiasticis accenset, opinatus, notissimum illius poema, *il pastor fido*, de officiis clericorum agere. POETIUS, sine iudicio compilator, in *bibliotb. portat. exeg. bibl. p.* 236. inter commentatores in apocalypsin Iohannis refert: *Les secrets de l'apocalypse de S. Iean, expliquez par Mons. Gros. Se vend chez les mesmes.* 1663. 4. PETR. ZORNIUS in *praef. ad bibliotb. antiquar. & exeg.* haec habet. I. A. FABRICIUS in *bibliogr. antiquar. cap. VIII.* §. 12. *p.* 250. affirmat ABRAHAMUM SELLERUM in antiquitatibus Palmyrenis cap. III. de *Ioue Marna* commentari: at falsus est. Perlegi integrum SELLERUM a capite ad calcem; nihil ibi occurrit, quod ad Iouem istum spectet; ut iam sim persuasus, FABRICIUM nec vidisse unquam SELLERUM, nec legisse. ANNA COMNENA Alexii, patris sui, res gestas scripsit sub titulo *Alexiadis.* Qua de re, notante HEUMANNO *l. c. p.* 479. IO. MICRAELIUS in *praef.* ad suum *syntagma* historiarum ita scribit: *Annas Alexias, historicus, res ab Alexio patre imperatore gestas libris XX. edisseruit.* Ex CAR. GOTTL. HOFFMANNI, theologi hodie Vite-

bergensis grauissimi, *commentatione de genuina linguae Graecae modulatione sine accentibus. Lips.* 1729. 1733. quod Florentinum *codicem pandectarum Graeco idiomate concinnatum* dixerit, *Æsculapiique*, tanquam *Graeci scriptoris*, mentionem fecerit, salse notat cl. MICHAELIS in *Einleitung in die Goettliche Schriften des neuen Bundes p.* 74. 75. Lepidum plane & ridiculum est, quod IOH. GUIL. FRID. PAGENSTECHERUS, in dedicatione Gallica editionis primae Steinfurtensis libelli *de barba* ad comitem Isabellam, oden PINDARI in honorem reginae Portugalliae commemorauerit. *Fallitur* MANUEL CAIETANUS DE SOUSA, *qui in* notit. topogr. episcopatuum p. 301. *ad calcem* commentariorum acad. regiae Ulyssipponensis 1735. *memorat* IACOBI LABETII gloriam *Laodicensis* ecclesiae in 8. *Nam verum est*, IAC. LABBETIUM, S. I. *edidisse* gloriam *Leodiensis* ecclesiae. Leodii 1666. 8. Verba sunt I. A. FABRICII in *ind. geogr. episcopatuum* subiecto *luci euangelii salutari &c. p.* 96. Lege & hanc S. I. BAUMGARTENII in *authentia doxologiae Matth. VI.* 13. *vindicata* § *XXV. p.* 39. animaduersionem. *Quae celeberr.* BREITINGERUS Mus. Helu. Tom. V. partic. 18. §. 6. p. 238. *ex hoc* GREGORIO *protulit reliqua, his verbis:* quam coniecturam - - - - infinitis pro-

pe

Digitized by Google

pe locis, *nusquam apparent apud* GREGORIUM NYSSENUM, *sed, insigni & memorabili errore, ex* JOH. GREGORIO *seu* GREGORY, *saeculi XVII. scriptore* Anglo, - - *ad vetustissimum saeculi quarti scriptorem* Graecum *transferuntur; qui neque* euchologion, *neque* typicon *ecclesiae* Graecae *excitare potuit.* V. KRANZIUS in *comp. hist. eccles. prooem.* §. 4. LUDOV. LUCIUM centurias fide non optima in compendium contraxisse scribit; tanquam professor ille Basilaeensis centuriarum aliquam epitomen instituisset: quum tamen ipsas ediderit tribus voluminibus centurias, istaque editio ob haec duo tantum atro carbone a theologis Lutheranis notetur, quod praefationes & subscripta auctorum nomina ex editionibus prioribus non retinuerit, sed omiserit; & quod in quibusdam locis verba centuriarum mutauerit, ac doctrinae reformatorum consonantiora reddiderit." Idem aliquanto post HENR. ALTINGIUM compendiorum hist. eccles. scriptoribus connumerat, quum tamen tale sub nomine eius non exstet, sed *historiam ecclesiarum Palatinarum* dederit, & inter manu eius exarata post obitum illius reperta fuerit, *medulla historiae profanae*, quae dicitur esse illa ipsa historia, quam sub suo nomine publicauit DAN. PAREUS. Vid. BAILE *diction. p.* 180. *nota F. tit. ALTING.*

GILBERTVM WEST in libro de resurrectione Christi Anglice scripto, Iudaeum quendam, ZAMUCH DAUID laudare, quum notum librum R. DAUID GANS צמח דוד inscriptum allegare debuisset, obseruatum reperio in *Berlinisch. Bibliotb. vol. II. p.* 669. (*f*) In scripto periodico: *Nachrichten von kleinen Erklaerungs-Schriften der Goettl. Offenb. P. II. p.* 108. male distinguuntur tanquam duo scripta: FECHTII *disp. de canonica apocalypseos auctoritate*, atque GUSTAU. SCHROEDERI (seu potius SCHROETERI) *quod ad Ioh. euangelistam & apostolum referenda sit apocalypsis. Rost.* 1697. Una enim eademque est disputatio ab hoc sub illius praesidio ventilata.

§. V.

Quum quaedam ex superioribus exemplis, non certe ignorantiae, sed memoriae lapsui, adscribenda esse iudicari non iniuria queant: non absurde nos facturos patet, si tertiam statim adiunxerimus regulam: *in allegandis, siue auctoribus ipsis, siue libris eorum, non temere soli memoriae fiden-*

(*f*) Conf. Hamburg. Berichte von gelehrten Sachen 1750. p. 354. ubi similes librorum in homines metamorphoses recensentur. Ut & Goetting. Anzeig. von gelehrten Sachen 1753. p. 1352.

fidendum est. Memoria vel tenacissima labilis est, & praecipue, quum mens meditationi intenta est, facile nos fallit, non satis recte recordata eorum, quae alio tempore legimus. Quapropter consultum nobis erit, si auctorem excitandum ad manus habeamus & euoluamus. Certe memoriae vitiis nimiaeque festinationi accenseo, quod FRID. MUZELIUS adfinem suum, PHILIPPUM DE STOSCH, in *dedicatione panegyrici Plinii* LUDOUICUM nominauerit; ut &, quod ex Q. SEXTIO RUFINUS (g) *Sixtum* fecerit, atque illius Pythagoraei philosophi sententias, SIXTO pontifici tribuerit, & quod WITSIUS, magnus theologus, CHRISTIANI THOMASII dissertationem IACOBO THOMASIO adscriberet, ut idem MUZELIUS refert, in *disqu. de rationis natura, incremento, maturitate, usu & abusu ac decremento in rebus sacris p.* 10. Non minus, quod VOLTAIRIUS in *historia imperii Russici* Gallice scripta *p.* 67. PHOTIUM patriarcham A. C. 891. iam mortuum Wladimirum baptizasse scribat: quod tamen demum 988. sub

(g) *Herm. Lappenborg* edidit: Enchiridion Sixti philosophi, seu, ut alii sentiunt, Sixti, Romani pontificis & martyris &c. ut video ex Freye Urtheile und Nachrichten 1753. n. 99.

ſub patriarcha Nicolao Chryſobergo factum eſſe conſtat. Quod porro magnus polyhiſtor, IO. ALB. FABRICIUS, *Ieremiam*, patriarcham Conſtantinopolitanum, qui ante ducentos annos ad theologos Würtembergenſes ſcripſerat, cum *Ieremia* a WASSIO nominato confuderit, notante hunc parachroniſmum ELSNERO, *neueſte Beſchreibung der Griechiſchen Chriſten in der Türkey Tom. I. p.* 99. Quod idem *bibl. Gr. L. II. p.* 496. LUCIANI *pſeudom.* ad lectorem alleget, quum *philopſeud.* ſcribere debuiſſet. Quod porro LUPUS YPRENSIS tradat, CYPRIANUM quendam Optatum publice doctorem proclamaſſe, prouocans ad eius epiſtolam XXIV. quum tamen ibi tantum legatur Celerinum lectorem, non doctorem, conſtituiſſe, ut obſeruat SIBERUS in *orat. de antiquitate doctorat. theol. p.* 11. aut quod auctor anonymus ſcripti: *die verwundernde Welt*, PEYRERIO ſententiam BEVERLANDI de peccato originali, huic vero illius ſyſtema praeadamiticum tribuerit, ut docet I. C. KRAUSEN *diſſ. I. de columna ignis & nubis.* §. *V.* Regulae huius obſeruatio iis in primis commendanda eſt, quibus in ſcriptis eriſticis occupatis animus facile incaleſcit. Interea dum euoluent & propius inſpicient auctores alios, deferueſcet quodammodo ille calor, breuiſque lenietur furor; atque ſic ſtilus mentem non praecurret, neque

Digitized by Google

que erroribus eiusmodi, aduerſariis ridendi cauillandique anſam praebebunt. Quantopere praecipitans ille feruor HIERONYMUM non raro fefellerit, vix quisquam ignorat, & ſpecimine haud uno ex eius ſcriptis oſtendit vir venerandus, H. VENEMA in *epiſtola qua duas Clementis epiſtolas a cl. Weſtenio ad calcem N. T. nuper publicatas, Epiphanio & Hieronymo notas fuiſſe, in dubium vocatur &c. p.* 13. Caeterum erronearum eiusmodi allegationum, ex quibus quaedam ſatis ſunt ridiculae, exempla alia videſis in I. C. NEMEIZ *vernünftigen Gedanken P. II. p.* 23. *P. V. p.* 129. IORDAN *l. c. Tom. II. ſub init. & biblioth. Francoiſe Tom. XXV. P. II. p.* 383. nec non in *ſymbolis liter. Tom. I. P.* 2. *p.* 67. 68. & *P. IV. p* 583. ac in KEYSSLERI *itiner. Tom. I. p.* 629. & 860. de quibus, in quam ex his primis tribus regulis peccent, penes alios iudicium eſto.

§. VI.

Nos ad quartam tranſimus, quam hanc ponimus. *Auctores & libri, quam fieri poteſt, perſpicue & accurate ſunt allegandi.* Huc referimus v. c. I. *Ut caueamus, ne nimia feſtinatione ita allegemus, ut aut intelligi nequeat, aut abſurdum fundat ſenſum.* Sic in reu. HAGEMANNI

Digitized by Google

hiſt. Nachr. v. d. canon. und apocryphiſchen Schriften p. 634. haec adducta reperio: MASTRICHT *de canone ſacrae. Ei. bibliotheca hiſtorico phil. claſſ. VII. ex edit.* KOERBERI. Quae quam abſona ſint, patebit ſtatim, ſi emendationem adiecerimus, quae haec eſt: Conſcripſerat GERH. DE MASTRICHT *canonem ſcripturae ſacrae eccleſiaſticum*, quem THEOD. HASAEUS *bibliothecae hiſtorico philologico theologicae*, quae Bremae prodibat, eiusque *claſſis ſeptimae faſciculo primo*, inſeruit, quemue notulis indiculisque quibusdam auctum & cum praefatione ſua 1725. recudendum curauit CHRISTIAN. KOERBERUS, ſuperintendens Lobenſteinenſis. Similem deprehendi allegationem in Germanica editione RICH. BISCOE *elucidationis actuum apoſtolicorum* a reu. F. E. RAMBACHIO 1751. procurata; nimirum, ut probetur, urbem *Pergamum* in inſula Creta etiam *Pergameam* dictam fuiſſe, ſub *nota* 91. *p.* 236 teſtis laudatur *Velleius Paterculus apud Plin. hiſt nat. L.* 4. *V.* 20. Quod certe intelligit nemo. Refero huc II. *ne vage ac indeterminate ſiue auctores, ſiue res & verba eorum, multo minus haec in alienum ſenſum detorta, citemus.* Merito WOLFIUS ad *Act. XX.* 20. taxat ALEX. MORUM, quod *vocem* πτυκτὸν *in peruetuſtis exemplaribus deſiderari* ſcripſerit, quum tamen unum tantum Cantabrigienſe adferri potuerit ab iis, qui

in

Digitized by Google

in varietatibus lectionum colligendis ſeduli fuerunt. In *Lacrozianis ub. ſub. p.* 241. notatur auctor apologiae S. EVREMONTII, quod ſcripſerit: *video meliora, dit St. Paul.* Scilicet inepte ſenſum verborum apoſtoli *Rom. VII.* 16. 17. 18. verbis illis poëtae expreſſiſſe videbatur: quamuis caeterum eundem his quodammodo ſubeſſe, negari nequeat. (*b*)

Auctores ipſos legito: ſententia longe
Eſt alia, & miſeri pereunt allegatores.

Miratus ſum ſupra laudati ALTMANNI in *biblioth. hiſt. phil. theol. claſſ. V. p.* 677. factum, qui, neſcio quo, ſiue breuitatis ſtudio, ſiue caſu, plane alia DALENII ex eius *diſſ. IV. ad marm. p.* 306. de deo Thyatirenorum Tyrimno verba citat, ac is quidem ſcripſerat. Tribuit enim illi iſta: *ſtetit autem, teſtante Strabo, hoc monumentum dei Tyrimni ab ingreſſu portarum ad arcem. Hinc puto eum eundem eſſe, qui fuit* Ἑρμῆς στρόφαιος vel προπυλαῖος. Crederesne, his lectis, DALENIUM id agere, ut Tyrimnum & Mercurium idem numen eſſe probaret? Sed aliud plane, illius ipſius verba ſi inſpexe-

(*b*) Vere ſcriptor Gallus in nouu. bibl. T. XVII. p. 233. Video meliora proboque; deteriora ſequor, diſoit Ouide, il y a dix huit cens ans. On l'auoit dit ſans doute dix huit cens ans auant lui, & probablement on le dira encore iusqu'a la conſommation des ſiecles.

Digitized by Google

ſpexeris, iudicabis. En illa! *Qui Tyrimnus hic quaſi alter Mercurius, ſeu* Ἑρμῆς πρόφαιος *vel* προπυλαῖος *in ſcenam prodit, ſeu potius Athenarum arctis ingreſſui adſtitit, ſicut & (teſtante Th. Smith) ab utraque parte portae aedis hae prius adductae inſcriptiones, inciſae marmoribus ſingulis viſebantur.* Nihil hic niſi tenuem vides Mercurium inter & Tyrimnum comparationem. SMITHI interim ipſius in *notit. VII. eccleſ. Aſiae p.* 23. verba haec ſunt: *duas inſcriptiones, quas in marmoribus ſibi inuicem oppoſitis antas portae aedis ſupra memoratae ſuffulcientibus inciſas vidi &c.* Quibus certe nihil minus hic innuit, quam *monimentum* quoddam *Tyrimni*, ut ALTMANNUS retulerat, *ab ingreſſu portarum ad arcem ſtetiſſe.* Non adeo ab hoc abludit factum HEUMANNI, ad Matth. XXIV. 30. qui VITRINGAM *anacr. apoc. ad cap. XII.* 1. *XV.* 1. laudat, quod σημεῖον exponat *obiectum ſpectabile;* quum tamen potius per *rem attentione & admiratione ſimul digniſſimam* deſcribat: Simile exemplum aliud inde in IABLONSKI *hiſt. eccl. Chriſt. P. I. p.* 250. Refero huc

III. *Ut ſigla ſeu abbreuiaturas, quibus in allegandis ſcriptoribus ac ſcriptis uti ſolemus, accurate & circumſpecte, ac ita, ut non difficulter intelligi queant, exprimamus.* Sat lepidum huius praecepti non obſeruati exemplum legi in *nouu. bibl. T. XVIII. p.* 33. Illuſtris BOUHIERIUS celeberrimum

PET.

Digitized by Google

PET. RELANDUM hac excitauerat formula: *comme en peut le voir dans les faſtes conſulaires du P. RELAND.* In quam hanc habes cenſuram non omni ratione deſtitutam. *En bon Francois, ces derniers mots ne peuuent s'entendre que d'un religieux, nommé* le Pere Reland, *qui nous auroit donné des* faſtes conſulaires; *& voila d'un ſeul trait de plume, par le changement d'un* de *en un* du, *le docte* Pierre Reland, *mort bon proteſtant & laïque, conuerti en moine catholique* Romain. *Combien de gens, qui connoiſſent peu les liures, ne feront ils pas la duppe de cette mepriſe* Sic certe fieri poteſt. Etenim, in quantos aliqui, ſiglis eiusmodi non intellectis, errores abducti fuerint, ſatis conſtat; prout v. c. quidam in habita publice oratione celeberrimum ALEX. AB ALEX. pro: ALEXANDRUM AB ALEXANDRO, laudaſſe dicitur. Sed haec ſaepe, non tam citantium, quam legentium, culpa eſt. Hoc addo, rem non inutilem, nec ingratam lectoribus, facere eos, qui capita, ſectiones, paginas, paragraphos, editiones item, curate adnotant. Huic vero mori qui ſe adcommodat, is conſtanter illum obſeruet, neceſſe eſt: quum alias non ſine cauſa cenſoria virgula notari, &, quod non omnia ſuis oculis luſtrauerit, quae in medium producit, culpari queat.

§. VII.

Digitized by Google

§. VII.

Quum multa ſuperiorum typothetae potius, quam ſcriptori, vitio vertenda eſſe, non ſine ſpecie credi queat; quintam adiungo regulam. *Mendae typographicae, quantum in noſtra poteſtate eſt, ſedulo emendandae ſunt.* Omnes quidem vix ac ne vix quidem euitari poſſunt; nec culpa temere in auctores ipſos reiicienda eſt. Interim, quo facilius committuntur, eo maius in iis corrigendis ſtudium adhibendum eſt; idque cum maxime etiam in allegationibus, in quibus literariorum errorum anſam facile ſuppeditant. Egit de his cl. BIEDERMANNUS in progr. *de mendis librorum & nominatim bibliorum Hebr. diligentius cauendis* 1752. & exempla quaedam ad rem noſtram facientia dedit reu. DUNKELIUS in *Berlin. Biblioth. Tom. I. P. I. p.* 162. Celeber Cardinalis BESSARION adpellatur BELLARION *hiſt. de la rep. de Veniſe T. IV. p.* 167. Magnus regni Boruſſici hodie Cancellarius DE IARIGES cluit DE TARIGES in *nov. act. erud. Lipſ.* 1748. *p.* 467. & IOBUS LUDOLPHUS audit IACOBUS in v. D. NYENBURG & HEYMANN *itinerario Belgico Tom. I. p.* 186. item DAVID MARTINI pro MARTIN, in RATHLEF *Geſchichte iezt lebender Gelehrten, P. IX. p.* 130. UTILE pro UHLE in *bibl. impart. Tom.*

Tom. XVI. P. II. p. 280. Sic *Rabbi* AKIBAM in ACHINNAM a librario mutatum fuisse obseruat FULLERUS *in misc. s. L. I. c.* 16. *p.* 100. Sic WISSENBACHII nomen tribuitur celebri *tentaminis theologiae dogmaticae* auctori, DAN. WYTTENBACHIO, *nouu. bibl. Tom. XVII. p.* 332. Sic IOAN. CORNEL. DE PAULO audit in *symb. liter. T. I. P.* 2. *p.* 119. qui DE PAAW cluere debuisset. Sic denique in CARPZOVII *disp. de θεοπνευςίᾳ s. s. p.* 30. locus citatur GREGOR. MAGNI *moralib. Iob. X.* quum legi deberet: *moral. b. Iob. c. I.* Sic tandem in viri perillustris, IOH. MICH. A LOEN *Begebenheiten des Grafen von RIVERA p.* 307. ad duodecimam PAULLI apostoli ad Romanos epistolam prouocatur. (*i*) Recordor postremo, me alicubi legisse, quod sanctus FRANCISCUS *natibus* (pro *nutibus*) praedicauerit euangelium. Caeterum indignamur merito turpem bibliopolarum lucri auiditatem, & correctorum, quibus utuntur, supinam negligentiam aut ignorantiam, quibus fit, ut vel optimi interdum ac utilissimi libri, ingeniorumque elegantissimorum foetus, typographicis erroribus tam foede deturpentur. Cuius rei exemplo insigni esse potest ALEX. AB ALE-

(*i*) Eiusdem generis exemplum satis lepidum refertur in scripto: *Tischreden des Weltweisen von Sans-Souci* p. 16. 17.

ALEXANDRO *dierum genialium* éditio Francofurtana ad Moenum 8. 1667. quae tota pessimi commatis vitiis scatet. Plura alia vide in *Europae eruditae Tom. XI. p.* 732. 733. Adde *vermischte Urtheile und Nachrichten &c. P. III. p.* 126. & *biblioth. impart. Tom. XVII. p.* 252.

§. VIII.

Supersunt aliae quaedam regulae, quas strictim proponam. Regula sexta. *Non facile citandi sunt libri, in quibus, nullo monente, quiuis quaerit, quod indicatur.* Non ergo prouocandum v. c. philologo ad grammaticas, ad lexica, ad repertoria, ad indices, ad notas in ea ipsa auctorum loca, quae tractat; nisi tum demum, quum singulari obseruatione dignum aliquid in iis adnotatum reperiat. Regula septima. *Praecipui tantum, & qui vere ad rei illustrationem aliquid conferunt, laudentur; reliqui certe parcius.* Absit itaque eorum, qui tamen non pauci sunt, mores sequi, quibus sufficit vidisse, quod auctor hunc vel illum locum leui tantum brachio tetigerit, aut nude citauerit, ut ad eum, tanquam interpretem, lectores suos ablegent. Regula octaua. *Spectandum est, ut iusto loco citationibus utamur.* Quis e. g. illos non ridebit concionatores, qui, quum unam aut alteram per

vitam

Digitized by Google

vitam homiliam typis mandandi felicitas iis contingit, ſuam, ſi ſuperis placet, eruditionem oſtentaturi, in notulis, aut grammaticam, aut ſyſtema ſuum theologicum & methodum concionandi, aut proletarium quendam commentatorem, aut GLASSII philologiam ſacram, ſimilesque libros (idque addito illo *p. m.*) ubiuis aduocant? Aut, quis eos ſtultitiae iure non arguerit, qui vel minutiſſima quaeuis aut decantatiſſima, auctorum decade confirmanda cenſent? Regula nona. *Ubi addito iudicio noſtro, ſiue ſcriptores, ſiue loca eorum, citamus, abſtinendum eſt ab omni partium & ſectarum ſtudio, a nimia laude aeque ac vituperio, ab illiberalibus ſcommatibus, & ab omni in primis improbitate & profano ſacrarum rerum abuſu.* Talia, licet ſatis obuia, quotquot ſunt, quibus de meliori luto deus praecordia finxit, merito deteſtantur, ſaltem cauent ſibi ab iis ſtudioſiſſime. Laudes nimiae omnino etiam fas laedunt. Regula decima. *In detegendis anonymis, pſeudonymis & plagiariis, ut & in indicanda raritate & pretio librorum, ſicubi talia addere lubeat, ſumma adhibeatur cautio & ἀκρίβεια.* Peccatum contra hanc regulam a me ipſo aliquando commiſſum in praecipiti diuinatione ſcriptoris, qui literis tantum initialibus ſe deſignauerat, non diſſimu-

diſſimulo, erroremque mihi ademtum gratus agnoui. Vide *geſamml. Briefwechſel der Gelehrten* 1750. *P.* 27. 42. & *Hamburg. Berichts von gelehrten Sachen* 1751. *num.* 23. 54. & 85. SAMUEL PRZIPKOVIUS edidit, *religionem vindicatam a calumniis atheiſmi, contra epiſtolam F. M.* de qua videſis SANDIUM *biblioth. antitrinitar. p.* 126. Hoc ſcriptum IOACH. OUDANUS in Belgicam linguam tranſtulit; ſed literas nominis F. M. aliquoties expreſſit: FRANCISCUS MORSTINIUS quum FAUSTUM MORSTINIUM dicere debuiſſet; notante SAM. CRELLIO in *Europae eruditae part. I. p.* 208. Graue παρόραμα, quo HOMERUS plagii ex VIRGILIO accuſatus fuit, habes in *ſymbolis liter. T. I. P. I. p.* 88. & *P. II. p.* 68. Librorum denique rariorum catalogi in tantam certe molem non excreſcerent, ſi de librorum raritate prius rite informari ſtuderent illi, qui aliis aliisue eam tribuunt, quiue hos teſtes ſequuntur.

§. IX.

Claudant nunc agmen duae aliae regulae, olim a nobis praetermiſſae. Regula undecima. *In citandis auctoribus & ſcriptis peregrinis, proderit linguarum idiomata callere, aut (quum haec ignorantia nemini vitio verti queat) ſi ea non callemus,*

Digitized by Google

mus, *praeſtabit illa ipſa retinere*, *quam ad idioma noſtrum adcommodare.* Cel. HEUMANNUS *ad N. T. Tom. I. p.* 317. profeſſorem Syluaducenſem, CORNEL. DE WITT nominat *Herr* von WITT. Verum illud *de* non eſt noſtrum *von*, ſignum nobilitatis, ſed articulus Belgicus maſculini generis, apud nos *der*; qui eorum dialecto innumeris nominibus propriis ſiue gentis praeponitur. Celeberrimus noſtra aetate mathematicus fuit LOYS DE CHESEAUX. Hoc nomen familiae; illud nomen gentis; quod etiam LOYS DE BOCHAT, philoſophus inſignis, geſſit. Vir autem doctus in *nou. act. erud.* 1747. *p.* 323. gallicum praenomen LOUIS eſſe exiſtimauit & hinc LUDOVICUS reddidit. Viri doctiſſimi GOTTH. AUG. FRANKE, theologiae profeſſoris Halenſis nomen in genitiuum FRANKES flexum Galli legentes ſic in nominatiuo exprimendum eſſe cenſuerunt, in *Iourn. encycopl. Tom. VII. Part. I. p.* 81. Tales illi innumeros committere ſolent errores, ſed & ſimilem commiſit CASP. BURMANNUS, quando in *Trai. erud. p.* 87. more quorundam Belgarum, S. in principio ſyllabarum in Z. permutantium, nomen clariſſimi Lubecenſium rectoris, IOH. HENR. A SELEN ſcripſit A ZELEN. Licebit mihi huc referre, quod Gallus quidam, ex ſupina ignorantia, titulum Latinum ſcripti

PHILONIS: *omnis* BONUS LIBER EST, verterit: *t ut livre eſt bon*; teſte IORTINO in *praef. ad obſeru in hiſt. eccl. edit. German. p.* 10. (*k*) Licebit & huc referre, quod MURATORIUS 5070. in *Doyewert*, qui vicus eſt inferioris Batauiae, vulgo *Neder-Betuwe in nouo theſ. inſcript. p.* 895. *n. v.* hoc praefixerit: *In* Neder-Betuwe *vico Batauiae. Ex Gisberto Cupero. V. Cl.* Qui ſi verba CUPERI ſatis intellexiſſet, ex inferiore Batauia, vulgo *Neder-Betuwe* non effinxiſſet pagum aut vicum Batauiae; obſeruante cl. HAGENBUCHIO in *obſ. crit. nouis Amſtelod. Tom. X. XI. XII. p.* 362. Licebit denique huc referre miram metamorphoſin oppidi *Kaiſerslauteren* in circulo Rhenano ſuperiore, in *Caſe loutre*; in *epitres de Mr. della Scala* (h. e. SCALIGERI) *p.* 25. Similes errores complures a VOLTAIRIO admiſſos vide in *Critique de l'hiſtoire, de l'empire de Ruſſie ſous Pierre le Grand &c.*

§. X.


Regula duodecima & ultima *Suum cuique tribuendum, cauendumque adeo, ne veros auctores ſuorum ſcriptorum laude priuemus, aliisque ea adſcribamus.* Huc pertinet I. iniuria, quam viris doctis faciunt illi, qui, dum ſcripta eorum recenſent, pauca tantum iis tribuunt, quum longe

(*k*) Simile aliud vid. in *Europ. erud. Tom. X. p.* 490.

Digitized by Google

longe plura ediderint; qualem CASP. BURMANNUM in *Traiecto erud. p.* 273. fecisse HENRICO PONTANO satis ostendi in *Europ erud. Tom. X. p.* 355. & *seqq.* Huc pertinet II. quando eiusdem cognominis scriptores inter se confunduntur, & alteri alterius scripta tribuuntur. Exempla iam habes §. III. & V. quibus hoc tantum addo, quod *Lexicon eruditorum Ioecherianum* FRIDERICO DE LOGAU, poëtæ Silesio, editionem operis Gryphiani: *Entwurf der Ritterorden* adscribat; quam tamen illius filius, BALTH. FRID. A LOGAU curauit. Huc in primis pertinet III. quum disputationum academicarum ab ipsis iuuenibus respondentibus conscriptarum professores, sub quorum praesidio habitae fuerunt, auctores laudantur. Exemplorum vim magnam adferre integrum foret. Sufficiant autem aliqua. Auctor anonymus *apparatus literarii* Vitembergae 1717. editi, *specim. VII. p.* 116. & *seqq.* IOH. ALB. SCHUMACHERO, theologo Bremensi, viri hodie clarissimi, IOH. HILDEBR. WITHOFII, exercitationem *de πολυθεότητι ante diluuiana* 1716. eo praeside defensam, adscribit, quum tamen ille ne syllabam quidem de suo addiderit. I. C. WOLFIUM ea propter taxat HEUMANNUS *ad N. T. Tom. III. p.* 537. Sed idem ipse peccat peccatum, ubi ad *Coloss. I,* 18. P. E. IABLONSKIUM disputationis *de Chri-*

ſto primogenito auctorem nominat; quam tamen ANDR. HUSTENUS Hungarus, conſcripſerat; quamue nomen ſuum in fronte gerere, virum illum longe celeberrimum ſaepius doluiſſe memini. Apud STRODTMANNUM *Uebereinſtimmung der deutſchen Altertbümer mit den Bibliſchen, p.* 182. cl. GERDESII *exerc. in canticum Deborae* laudatur; cuius tamen auctorem eſſe clariſſimum hodie apud Dauentrienſes profeſſorem, RUCKERSFELDERUM, iam tum ſatis conſtabat. Conf. *Europ. erud. P. XI, p.* 584.



SPECI-

Digitized by Google

SPECIMEN TENTAMINIS METAPHYSICAE SCRIPTURARIAE.

AUCTORE
FR. CHR. OETINGER,
Superint. & Paſtore Prim. Herrenbergenſi.

De ſimplici & compoſito, de diuiſibili & indiuiſibili, materiali & immateriali, neceſſario & contingente, finito, & infinito, aſeitate, eſſentia & exiſtentia, ſubſtantia & accidente ne veſtigium quidem reperitur in ſ. literis. Tromsdorfius in Theologia δι ὀλίγων ſimplicitatem Dei probaturus nullum aliud veſtigium reperire potuit niſi rubum ardentem, & quando reliqui Theologi ſimplicitatem ſpirituum, animae, Dei, eruere conantur, nihil aliud allegare poſſunt, niſi quod πνεῦμα ὁ Θεὸς Ioh. IV. ſed quid πνευμα ſit, an diuiſibile an indiuiſibile, an ſimplex an compoſitum, non probare poſſunt, de eo nullam ſcripturariam definitionem inueſtigare poſſunt; ακαταλυσια non probat, ſed negat ſimplicitatem dum virium diuerſarum vitae diuinae colligationem Ebr. VII, 7. inſolubilem dicit.

Digitized by Google

Respectus Metaphysici (in S. Scriptura) aeque ac Ontologici, non sunt tam abstracti, ac illos Philosophi moderni exsculpere volunt. Sunt illi cum architectura simplicissima comparandi, ubi respectus mutui ad proportionem pertinentes omnibus sunt in oculis.

Τὰ ἀόρατα videntur,

1) Oculis & parua conclusione videntur.

2) Animo. Igitur Paulus dicit Rom. I. τὰ ἀόρατα τȣ Θεȣ νοȣμενα καθορᾶται, ex omnibus operibus DEi, in floribus, in herbis, in animalibus. Aeterna vis Dei & diuinitas (Θειοτης) oculos corporis & animi ferit. Figurae rerum sunt ipsius Dei virtutis in creaturis latentis termini & cancelli. Et si quis essentias rerum vellet concipere sine figuris, ille teneretur vires diuinas concipere extra creaturas. Sed in nulla re philosophi adeo sibi glaucomata obiiciunt, nisi in definienda vi Dei. Substituunt monades, substituunt qualitates occultas, substituunt vires motrices. Ipsi tamen fatentur, se nullam habere ideam de motu viribusque motricibus, saltem nullam ideam extra creaturas.

Quid inde concludimus? spiritum propheticum in s. scriptura nos manuducere

1) ad res maxime obuias, ad res, de quibus omnes gentes consentiunt, veluti prouerbia, gnomas

Digitized by Google

mas morales, νοηματα moralia, eaque ipfa fcriptura per directionem oculorum, manuum, pedum non abftracte, defcribit. 2) Ipfam Dei virtutem f. fcriptura per oculos, manus, nares, & per ipfa creaturarum στοιχεια, qualia funt ignis, aër, aqua, nobis quafi intuenda proponit. 3) In defcribendis rebus inuifibilibus canon ille magnus Hermetis non quidem aperte in fcripturis declaratur, fed millies occulte, fcilicet: inferius eft ficut fuperius, & fuperius eft ficut inferius. Ap. XXI. Ciuitas Dei cubice defcripta perfectiffimam figuram rerum coeleftium praebet; defcendit ciuitas Dei ex coelo in terram, manifefto documento, inferius effe ficut fuperius. Si vero in ftatu corrupto, & mixto rerum ordinatarum & inordinatarum exempla quaeris: illa omnia, quae fine arbitrio hominum in terra genefin fuam nacta funt, nobis exempla funt. Ipfa Genefis rerum eft in abdito, fui complexus virtutum diuinarum, Semina & generationes rerum apertiffime loquuntur, inferius effe ficut fuperius, nihil fieri fine praefidio λογε & cauffae fummae exemplaris.

Ampla eft Ontologia fcripturae in defcribendis intenfis & extenfis, volatilibus & fixis h. e. in igne perennantibus & ab igne fugientibus.

Intenfa funt omnia illa, ubi potentia inexiftit in alia potentia. e. g. potentia aquea inexi-

ſtit in ignea, & ignea in aquea. Ignis & aqua igitur ſunt intenſa. Omnia reſoluuntur in ignem & probantur per ignem, quemadmodum omnia oriuntur ex igne & aqua. Petrus nulla alia στοιχεῖα agnoſcit niſi ignem & aquam. 2 Petr. III. Intenſa ſpiritualia, intelligentia varii ordinis non niſi per continuitatem ignis, venti, rotarum, in ſenſoriis deſcribuntur, argumento quod vis Dei extra hæc concipi nequeat.

Extenſum eſt omne id, quod per eleuationem & propagationem intenſi ab eſſentia in ſubſtantiam tranſit. Omne creatum in ſua prima conſtitutione eſt lumen a patre luminum deſcendens. Haec eſt forma lapidis vel plantae vel animalis: Hinc quaerunt Philoſophi:

Dic formam lapidis, & Phyllida ſolus habeto! ‥ Haec forma, hoc lumen a DEO patre deſcendens per aquam, ignem & terram tranſit ex eſſentia in ſubſtantiam ſeu in ſpeciem quandam rerum.

Dixi nullum veſtigium reperiri in ſcr. ſ. de iis & tamen utor termino eſſentiae & ſubſtantiae; at ſ. ſcriptura nos ad Sapientiam in plateis clamantem ablegat. Quemadmodum igitur Philoſophi teſte Logica Bulffingeriana ad formandas definitiones regula hac utuntur: Obſerua quomodo loquantur homines in communi vita, erue, quod

Digitized by Google

quod in hac loquela ad rem facit, elimina metaphoras, & habebis definitiones; ita definitiones eſſentiae & ſubſtantiae debent ex operibus Dei, ex uſu communi loquendi, ex ſ. ſcripturae concentu, & ex interno ſenſu explanari. Dices ita etiam de ſimplici, de contingenti, de immateriatis, infinito & aliis debent definitiones diſtinctae formari. Non eſt magnae artis res, formare definitiones rerum momentoſarum, ſed eſt obuium omni conſcientiae: Definitiones rerum nihili quales ſunt monades ſunt obſcuriſſimae & difficillimae. Dabo ex ſcripturis definitionem eſſentiae, quæ eſt id, quod a DEO habet ſuum eſſe, eſſe ſupponit vitam & motum; Sec. ſcripturas. Adeoque quod habet eſſentiam debet prius habere vitam & motum, vitam & motum habent omnia DEI opera, etiam lapides: Subſtantia vero eſt, quod per vitam & motum in eſſentiis latentem, in ſpeciem quandam diſtinctam formatum eſt: Hinc creatum omne in primaeua benedictione debet habere formam, LEMINEHU, ſecundum ſpeciem ſuam, & hoc eſt proprie ſubſtantia, quod ſubſtat eſſentiis, quae formant ſubſtantiam.

Iam ad Ontologicos reſpectus ex ſ. ſcriptura obſeruandos progredior; debemus animum ad-

Digitized by Google

uertere ad genera & ſpecies rerum, ad facta & mutationes eorum, & ad reſpectus varios quos ſpecies ad ſpeciem & ſpecies ad ſimilitudines generis habent. Id vero maxime per particulas Ebraicas & Graecas exprimitur. Dabo exemplum: In dicto Leu. XVIII, 18. redit omnis ſenſus ad particulam אֶל & עַל; אל notat ſucceſſionem ad terminum ad quem; על notat ſimultaneitatem coexiſtentium, qualiter ſuperiora cum inferioribus, aequalia cum aequalibus coexiſtunt. Non accipies fœminam, ſororem, אל (ſucceſſiue poſt mortem ſororis). Si vero plane acciperes ſororem, (על) ſimul cum altera, in vita eius, id perpetuum Zelum & Litem inter has procrearet, ſi tu maritus pudorem alterius reuelares. Omnis vis expoſitionis redit ad particularum אל & על ſignificatus originarios: אל dicit ad, adeoque ſucceſſionem, על dicit ſuper, adeoque coexiſtentiam mutabilis cum iam determinato quodam.

Reſoluendae igitur ſunt particulae in notiones metaphyſicas ut breuiſſimas has voculas architectonica contemplatione, quid ſint, & quid innuant, quaſi in ſpeculo coram te videas.

Nos Europaei plane inſueti breuitatis in oriente uſitatae vix aſſequimur amplum particula-

rum

Digitized by Google

rum ſenſum. Vox, בחיה loco citato per oppoſitionem innuit mortem ſororis, etſi nihil de eo videatur in textu poni, nil vero uſitatius his reſpectibus in oratione ſemiduplici ſeu prouerbiorum Alleluchia. Quemadmodum igitur exemplum Ebraeum dedi de ſucceſſiuo & ſimultaneo, ita graece ſimile quid indigitari per particulas εις & εν docebo. Εις dicit actum ſucceſſiuum ad terminum ad quem, εν vero ſpatium, in quo aliquid eſt, vel, permanentiam in ſtatu vel loco, quandoque inexiſtentiam potentiae in potentia. Europaei ob eam cauſam in interpretatione in tam diuerſas aguntur opiniones. Rom. VI, 3. 4. de baptiſmo agit Paulus: per particulam εις, εβαπτισθημεν εις Χριστον Ιησουν baptizati ſumus in Chriſtum Ieſum. Non tantum ad, προς, Chriſtum Ieſum: Iam vero Socinianizantes facile detrahunt ſenſui praegnanti huius particulae, το εις ieiune ad merum diſcipulatum referentes, cum deberent ſenſum metaphyſicum plenum agnoſcere. Nempe βαπτιζειν εις χριστον Ιησουν, notat actum quo imbuimur ſpiritu cum aqua effuſo, ita ut per hunc ſpiritum in verbo, ſucceſſiue in omnem veritatem introducamur, & tandem plane inexiſtamus IESU Chriſto: male agunt qui εις aequipollere diunt τω προς, id quod ſcripturis aliquid demit, etſi προς aliquando per circumſtantias

æquipol-

Digitized by Google

æquipollere poſſit τῷ εἰς Ioh. I, 1. 2. Marc. XIII, 3. dicitur de Chriſto conſediſſe illum εις τὸ ὄρος, ſed etſi in monte & ad montem conſederit, tamen εις hic non plane aequipollet τῷ εν.

Εις ſucceſſiuum actum dicit qui initium ſumſit ad ulteriorem progreſſum faciendum, εν vero permanentiam & terminum ſucceſſiui actus innuit. Eſt notabilis locus Eph. III, 19. ubi εις ſucceſſiuum actum denotat cum tendentia ad certum terminum. Potuiſſet Paulus dicere ut impleamini ad, προς, omnem plenitudinem DEI ſed elegit voculam εις, quod ſucceſſiuum incrementum denotat cum futura permanentia. Particula vero εν dicit permanentiam in eo, quod ſucceſſiuo quodam actu applicatum eſt. Baptizabat Ioannes εν υδατι Ieſus εν πνευματι αγιω. Matth. VII, 11. Hoc indigitat cum Ioannis inſtrumentali actu tranſeunte ſucceſſiuo permanens, quid & conſiſtens.

Sinceritas Hermeneutica non permittit, ut μιαν κεραιαν demamus particulis ſanctis. Ideo religioni ſit nobis, metaphyſicam modernam nimis breuem decempedam pro norma ontologiae ſacrae aſſumere. Suppleamus potius per verbum Dei, cuius non eſt finis, decurtatos Canones naturae non niſi imperfectiſſime agnitae. Non omnes particulas in breuiſſimo hoc cogitationum mearum

Digitized by Google

mearum inchoamento percurram; profundiſſime doctus Amos Comenius particulas vel pueros in reſpectus metaphyſicos reuocare docet, ut in Tabula Lat. Grammatica ex eius atrio id inſerui, ubi particulas copulatiuas, *&*, *quoque*, disiunctiuas *aut ſiue ſeu*, conceſſiuas, *quanquam*, *tamen*, reiectiuas negatiuas, *non nec*, aduerſatiuas *vero*, *aſt*, comparatiuas *tam*, *quam*, conditionatas *ſi*, *niſi*, exceptiuas, *praeter*, reſtrictiuas, *quatenus*, notificatiuas *quod*, relatiuas, *is*, *qui*, ordinatiuas *primo*, *dein*, finales *ut*, *quo*, impulſiuas, *nam*, concluſiuas *ergo*, *igitur*, docet ſpeculariter in verbis ante ſe ponere & notis ſuis diſtinguere; dantur tamen & aliae particulae, ut iam videbimus, in Oraculis de Deo & Spiritu, occurrentes. Eminet inter has particula εκ. Latinus dicit, ex lege viuere, quod alibi ſecundum legem redditur. Hic eruditi propter Canones metaphyſicos valde in diuerſa abeunt. In materia de baptiſmo dicuntur fideles geniti εξ υδατος και πνευματος. Particula εκ participationem rei denotat. Iam aqua eſt res materialis, ſpiritus res ſpiritualis, utriusque participationem ſeu ſeparationem & diuiſionem particula εκ deſignat. Iam obiicitur, ſpiritum non poſſe effundi, ut aquam. Spiritum eſſe rem ſimplicem nec poſſe cauſae materialis inſtar conſiderari. Sed *ſ. ſcriptura neſcit ſimplicia*, imo, *potius negat dari*, dum μεριϲμοὺς πνευματος Ebr.

Kor. II, 4. dari diserte dicit. Cuicunque praedicata diuisionis tribuuntur, illud non est simplex; Spiritui diuisiones tribuuntur, E. non est simplex. Et cum extantissima loca dentur, ut: Matth. I, 18. 20. III, 6. ubi participatio rei spiritualis ex re spirituali Ioh. VII, 39. Act. I, 5. 8. 17. 18. Act. X, 45. ubi effusio propria. Act. XIII, 54. ubi impletio propria. Rom. VIII, 11. ubi inhabitatio. Act. XVII, 16. ubi modi & affectus humani, incrementum & decrementum, ut & μολυσμος Spiritui tribuuntur; Inde patet, conceptum simplicitatis à scholasticis esse excogitatum, & Metaphysicae sacrae esse alienissimum; quid igitur obstet, quo minus securissime statuamus, particulam εκ participationem sui ex se propriam denotare, idque per Philosophos ad tuendam hypothesin nullis consequentiis eludi posse.

Particulae επι, δια, εν, magnificas Pauli ideas de Deo exprimunt Ephes. IV, 6. coll. 1 Cor. VIII, 6. Deus est supra omnia; hoc innuunt altissima coelorum, de quibus Angeli cecinerunt: δοξα εν υψιστοις Θεω. Adeoque spatium supramundanum in inuisibili Deitatis manifestatione innuit. Iam Philosophi per ieiunas de manifestatiua DEI gloria ideas eludunt omnes conceptus spatii. MOSHEMIUS vero in Cudw. Sy-

stem.

ſtem. Intell. p. 776. verum dicit, in aeternae & per ſe exiſtentis Naturae notione innatam & inſitam quoque eſſe notionem ſpatii, quam eiicere in nullius poteſtate poſitum ſit. (*l*)

Exhor-

(*l*) Unitas & pluralitas ſimul eſt in Deo, ſed non per modum diffuſionis corporeae, ſed per modum intenſi, ſe ipſum manifeſtantis per pluralitatem ſeptem ſpirituum. Sit ita, ideam aliquam extenſi intelligibilis ingredi ſpatium Diuinum, quid detrimenti patitur Theologus verbis Dei inſiſtens, ubi ſeptem Spiritus ſupra thronum localiter repraeſentantur. Si vero haec in notiones ſimplipliciores reſoluere vis; Audi Paulum de ſpatio intelligibili; neſcio ait, an in corpore, an extra corpus fuerim. O quam omnes haſce tricas reſcindit Paulus breuitate particularum, ubi ἐπι ſupra, mundi ſpatia transgreditur διὰ per, ſpatia intelligibilia & penetrabilia ſpiritus fidelium, & ἐν, in loco, in ſtatu perdurante, immanente, immeantem διὰ ſequente per permanentiam, ſic combinat, ut diſputationes de poſſibilitate, an hi tres conceptus ſimul ſtare poſſint, omnes excludat.

Operae pretium eſſet, omni ſtudio plures impartiales Exegetas conſociari in hunc ſcopum, ut deciſiue concludant, ex ſ. ſcripturae locis de ſpiritu collectis, quatenus obligati ſimus, citra Canones philoſophicos, in tam arduis Literae proprietati inſiſtere.

Plura

Digitized by Google

Exhorrefcit & cutis inftar clauorum inhorrefcit, quando neglectores f. fcripturae adeo fibi confidere obferuo. Quid quaefo damni patitur Theologia, fi quaedam ineuitabilia ex imaginatione humana fe immifceant conceptibus noftris? Certe haec eft ratio praegnantiffima, cur viri Prophetici refpectus hos metaphyficos tam bre-

Plura ego tentamina in hanc rem feci, & adhuc faciam. Sed viri fummi & rerum humanarum & diuinarum experti rogantur, ut conatus meos non habeant pro ingenii nouaturientis oftentatione, fed pro confcientiae Deum reuerentis fructibus. Etenim, Deum mendacem in voculis paruis & magnis facere per Canones rationis noftrae, quae indiuidua rerum inuifibilium & vifibilium nullo modo percurrere valet, & tamen uniuerfalia pro normis erigere vult, crimen eft laefae maieftatis.

Nolo πιϛολεθρα neque των ευσεβων φθισινω fieri ut nobilis quidam iuuenis, tefte Stephano Praetorio, tales a Deo appellari fcribit. Horreo iudicium Dei, quod viris Philofophis his, a reuelatione abftrahendo metaphyficam condentibus extra horizontem fuum elabitur. Philofophus de Sans-Souci Rege dignum effatum praebet, metaphyficam, nifi fenforio quodam metaphyfico cernatur, nullam dari. At vero Iefus & Prophetae metaphyficam paucis voculis ex fenforio Diuino Ioh III. fcripferunt, quam Philofophi fecuriffimi iudiciorum diuinorum eludunt. Dauid longe aliter Pfalmo CXIX, 110. 29. 53. 90. 113. 144. 158. fentit.

Digitized by Google

breuissimis particulis designauerint. Philosophi certitudinem mathematicam affectantes etiam in metaphysicis, introduxerunt methodum s. scripturae plane peregrinam, sine experientia spirituali, sine attentione ad verba Christi a Deo accepta, ex intellectu, quem vocant, puro, hoc est, ex scrinio pectoris, regulas erigere, ad quas res etiam sublimissimas Curiae Coelestis exigere volunt. Sane si Epistolae, ad Ebraeos notiones de sacerdotii functionibus, de sacrario Coelesti, de introitu Christi in sacrarium de sanguinis Christi adportatione coram facie Dei, vellent in notiones puras immateriales resoluere, periret tota Epistola ad Ebraeos. Ipsum verbum hypostaticum in merum intellectum Dei resolui deberet atque sic metu imaginationum materialium abstraherent ab omni tractatione communicationis idiomatum a conceptibus praesentiae repletiuae, a conceptibus transmutatiuis perichoristicis remouendo crassa Phantasmata, dicendo haec fieri inalterabiliter, remouendo & Crassos Commixtionis Corporeae Conceptus, remouendo Crassos extensionis partium extra partes conceptus, remouendo Crassos translationis a loco ad locum conceptus; certe antiqui nostri Theologi, ut GERHARDUS, CHEMNITIUS, MELANCHTON, LUTHERUS substiterunt in verbis Dei, nec co-

nati ſunt fidem in ſcientiam vertere, quod iam ſeculi noſtri Epidemicum eſt malum. Dominus miſereatur Eccleſiae detque nobis doctores, neque nimis timidos & aphiloſophos, neque nimis audaces, ſed ſcripturarios philoſophos, qualis fuit ARNDIUS, & quales decet euadere exegetas ſingulos, docendi ſparta ornatos.



SPICI-

Digitized by Google

SPICILEGIUM
AD
DISSERTATIONES
DE
LUPODUNO ALAMANNORUM.

AUCTORE
IO. CHRIST. VOLZIO,
Hist. Prof. P. O. in Gymn. Illustri Stutg. & Serenissimo Wirtemb. Duci ab Antiquitatibus.

Illustre est *Aurelii Symmachi*, de fide *Ausonii* testimonium, quod in litteris ad eundem legitur, Libr. I. Ep. XIV. seqq. verbis: „*Volitat tuus Mosella per manus sinusque multorum, diuinis a te versibus consecratus: sed tantum nostra ora praelabitur. Cur me istius libelli, quaeso, exsortem esse voluisti? aut* αμουσος *tibi videbar, qui diiudicare non possem; aut certe malignus, qui laudare nescirem. Itaque vel ingenio meo plurimum, vel moribus, derogasti. Ego tamen contra interdictum tuum mox ad illius operis arcana perueni. Velim reticere, quid sentiam: velim de te iusto silentio vindicari: sed admiratio scriptorum, sensum frangit iniuriae. Noui enim istum fluuium, cum de-*

Digitized by Google

ternorum Principum iam pridem signa comitarer, parem multis, imparem maximis. Nunc improuiso clarorum versuum dignitate Aegyptio Melone maiorem, frigidiorem Scythico Tanai, clarioremque hoc nostro populari Fucino reddidisti. Nequaquam Tibi crederem, de Mosellae ortu ac meatu magna narranti; NISI CERTO SCIREM, QUOD NEC IN POEMATE MENTIARIS „ Caeterum de victoria Augustorum conferri etiam potest Epistola *Symmachi* ad *Syagrium*, summae eo tempore auctoritatis virum. v. L. I. Ep. 95. Addam alia, pro auctoritate *Ausonii*, argumenta.

In editione operum *Ausonii* Tolliana, Amstelod. in 8. A. 1671. nota ad principium Mosellae, p. 347. dicitur: „*Ausonius, Praefectus Praetorio Galliarum, Argentorato Treueros proficiscebatur.*„ Oportet utique tanto viro, docto, ast non umbratili & solummodo inter pulpita scholae versanti, sed in republica & militia summae auctoritatis, notos fuisse, has ipsas regiones, in quibus ipse multum erat versatus. Apprime huc etiam facit testimonium de AUSONIO viri cel. *C. S.* SCHURZFLEISCHII, qui in Dissert. *de principio Mosellae Ausonii*, (quae est in Disputationibus Historicis Ciuilibus, in unum volumen collectis, & Lipsiae A. 1699. editis, Nona numero,) §. I. ait: „*Cogitanti Al-*

satiae

ſatiae Origines occurrit Auſonius, cuius & iucundiſſima cum Imperatore Gratiano conſuetudo, & regionum, quae inter Rhenum Moſellamque interiacent, multo ſtudio comparata notitia fuit. Qui poëmate condendo, quod Moſellam inſcripſit, non tantum effinxit atque imitatus eſt ſcriptores optimos, ſed etiam hiſtoriae ſcribendae cumprimis dignitatem attulit, & quoad ego inueſtigare potui, primus ex omnibus fuit, qui obita Alſatiae itinera, & principis in ea regione urbis NOUA MOENIA *poſteritati commendauit* „ Sane, qui ubique locorum, ubi degebat, tam ſollicite locorum ſitum inueſtigare conſueuerat homo, non facile tantum aberraſſe credendus eſt a vero, ut oppidum confluentibus *Rheni* atque *Nicri* vicinum, ad *Iſtri* fontes referret, ſatis magno interuallo ab iſto utique loco remotos. Addo & hoc, non ita ignoratus erat *Auſonio* ISTER fluuius, ut tantum errorem potuerit errare: probe etenim inferiorem fluminis partem, quae *Pannonias Moeſiamque* transfluit, & *Iſtri* proprie veniebat nomine Romanis, a ſuperiore diſtinguit parte, quae DANUUII apud eosdem, ut praeter alia teſtimonia, e *Traiani* etiam atque *Hadriani* numis colligitur, geſtabat nomen. Verſu videlicet 106. *Moſellae*, inquit:

„*Quaeque per Illyricum, per ſtagna binominis Iſtri &c.*„

Quidquid etiam *Rhenano* & *Ortelio* cel. obiiciat PREHERUS, ex ipsis verbis, quae in Editione *Ausonii* Tolliana, ad illustrandum hunc protulit locum vir eruditissimus, argumenta desumi possunt, ad refutandam eius sententiam facientia. Liceat integros transscribere istas annotationes, ut meis fidem faciam verbis. p. 423. v. 423. (HOSTIBUS EXACTIS) *Germanis. Philo ad Caium p. Hi enim & Parthi, populi Romani hostes. Ulpianus C. hostes. D. de capt. & postlim. Ab hostibus captus, ut puta a Germanis & Parthis, & seruus est hostium, & postliminio statum recuperat pristinum. Virgilius:*

Hinc mouet Euphrates, illinc Germania bellum.

Themist pag. 113. καὶ Γερμανοί. *Et plerumque hi duo populi, fatales potentiae Romanae termini, iunguntur: & in numis victoria clypeo palmae appenso inscribens cernitur, modo:* VIC. GER. *modo:* VIC. PAR. *Sed quibus Germanis? non tantum cis Rhenum, qui Gallias inuaserant, Alemannis, de quibus Orosius, pag.* 645. *Cassiodor. Ann. Sext. Victor. pag.* 59. (*unde monumenta circa Laudun, Ludstat*) *sed omnino victoria persecuta ultra Rhenum habitantibus, Francis & Sueuis. Ipse Ausonius gratulatur diserte in precatione consulari:*

Hostibus edomitis, qua Francia mista Sueuis
Certat ad obsequium, Latiis ut militet armis:
Qua

Qua vaga Sauromates sibi iunxerat agmina Chunni:

Sueuis; ad fontes Danubii, qui in Sueuia. Ausonius Epigr. IX. sub persona Danubii:

Qua gelidum fontem mediis effundo Sueuis:

Et Epigram. IV.

Caede, fuga, flammis, stratos periisse Sueuos.

Et in Tab. Peutingeriana à Borbetomago usque Argentoraten, e regione est Sueuia. Francis; ad Nicrum & Lupodunum. Ibi enim eos collocat etiam Sidonius Apollinaris Panegyrico Aviti Imp.

Bructerus, uluosa vel quem Nicer abluit unda,
Prorumpit Francus.

Ad Moguntiam, Vopisc in Aurel. Jac. Curio. D. Hier. in vita Hilarionis Monachi: Inter Saxones & Alemannos (i. e. Oceanum & Rhaetias) gens est non tam lata quam valida: apud Historicos Germania, nunc vero Francia vocatur. Et sane adhuc ita vicinae sibi sunt hac in regione Francia & Sueuia, ut solo Nicri alueo disterminentur: hinc Odenwald & Bergstrass, quae Franconico; inde Creichgow, quae Sueuico circulo continetur. Hinc Suaben & Suabenwaeldlin. Ausonius Eidyllio VII, de Bissula sua Sueua trans Rhenum:

Bissula trans gelidum, stirpe & lare prosata, Rhenum!,
Conscia nascentis Bissula Danubii.

Patet de fontibus Iſtri non diſſentanea Freherum a noſtris proferre; ut vero ſuae ſeruiat hypotheſi, *Lupodunum* ad Francos, & inferiorem *Nicri* partem refert; quod *Auſonio* Autore, a fontibus Danubii non potuit eſſe valde remotum. Agnoſcit & ipſe, (nota 270, ad verſ. 424.) *Freherus*, Auſonium de victoria loqui aliqua Romanorum, qua fontes iſtius fluuii Romanis facti fuerint illuſtriores. Afferam & haec ipſius verba integra. „*Danubii fontes diu veteribus ignoti fuerunt, ut Nili; quem Apollonius ab Hyperboreis naſci cecinit, manifeſto commento. Etſi poſtea eos ſcribat Tacitus praecipiti & excelſo montis Abnobae iugo oriri, vicinos Rheni fontibus: itaque compertos tradant Plinius, Dionyſius, Ptolemaeus, Strabo, Tacitus, alii; Ipſe etiam Auſonius Epigr. IV. Qua gelidum &c. Non tamen ad eos armis penetrauerant Romani; non magis quam ad Nili; vel etiam ad Rheni, de quo Lucanus, lib. II.*

Albis, & indomitum Rheni caput.

Primus Lucius Praetor ad Danubium acceſſit. Jordan. de temp. ſucceſſ. p. 81. Et Traianus Danubium quidem pacauerat, ſed non ad fontem usque. Id in eius numis denotare volunt Danubium, caput ſiue carbaſo peploue tectum (ut accipit Anton. Auguſtinus Dial. 3. de Numiſm. n. 24.) ſiue in ſpecu, antro, cauerna reconditum habentem, ut in Columna eius-

eiusdem Principis apparet, & Ausonius eo alludere videtur, Epigr. IX.

Danubius penitis caput occultatus in oris,
Totus ſub veſtra iam ditione fluo.

Ut Tibullus de Nilo:

Aut quibus in terris occuluiſſe caput.

Idem Ausonius Epigr. IV.

Illyricis Regnator aquis, tibi Nile ſecundus
Danubius, laetum profero fonte caput.

Ubi quod Danubium, quem & Heſiodus καλλιῤῥέεθρον *vocat, & quod* permeat orbem Iſter, (Lucan. p. 64.) *ſecundum facit, conſentit Jornandes in Geticis: hic amnis inter caetera flumina immanis, omnes ſuperat, praeter Nilum. Neque ſimpliciter Auſonius dicit, Fontem ignotum, ſed Latiis ignotum, i. e. nullius antehac Romani Principis victoria cognitum, & in annales relatum; & omnium primo iam Valentiniano Aug. cum Gratiano Caeſ. tentatum: ſed & poſtea per Stiliconem, teſte Claudiano:*

Omne quod Oceanum fontemque interiacet Iſtri,
Unius incurſu tremuit.

Quod etiam de Nili fontibus, iisdem per adulationem ominatur:

Auguſto dabitur ſed proxima palma Valenti:
Inueniet fontes hic quoque Nile tuos.

Junguntur hi duo apud Horatium:

Te fontium qui celat origines,
Nilusque & Ister, te rapidus Tigris.

Et Claudianus Honorio:

Ite per ardentem Libyam, superate vapores
Solis, & arcanos Nili deprehendite fontes.

Quaeso, qua ratione *Ausonius* aut *Freberus*, dicere poterant, victoria ista *Valentiniani* notos factos esse Istri fontes, si ad confluentes Rheni atque Nicri, commissa fuerat pugna? Vagam oportet regionis fuisse notitiam *Ausonio*, quod refutauimus; aut iunxisse dicendus erit, quae plane coniungi non debebant, Lupodunum scil. Nicrumque, cum Istri fontibus. Addo & hoc, tota structura Epigrammatis tertii, prodit, cladem Germanorum, vel qui strictius heic nominantur, Sueuorum ad fontem Danubii esse referendam, quod idem & de quarto affirmare nullus dubitauerim. (*m*)

De

(*m*) Subiungam integra; iudicent lectores.

Epigr. III.

Illyricis regnator aquis, tibi, Nile, secundus
Danubius laetum profero fonte caput.
Saluere Augustos iubeo, natumque, patremque,
Armiferis alui quos ego Pannoniis.
Nuncius Euxino iam nunc volo currere ponto,
Ut sciat hoc superum cura secunda valens;

Caede,

De *Solicinio* coniecturas adiiciam paucas, a vero forte non valde abludentes. Ex similitudine nominis aliqua, nonnulli *Sulz*, oppidum in

Caede, fuga, flammis stratos periisse Sueuos:
Nec Rhenum Gallis limitis esse loco.
Quod si lege maris refluus mihi curreret amnis,
Huc possem victos inde referre Gothos.

Epigr. IV.

Danubius penitis caput occultatus in oris,
Totus sub vestra iam ditione fluo.
Qua gelidum fontem mediis effundo Sueuis,
Imperiis grauidas qua seco Pannonias,
Et qua diues aquis Scythico soluo ostia ponto;
Omnia sub vestrum flumina mitto iugum.
Augusto dabitur, sed proxima palma, Valenti.
Inueniet fontes hic quoque, Nile, tuos.

Quid, amabo, clarius quam hoc, victoriam *Valentiniani* cum fonte Istri penitius coniungi, quam cum quocunque alio terrarum loco? Qui fieri posset igitur, ut *Lupodunum* quod *Frehero* placuit, ab eodem diuellas? Nec nullius est momenti, quae a Sueua virgine, *Bissula*, quam *Ausonius* amauit, atque secum duxit, repeti potest ratio. Natam esse illam in regione, quae a nascente *Danubio* proxime aberat: & captam illo bello, in manus ipsius venisse. Constat. Quis dubitet *Ausonium* de locorum situ veriora dixisse, alio quocunque, qui magis peregrinus in istis fuerat terris. In prooemio ad *Paulum* suum:

Ut voluisti, Paule, cunctos Bissulae versus habes:
Lusimus quos in Sueuae gratiam virgunculae.

Et

Digitized by Google

in Ducatu Wirtembergico, ad *Nicrum* falinis fuis non incelebre, *Sulzau*, alii vicum in Comitatu Hohenbergenfi, etiam ad ripam *Nicri* pofitum, heic in cenfum venire poffe putarunt. Nouam ego audeo in medium afferre coniecturam, iudicent de illa harum inueftigationum periti. Praefumo igitur profectos effe Romanos per Germaniam primam, cuius pars Alfatia hodie audit, *Wormatia Argentoratum* usque, atque traieciffe ibidem Rheni fluenta. At hoc loco, mea opinione, per *vallem* adfcendere potuere, quam vocant, *Kinzingenfem*, & ulterius pertingere ad *Hornbergam* usque, Ducatus noftri oppidum fatis notum. Nemini hoc incredibile videbitur, qui de itineribus nonnulla nouit militari more inftituendis. Antiquis aeque, ac hodiernis in ufu eft bellatoribus, fluuiorum fequi curfum in proficifcendo, ubi hoc fert locorum ratio: affentiet, qui cogitat, qua via vel noftro, quo viuimus feculo, in Sueuiam noftram irrumpere foliti fuerint Galli. Non longe *Hornberga* diftat vicus *Sulgau*, vel *Sulgen*, vulgari fermone adpellatus. Is vero eius loci eft fitus, atque genius, ut

Et Edyll. VII.

Biffula trans gelidum, ftirpe & lare, profata Rhenum,
Confcia nafcentis Biffula Danubii,
Capta manu, fed miffa manu, dominatur in eius
Deliciis, cuius bellica praeda fuit.

Digitized by Google

ut apprime cum iis, quae ex *Ammiano* aeque ac *Ausonio* de hoc, quod quaerimus, praelio eruuntur. Et *Nicer* fluuius, & *Lupodunum* castrum, & *Danubii fontes*, in his confiniis conuenire videntur. Quisquis in Mappam Geographicam coniecerit oculos, mecum haud difficulter faciet. Exactius omnia conspirabunt, si quis in *Breuningerianam* descendere voluerit sententiam, qui argumentis, pondere certe non destitutis, probare conatus est, verum Danubii fontem, non esse in scaturigine illa *Doneschingensi*, ut communis est sententia, quaerendum; sed *Brigacum* fluuium potius verum esse reputandum *Danubium*, fontemque proinde fluminis vastissimi e regione Monasterii *D. Georgii* esse repetendum. Equidem ex quo scaturiginem decantatam *Doneschingae* ipse sum intuitus, & *Brigacum* fluuium cum adiacente contemplatus sum regione, me in istam sententiam propensiorem esse factum non diffiteor. At multo propinquius abest iste locus, quam *Doneschinga*, a vico *Sulgau*, quem pro *Solicinio* venditari posse, supra conieci. Quidquid vero sit huius rei, *Lupodunum* certe *Solicinio* & *Nicro* & *fontibus Istri* vicinum, in hac potius, quam *Ladenburgensi* reperiundum est regione. Saepius interrogaui ex amicis, horum locorum gnaris, numquid Antiquorum, quae Romanos spectarent, monumentorum ibidem inueniatur

niatur: vana fuit mea curiositas, & in eo consentiebant omnes, nihil eorum in vicinia oppidi *Sulz* reperiri. Didici tandem ex amico erudito, qui per tredecim annos iis in locis commoratus est, in agro *Sulgensi* subinde inter arandum numos erui Romanorum ex terra. Promisit vir optimus se operam daturum, ut aliquot eorum potirer, quo nouo argumento certe meae opinioni pondus accederet non contemnendum, neque, si voti compos fuero factus, omittam communicatione illorum meam eruditis demonstrare voluntatem.



IDEA

Digitized by Google

IDEA HISTORIAE NATURAE

OCCASIONE DISSERTATIUNCULAE,

QUAE

AMOENITATIBUS ACADEMICIS INSERTA FUIT,

TIT.

EXAMEN SYSTEMATIS BUFFONIANI;

SUBNATA.

AUCT.

IOH. CHRISTIAN. VOLZ,

Hist. Prof. P. O. in Gymn. Illustr. Stutg.

Nil attinet hic prolixius de praestantia & utilitate, vel etiam necessitate historiae naturae disputare. Satis disputatum est hoc argumentum, praetereaque hodie nemo est facile, qui de isto videatur dubitare. De diuisione tamen non tantus est consensus, & fateor facile, me in eadem esse sententia, quam Viri Celeberrimi, WALLERIUS & DENSO, sunt professi,(*n*) vulgarem diuisionem historiae naturae, secundum

(*n*) Vid. Hydrologia v. c. *I. G. Wallerii*, quam in germanicam vertit linguam v. c. *I. D. Denso*, Berol. 1751. 8.

Digitized by Google

dum tria, quae vocantur, naturae regna, *minerale* videlicet, *vegetabile*, atque *animale*, minime ita comparatam esse, ut naturae sollicito scrutatorii sufficere queat. Haec cogitatio, & plures tam institutae ab ipso, quam collectae ab aliis obseruationes, amplificarunt nobis egregiam scientiam, & fines horum regnorum dilatarunt. Inde natum quasi nouum imperium, *aqueum* regnum, huic ditioni adiectum, cuius notitiam doctissimus *I. G.* WALLERIUS nobis *Hydrologiae* nomine primus pandit distinctam, & secundum ordines atque classes adcuratius dispositam. Simili ardore accensus, exculturus scientiam finesque promoturus, ideam alterius scientiae dedit vir eruditissimus *I. D.* DENSO, qui in praefatione, quam Hydrologiae Wallerianae, a se in Germanicum sermonem translatae, praemisit, cui *Pyrologiae* ab obiecto tractationis, imposuit nomen.

Meditanti mihi, & egregios tantorum virorum labores curatius contemplanti, obtulit se ista cogitatio, fieri posse, ut amplissimae ditionis scientia commodius diuideretur, quo sc. magis & amplitudini materiae, & ordini discendi consuleretur. Liceat igitur hanc Ichnographiam examini sapientiorum heic submittere.

Historia

Digitized by Google

Hiſtoria Naturae eſt Syſtema deſcriptionum, definitionum atque obſeruationum de iis, quae in rerum natura occurrunt. Hinc hiſtoria naturae, vel

A. Hiſtoria coeleſtis, earum rerum & phaenomenorum, quae in coelo queunt obſeruari. Eaque vel vulgariam obſeruationum, quae absque inſtrumentorum ope inſtituuntur,

a. Aſtrognoſia; vel obſeruationum quae artificioſis obtinentur inſtrumentis,

b. Aſtronomia practica.

vel

B. Hiſtoria terreſtris, earum rerum, quae in terra noſtra offenduntur; poteſt illa diuidi vel, in *Epigaeam* & *Hypogaeam*, quae duo genera varias iterum complectuntur ſpecies, & ſpecies ſubordinatas: vel ſecundum ita dicta quatuor Elementa veterum. (*o*)

Hiſtoria

(*o*) Elementa iſta veterum, toties adcuſata, & propugnata, fortaſſis etiam ex mente veterum, non ſunt ſane id, quod primam corporum materiam, vel ſubſtantias elementares, ut loqui amant, conſtituit. Sed videntur mihi, qui haec elementa propoſuerunt, ſaltem claſſes uniuerſaliores efformare voluiſſe, ad quas commode omnia corporum genera, quae ipſis innotuerant, referri poſſint. Hac ſententia certe ductus, illam, quam propono, hiſtoriae naturae diuiſionem animo concepi.

Hiſtoria naturae terreſtris igitur complecti-
tur IV. Partes.

Eſtque:

I. GEOLOGIA, quae ſec. cel. Linnaei, vel aliud Syſtema diuidi poterit, e. g.

α.) *Lithologia.* 1. Lapides Apyri. 2. Calcarei. 3. Vitreſcentes.

β.) *Mineralogia.* 1. Salia. 2. Sulphura. 3. Mercurialia.

γ.) *Oryctologia.* 1. Terrae. 2. Concreta. 3. Petrificata.

δ.) *Phytologia* terreſtris, vel *Botanica*, ſecundum Claſſes, Ordines, Genera & Species cel. Linnaei diſtribuenda; ſed quae omnia heic recenſere, pro inſtituti ratione, nimis prolixum foret.

ε.) *Zoologia.* 1. Quadrupedia. 2. Aues. 3. Amphibia. 4. Piſces. 5. Inſecta. 6. Vermes.

II. HYDROLOGIA, ſec. cel. Wallerium,

A.) Claſſis, I. aqua communis.

α.) Ordo I. Aqua aërea.

a.) Genus. I. Pluuia.

1.) Species I. Ros.

2.) Sp. II. Pluuia.

3.) Sp. III. Fractura nubium.

b.) Genus. II. Nix.

1.) Spec. I. Pruina.

2.) Spec.

Digitized by Google

2.) Spec. II. Grando.
3.) Spec. III. Nix.
β.) Ordo. II. Aqua terreſtris.
a.) Genus. I. Aqua viua.
1.) Sp. I. Aqua fontana.
2.) Sp. II. — periodica.
3.) Sp. III. — viua aërea.
4.) Sp. IV. — putealis.
5.) Sp. V. — fluuiatilis.
b.) Genus. II. Aqua ſtagnans.
1.) Sp. I. Aqua ſtagni.
2.) Sp. II. Aqua paludoſa.
c.) Genus III. Aqua lacuſtris.
1.) Spec. I. Aqua lacuſtris pura.
2.) Sp. II. — — aërea.
d.) Genus. IV. Glacies.
1.) Sp. I. Glacies autumnalis.
2.) Sp. II. Glacies vernalis.
B.) Claſſis. II. Aqua mineralis.
α.) Ordo. I. Aqua mineralis frigida.
a.) Genus. I. Aqua miner. ſpirituoſa.
1.) Spec. I. Aqua ſpirit. ſpiritu aethereo volatili.
2.) Sp. II. — — — vitrioli volatili.
3.) Sp. III. — — — alcali volatili.
b.) Gen. II. Aqua mineralis cruda.
1.) Sp. I. Aqua tophacea.
2.) Sp. II. — vitriolica.

3.) Sp. III. Aqua aluminoſa.
4.) Sp. IV. — muriatica.
5.) Sp. V. — alcalina.
6.) Sp. VI. — neutralis.
7.) Sp. VII. — ammoniacalis.
8.) Sp. VIII. — bituminoſa.
9.) Sp. IX. — ſulphurea.
10.) Sp. X. — arſenicalis.
c.) Genus. III. — Aqua acidularis.
1.) Spec. I. Acidulae martiales.
2.) Sp. II. — muriaticae.
3.) Sp. III. — alcalinae.
4.) Sp. IV. — neutrales.
β.) Ordo. II. Aqua mineralis calida. Thermae.
a.) Genus. I. Thermae ſimplices.
1.) Spec. I. Thermae ſimplices purae.
2.) Sp. II. — — ſimpl. ſpirituoſae.
b.) Genus. II. Thermae minerales.
1.) Sp. I. Thermae martiales.
2.) Sp. II. — — alcalinae.
3.) Sp. III. — — neutrales.

Appendix.

α.) Ordo. I. Succi naturales.
a.) Genus. I. Succi minerales.
1.) Sp. I. Guhr.
2.) Sp. II. Spiritus vitriolicus.
3.) Sp. III. Petroleum.

4.) Sp.

4.) Sp. IV. Spiritus metallorum.

b.) Genus. II. Succi vegetabiles.

1.) Sp. I. Ros melleus.

2.) Sp. II. Liquores plantarum.

3.) Sp. III. Reſina.

4.) Spec. IV. Camphora.

5.) Sp. V. Gummi.

6.) Sp. VI. Gummi-reſina.

c.) Genus. III. Succi animales.

1.) Sp. I. Sanguis.

2.) Sp. II. Lympha.

3.) Sp. III. Humor.

4.) Sp. IV. Mucus.

5.) Sp. V. Succus oleoſus.

6.) Sp. VI. Spiritus animalis.

β.) Ordo II. Succi artificiales. (ſaltem indicabimus genera.)

a.) Genus. I. Aquae deſtillatae.

b.) Gen. II. Olea.

c.) Gen. III. Spiritus.

d.) Gen. IV. Extracta.

e.) Gen. V. Liquores. (*p*)

III.

(*p*) Prolixius Wallerianam repetere tabulam non inconſultum videbatur, quoniam recenter in ordinem redacta ſcientiarum pars nondum ita vulgata, ut aliae; & proinde non paucis, qui haec legere dignantur, grata futura eſt viſa.

Digitized by Google

III. AËROLOGIA, al. & *Meteorologia* dicta.

A.) Pars. I. de aëre puro.

α.) de aëre puro collecto, ſ. Atmoſphaera.

a.) In ſtatu quieto, ſ. aequilibrio.

b.) In motu, ſ. de ventis.

1.) Venti ſec. durationem conſiderati

א.) Uniuerſalis.

ב.) Anniuerſarius.

ג.) Vagus.

2.) Venti ſec. directionem conſiderati

א.) Horizontales. Plagae XXXII.

ב.) Obliqui.

ג.) Verticales.

3.) Venti ſecundum vim v. velocitatem conſiderati, cuius velocitatis plerumque tres aut quatuor gradus conſtituuntur.

β.) de Aëre mixto.

Collecto

Digitized by Google

Collecto in

a.) Atmoſphaera, repleta variis heterogeneis partibus.

1.) Diſperſis.

2.) Collectis.

א.) In nebula.

ב.) In nubibus.

b.) Diſperſo, in omnibus corporibus terreſtribus.

γ.) de attributis aëris generalibus.

a.) de Fluiditate.

b.) de Grauitate.

c.) de Elaſticitate. (*q*)

IV. PYROLOGIA. Dabimus heic Auctoris huius ſcientiae, V. Cl. *J. D. Denſo*, Ichnographiam, qualem ipſe l. ſupra citato, delineatam exhibuit, eamque, uti decebat, nihil immutatam.

A.) Pars I. de igne naturali.

α.) Uniuerſali, ſ. potius collecto.

a.) de luce.

b.) de calore.

c.) de nutrimento ignis.

d.) de grauitate.

e.) de

(*q*) Veniam puto merebitur hoc tenue ſpecimen, occaſionem forte peritioribus daturum, Aërologiam parum adhuc, hac forma, excultam, ulterius perficiendi & amplificandi.

Digitized by Google

e.) de coloribus.

f.) de reliquiis ignis, ſ. ex nutrimentis ignis reſiduis.

β.) de igne naturali diſperſo.

א.) de igne corporum coeleſtium.

a.) de igne ſolium, ſ. ſtellarum fixarum.

b.) de igne Cometarum.

c.) de igne Planetarum.

d.) de igne ſolis noſtri ſyſtematis.

ב.) de igne Atmoſphaerae noſtrae.

a) de igne qui allabitur ex Sole.

b.) de igne ex Luna illabente.

c.) de igne e planetis reflexo.

d.) de igne e ſtellis fixis ad nos emanante.

e.) de igne Atmoſphaerae proprio.

f.) de igne, qui oritur a radiis ſolis reflexis.

g.) de igne ab exhalatioribus orto.

ג.) de igne terreſtri.

a.) In regno minerali.

b.) In regno vegetabili.

c) In regno animali.

B.) Pars II. de igne artificiali.

α.) Sect. I. de igne aperto & clauſo in Oeconomia.

β.) Sect.

Digitized by Google

β.) S. II. de igne in Physica experimentali considerato.

γ.) S. III. de igne Chemico.

δ.) S. IV. de igne in Optica considerato.

ε.) S. V. de igne in Pyrobologia adhibito.



SPECIMEN VARIORUM DOCUMENTORUM

QUIBUS

CASP. CRUCIGERI

VITA ILLUSTRARI POTEST.

AUCT.

CAROL. BUTTINGHAUSEN,
Prof. Heidelb. & V. D. M.

---

§. I.

Crucigeri vitam plures enarrant, ex. gr.

ADAMI *vit. Theologorum.*

BOSSECK *Differt. de Casparo Crucigero.* Lipſ. 1739.

CAMERARIUS in *vita Melanchthonis*, edit. Lipſ. an. 1566. p. 303.—305. & edit. Hagienſ. an. 1655. p. 295. cel. SCHELHORNIUS *Ergötzlichkeiten aus der Kirchengeschichte und Literatur* Tom. II. p. 408. hac de re ita: *das ausnehmende Lob, welches ihm wegen seiner ruhmwürdigen Eigenschaften Camerarius beyleget, kan man nicht ohne Vergnügen lesen.*

Cata-

Digitized by Google

Catalogus doctorum tam catholicorum quam protestantium Wormat. praesent. MDXLI. ubi de nostro ita:

Crux fulmenque fores tunc formidabile vulgo:
Plus aliis adeo, quam tibi si placeas.

Epigrammata ad viros eruditos, qui Wormatiensi & Ratisbonensi Colloquiis interfuerunt, in Utopia nata MDXLI. G. B. S. K. Ibidem de nostro duplex epigramma legitur:

* * *

Si te Vangionum sic admirantur ocelli
Ut colit ingenium Saxona terra tuum,
Utque tui ingenii vis ac natura merentur.
Non hominem certe sed coluere Deum.

* * *

Ad eundem de *Io. Eccio.*

Non mirare, quod Eccius est ita garrulus: illud
Patrium habet; — — — garrula semper auis.

GERDESIUS in Hist. Reform.

IOECHER *Allgem. Gelehrten-Lexicon.* p. m. 2225.

LUTHERI *opera & Epistolae.*

MATHESII *Predigten von der Hist. D. Luthers.* p. 69. b. & p. 157. a. edit. Norimb. 1580.

MELANCH-

MELANCHTHONIS *Epistolae.*

PANTALEONIS *Prosopographia.*

REUSNERI *Icones siue imagines virorum literis illustrium*, edit. Argent. an. 1587. lit. I. II. III. & edit. Argent. an. 1590. p. 141. — 144. ubi & *Iosephi* a PINU Eteostichon, ac *Petri* LOTICHII, *Georgii* FABRICII, *Io.* LAUTERBACHII, *Adami* SIBERI & *Nic.* REUSNERI epigrammata exhibentur.

SECKENDORFII *Hist. Lutheranismi.*

VERHEIDEN *elogia praestant. aliquot Theologorum.*

VOGELS *Leipziger Annales.*

§. II.

Scripta, quae mihi innotuerunt, sunt sequentia.

1.) Orationes III. *de ordine discendi, de puritate doctrinae in ecclesia conseruanda, de dignitate studiorum theologicorum & ministerio ecclesiastico.* Extant in MELANCHTHONIS *declamationibus.*

2.) *De iudiciis Synodorum.* Witteb. 1548. 8.

3.) *Expositio Symboli Nicaeni.* Witteb.

4.) Scripta quaedam *de usu integri sacramenti & missa theatrica, de potestate & primatu Papae, collecta in conuentu Smalcaldiensi, partim in conuentu Ratisponensi.*

5.) Prae-

Digitized by Google

5.) Praefatio ad *Spangenbergii margaritam theologicam.*

6.) *Auslegung des 20. Psalms.* Witteb. 1546. 4.

7.) *Erklärung des 22. Psalms.*

8.) *Enarratio Psalmi: dixit Dominus, & aliquot sequentium.*

9.) *In Psalm* 116 & 118. Witteb. 1542. 8.

10.) *Vorrede über Ps.* 118. extat in LUTHERI oper. germ. Wittenb. Tom. IX. p. 544.

11.) *Der CXI. CXIV. CXV. Psalm verdeutschet durch M. Stephanum* REICHEN. Ursel 1560. 8.

12.) *Enarratio in Eu. Iohannis.* Argent. 1546. 8.

13.) *Comment. in Epist. ad Romanos.* Wittenb. 1567. 8.

14.) *Comment. in I. ad Timoth.* Argent. 1540.

15.) Ipsius notae in *Terentium* prodierunt 1566. vid. *Merkw. der Dresdner Bibl.* Tom. I. p. 162. fine.

§. III.

Sequuntur scripta, quae simul cum aliis iis Collegis composuit.

1.) *D. Mart. Luth. und derer Wittenb. Theol.* (in specie *Crucigeri*) *wegen des Schmalkaldischen Bundes Rath und Bedenken.* Extat in Consil. Theol. Wittenb. P. III. p. 96.

2.) *Re-*

2.) *Reformatio seu gubernatio Ecclesiae Christi.* In fine & legitur CRUCIGERI nostri nomen, occurrit in MELANCHTHONIS *Consiliis* edit. Neust. sed illustr. SECKENDORFIUS denuo ex originali edidit *Hist. Luther. lib. III.* p. m. 522. — 536.

3.) *Abdruck der vidimirten Copey des Ratschlages, so die Theologi der Uniuersität Wittenberg gehalten, wegen des Krieges wider den Kayser Carl den V.* Extat in HORTLEDERI lib. II. cap. 21. p. 107. 108.

§. IV.

De epistolis CRUCIGERI varia monenda restant.

I.) In Bibliothecis variae adhuc ineditae latent, ex. gr. in *bibliotheca Rehdigeriana* Wratislauiae. Vid. *Syllog. noua Epist.* Norimb. Vol. III. lib. VII. post praefationem. Porro in bibliotheca Reu. SOLGERI, vid. Catal. Tom. I. p. 259.

II.) Laudandum maxime est illorum virorum doctorum consilium, qui CRUCIGERI epistolas hinc inde in dias luminis auras emiserunt. Sic legimus

1.) ipsius epistolam ad *Steph.* RODT an. 1518. in libro hoc titulo edito: *altes aus allen Theilen*

len der Geschichte Tom. I. p. 630. n. VII. Iste *Stephanus Rodt* iam ann. 1517. nostro *Crucigero* sacrum esse voluit *Pici Mirandulensis* ad Maximilianum carmen. Vid. *Altes* Tom. I. p. 170.

2.) Epistolam ad *M. Casparum Bornerum* in HOFFMANNI *Reformations-Historie von Leipzig.*

3.) Epistolas ex comitiis Ratisbonens. an. 1541. in SCHELHORNII *Ergötzlichkeiten* Tom. II. p. 409.—414. & in SECKENDORFII Hist. Luther. lib. III. p. m. 357.



RELA-

Digitized by Google

DE

PRIMA

ELEMENTORUM EUCLIDIS EDITIONE,

VENET. 1482. EXCUSA,

CUIUS

EXEMPLAR IN BIBLIOTHECA DUCALI STUTGARDIAE SERVATUR.

RELATIO

H. G. C.

In describenda hac Elementorum Euclidis editione, quae omnium prima erat, uti viam nobis praeiuit cel. Dn. KAESTNERUS, in Epistola ad Emmentissimum Cardinalem QUIRINUM 1750. perscripta, ita etiam praeter relationem solam heic recudendam nihil vel praefaturi vel sub finem essemus addituri, nisi ipse Vir cel. spicilegium aliquod superesse voluerit, quo aliorum ingenia exerceri possent, si quidem Typographicae artis initia penitius excutere atque rimari velint.

MATHE-

Digitized by Google

MATHEMATICOS vero libros rarius quam reliquos qui illorum imprimendorum impenſas facerent ſub artis typographicae initia reperiſſe, non eſt forte ut ex annalibus typographicis operoſius probem, quando id quiuis etſi nihil unquam fando de MAITTAIRIO audiuiſſet lubenter daturus eſt, niſi omnino diſſimilem rei librariae ante tria ſaecula quam nunc eſt rationem ſupponere velit, aut ſtudia haec renaſcentibus vix in hac quam incolimus EUROPAE parte litteris mirifice floruiſſe contendat, quae iam adeo languent, ut perpolitos ſe omni eruditionis genere credant, quos PYTHAGORAS diſcipulos non recepiſſet, & philoſophi etiam, de mathematicae & philoſophicae methodi diſcrimine mira fabulentur, qui ſi tacuiſſent philoſophi forte & geometrae manſiſſent. Mirum igitur non eſt, ſi magni alicuius momenti mathematicus liber ante eum de quo acturus ſum editus reperiatur nullus. (*r*)

PRO-

(r) Praeter eos enim qui ad hiſtoriae ſubſidia ferentem Geographiam aeque pertinent ac ad Cosmographiam mathematicam, STRABONEM, POMPONIUM MELAM, PTOLEMAEUM & rei militaris ſcriptores aliquos propter tacticam & μηχανικὴν ad Matheſin referendos, nullus omnino primis quatuor a reperta CIↃCCCCXXXX arte elapſis decadibus nominatur apud MAITTAIRIUM mathematicus liber

PRODIIT autem liber editore ERHARDO RATDOLT (s) Augustano, qui Venetiis Typographiam exercuit (t) & inter plura alia opera mathematicis etiam rem litterariam ditauit. (u)

FORMA est, quae in folio dicitur, sed minoris generis, longitudine foliorum, (si licet in describendo libro geometrico mensuras agere,) pedis Parisini uncias XI. latitudine VIII. aequante. Euoluenti librum, pro more illorum temporum, titulus occurrit nullus praeter has duas miniatas lineas in prima ipsius textus pagina: *Prae-*

excepto NICOL. ORBELL de Scient. mathemat. Bononiae 1473. edito; nullus ne plane prodierit inuestigare maioris esset laboris quam utilitatis, cum constet in his studiis quaedam subtrahere se sollicitudine qua fieri potest maxima inquirentibus, quae aliis fortuito se offerunt.

(s) Vel RODOLT ut in *Fasciculo temporum* 1480. edito nomen expressit. MAITT. Quando ei Albumasaris Abulachi flores Astrologiae explicatos Augustae 1488. tribuit. CORN. A BEUGHEM *incunab. typographic. Litt. R. p.* 116. auctorem cum editore confudisse nullus dubito.

(t) Typographia enim, quod monet MAITTAIRE *Ann. T. I. p.* 74. in *Germania* edita, maluit alibi adolescere & patrium solum *Italo* commutare.

(u) Huc spectant Calendarium Ioannis de Monteregio & Tabulae Alfonsinae quae ex eius officina 1484. prodierunt.

Digitized by Google

Praeclarissimus liber Elementorum Euclidis perspicacissimi: in artem Geometrie incipit quam felicissime: quas statim sequuntur definitiones: *Punctus est cuius ps non est* cet. Figurae geometricae in margine uncias II. cum semisse lato debitis locis adiiciuntur. Initiales singularum propositionum litterae ornatiores & quae nouos libros inchoant reliquis maiores existunt, alias nullo discrimine liber unus ab altero separatur, nisi adiecto fini cuiusuis libri monito huic simili: *Explicit liber quartus, incipit liber quintus*, Character litterarum est quem *Gothicum* vocamus singulae tamen paginae in summitate expressam gerunt vocem LIBER litteris Romanis maiusculis additoque libri numero, characteribus etiam romanis. Exceptis initialibus litteris, quas ante indicaui, & ornamentis quibusdam ligno incisis, in prima pagina, nulla alia re oculos pascit volumen, praeterquam typorum & chartae elegantia. Folia numeris notata sunt nullis, nec *custodes*, quos vocant, sequentis paginae initiale vocabulum exhibent, ut unicum bibliopega, disiecti membra geometrae compositurus, subsidium habuerit, plagularum quam appellant *signaturam*. Sunt vero illae, si technico vocabulo uti licet, *quaterniones* litteraeque quarum singulae quatuor plagulas notant, ad caninam usque excurrunt, ut totum opus plagulas LXVIII. compleat. Quod

Digitized by Google

comma vocamus hic parti vocabuli ad lineae finem poſiti iungitur, ſi reliqua pars ad ſequentis lineae initium reiicienda fuit, ad membra periodi diſtinguenda, nunquam adhibetur. Cola & puncta periodis ſeiungendis inſeruiunt, licet ſaepiſſime incongruo loco poſita. Denique, ut quantae antiquitatis ſit volumen diſtincte pateat, (nam quae adduxi inſignis ſaltim eſſe oſtendunt) haec quae in fine habentur adſcribam: *Opus elementorum Euclidis megarenſis in geometriam artem In id quoque Campani perſpicaciſſimi commentationes finiunt. Erhardus Ratdolt Auguſtenſis impreſſor ſolertiſſimus. Venetiis impreſſit. Anno ſalutis MCCCCLXXXII. Octauis. Calend. Iun. Lector. Vale.*

Haec quidem de externa libri facie dicere libuit, quod nec plene ſatis nec accurate aliqui illorum qui Typographiae antiquitates deſcribunt de illo egerint. Quae *Cornel.* A BEUGHEM de illo habet (*x*) breuiſſima ſunt & typographicis mendis ſcatent, & ex iis dubio procul ſua deſumſit FABRICIUS (*y*) ipſo volumine non conſpecto. Uberior vero reliquis eſt MAITTAIRIUS (*z*) & ipſam praefationem editoris exhibet, quam

(*x*) Incun. Typogr. litt. E. pag. 57.
(*y*) Bibliothec. Graec. L. III. c. XIV. §. 6.
(*z*) In illa *Tomi Primi* editione quae ſupplementorum loco

Digitized by Google

quam & ego hic adiiciam. Legitur in pagina, ſiniſtrae eius qui initium libri ante indicatum intuetur oppoſita:

Erhardus Ratdolt Auguſtenſis impreſſor. Sereniſſimo alme urbis venete Principi Ioanni Mocenico. S.

Solebam antea sereniſſime princeps mecum ipſe cogitans admirari quid cauſe eſſet, quod in hac tua prepotenti & fauſta urbe cum varia auctorum veterum nouorumque volumina quottidie imprimerentur. In hac mathematica, facultate vel reliquarum diſciplinarum nobiliſſima aut nihil aut parua quedam & friuola in tanta impreſſorum copia qui in tua urbe agunt: viderentur impreſſa. Hec cum mecum ſepius diſcuterem inueniebam id difficultate operis accidiſſe. Non enim adhuc quo pacto ſchemata geometrica: quibus mathematica volumina ſcatent: ac ſine quibus nihil in his diſciplinis fere intelligi optime poteſt excogitauerant. Itaque cum hoc ipſum tantummodo communi omnium utilitati quae ex his percipitur. obſtaret mea induſtria non ſine maximo labo-

loco inſeruire debebat, ad an. 1482. p. 434. In prima editione Tomi I. non habetur. An qui in nota MAITTAIRIO citatur ex BUNEMANI indicatione liber mathematicus Auguſtae 1480. impreſſus, idem EUCLIDES eſt?

Digitized by Google

labore effeci. ut qua facilitate litterarum elementa imprimuntur. ea etiam geometrice figure conficcerentur. Quamobrem ut spero hoc nostro inuento he discipline quas mathemata greci appellant voluminum copia sicuti relique scientie breui illustrabuntur. De quarum laudibus & utilitate possem multa in praesens adducere ab illustribus collecta auctoribus: nisi studiosis iam omnibus hec nota essent. Illud etiam plane cognitum est ceteras scientias sine mathematibus imperfectas ac veluti mancas esse. Neque hoc profecto negabunt Dialectici neque philosophi abnuent: in quorum libris multa reperiuntur: que sine mathematica ratione minime intelligi possunt. Quam diuinus ille Plato mere veritatis arcanum. ut adipisceretur cyrenas ad. Theodorum summum eo tempore mathematicum & ad egiptios sacerdotes enauigauit. Quid quod sine hac una facultate viuendi ratio non perfecte constat. Nam ut de musica taceam: que nobis muneri ab ipsa natura ad perferendos facilius labores concessa videtur: ut astrologiam preteream qua exculti celum ipsum veluti scalis machinisque quibusdam conscendentes verum ipsius nature argumentum cognoscimus: sine arithmetica & geometria: quarum altera numeros, altera mensuras docet ciuiliter: comodeque viuere q possumus: sed quid ego in his moror que iam omnibus ut dixi: notiora sunt quam ut a me dicantur. Euclides igitur megarensis serenissime prin-

Digitized by Google

princeps qui XV. libris omnem geometrie rationem consummatissime complexus est: quem ego summa & cura & diligentia nullo pretermisso schemate imprimendum curaui: sub tuo nomine tutus felixque prodeat.

IN hac praefatione fateor suspensum me per aliquod tempus tenuisse verba illa: *ut qua facilitate litterarum elementa imprimuntur. ea etiam geometrice figure conficerentur.* Artem figuras ligno incisas chartae imprimendi multo antiquiorem ipsa typographia esse quae mobiles characteres vario modo combinans ex iis voces efficit, notum est, & aeque notum antequam hoc volumen prodierit editos esse libros, figuris, etsi forte non geometricos ornatos: Igitur si ligno incisae sint figurae ut nostris adhuc temporibus fit quoties scalptoris opera non utimur, quid noui praestiterit RATDOLDUS non video. Venit aliquando in mentem ex lineis varie coniunctis eo modo figuras efformatas fuisse ut syllabae & voces ex elementis coniunctis componuntur: Sed hanc suspicionem remouent omnino profundior figurarum quam elementorum impressio, eique quae figuris ligno incisis respondet perfecte similis, deinde lineas circulosque varie se secantes atque decussantes eum in modum exhibendi absoluta impossibilitas. Non ignoro, in eadem materia ex qua elementa typothetae manu ordi-

nanda formantur, figuras quoque elaborari posse. Sed hoc etsi compendium aliquod praeberet, de quo iam agendi locus hic non est, non tamen esset *eadem facilitate* figuras *conficere* qua litterarum elementa imprimuntur. Diagrammata ligno mediante expressa esse idonei iudices pronunciarunt etsi litteras intra ipsa saepe schemata reperiundas, reliquis similes esse agnouerint. An adeo nouum tunc fuit Schemata textui debito loco adiicere? Igitur quod in haec typographi verba commenter nihil habeo, relicturus hanc operam aliis me magis in typographiae historia versatis. Sed eadem verba FABRICIUS quoque & MAITTAIRIUS adduxerunt, nulla tamen eorum explicatione addita. Haec cel. Dn. KAESTNERUS.

Liceat nostram iam vel sententiam vel coniecturam pronunciare; hoc enim spicilegium nobis relictum ab initio Schediasmatis innuimus. Videntur mihi, qui in explicandis paulo obscurioribus Praefationis supina prorsus negligentia perscriptae verbis ac sententiis frustra se elaborasse queruntur Viri perspicacissimi, ingenium Bibliopolae infra mediocritatem subsidens ex modulo sui ingenii longe nobilioris ac profundioris metiri, atque ob hanc causam, difficultatibus in textu vere non obuiis nimium quantum impediri. Multis hoc interpretibus solemne est, qui,

Digitized by Google

qui, quo doctiores ſunt, eo difficiliora nonnunquam loca offendunt, vel etiam doctiores licet non veriores ſolutiones quaerunt, quia vix ac ne vix quidem poſſunt a ſe impetrare, ut cum ad interpretandum hominis ſemidocti, vel prorſus non docti ſcriptum ſe accingunt, eandem hominis perſonam ſuſtineant, quam tamen niſi ſuſtineant, interpretes in materia, quam tractant & verſant, nullo modo eſſe poſſunt. (*a*)

Haec

(*a*) Referri huc poſſunt verba BACONI *de* VERULAMIIS in *Fabro fortunae*, ſermonum fidelium p. 369. ſq. ubi ita: Facete Nuntius ille, qui Legatione, quam obiuit, finita, de ſucceſſoris delectu interrogatus Pontifici dedit conſilium, "ut nullo modo mitteretur aliquis, qui eximie prudens eſſet, ſed potius mediocriter tantum; quoniam, inquit, ex prudentioribus nemo facile coniiciet, quid veriſimile foret, illius gentis homines facturos.„ Certe enim non raro error ille maxime familiaris eſt viris prudentibus, ut ex modulo ingenii proprii alios metiantur, ac proinde ultra ſcopum ſaepius iaculentur, ſupponendo quod homines maiora quaedam meditentur & ſibi deſtinent, & ſubtilioribus technis utantur, quam quae illorum animos unquam ſubierint. Haec *Verulamius* ex noſtra vero ſententia non prorſus ſecundum veritatem. Prudentis enim eſt, omnia omnium etiam infimae ſortis hominum ingenia pernoſcere, eorumque perſonam aliquantiſper quaſi ſuſtinere poſſe, quo pacto formido errandi nulla eſt.

Digitized by Google

Haec vero ſi ad Praefationem Impreſſoris & Bibliopolae noſtri applicantur, facilem ac planum verborum ſenſum fundent, ſi conſideremus, verba hominis latinitatis terſae prorſus ignari, in diſtinctionibus, commatis ac colis ſuo loco ponendis ſupra omnem modum incurioſi, ac praeterea vanitatis, quam lucri cupido inflat, ſtudioſiſſimi plane non premi poſſe; ſunt enim verba promiſſoris, qui magno hiatu quod dignum ſit, nihil vel certe non multum profert. Scilicet *geometricae figurae eadem qua typi facilitate conficiuntur*, tantundem ſonat, ac ſi ſcripſiſſet: geometricae figurae, ligno inciſae & columnis typorum in ordinem redactorum iuſto ſpatio iunctae, eodem tempore, eodem prelo, eodem Impreſſoris brachio, quo Typi, chartae imprimuntur, cum antea in Manuſcriptis codicibus alia manus literas alia vero & alio prorſus tempore figuras appingere debuerit. Aut hic ſenſus verborum eſt, aut tolerabilis alius erit nullus; omnes enim, qui nobis ſuppetunt, interpretandi haec verba modi reliqui iam antea excuſſi ſunt. Sed fortaſſis Impreſſor editioni huic curandae Monachum vel alium quendam ex latine doctis hominibus adhibuit, quibus haec talia parcius obiicienda ſunt. Aſt Editor vel Impreſſoris adiutor,

Digitized by Google

iutor, quicunque fuerit, certe ſupinam oſcitantiam in ſcribenda epiſtola non minus, quam profundam in Matheſi & hiſtoria eius literaria ignorantiam prodidit. Qui enim Megarenſem, litigioſum & vehementem illum Euclidem Philoſophum cum *Euclide*, Elementorum auctore, ſuauiſſimi ingenii Geometra, & ab omni contentione alieniſſimo confudit, (*b*) qui porro, quod ex omiſſa praef. in XIV. Elem. recte coniicit DAV. GREGOR. ad Edit. Elem. Oxonienſ. neſciuit vel parum certe curauit, *Euclidisne* an *Hypſiclis* Alexandrini ſint ultimi duo Elementorum libri, qui denique praeter textum & CAMPANI additiones, in quibus Euclidi magna interdum fit iniuria, ſine ulla cenſura retinuit, (*c*) is ſane magnum in adornanda hac editione curam adhibuiſſe dici nullo modo poteſt. Quapropter ſiue Impreſſoris

(*b*) In *Kaeſtneriana* relatione, ob diuerſa Euclidis philoſophi & alterius Geometriae ingenia haec leguntur: „Videas hic mores a ſcientiis formatos; neque enim pacatius quicquam eſt Geometria, ſecura demonſtrationum ſuarum, & de extendendis cognitionis humanae limitibus unice ſolicita; neque contentioſius quicquam Philoſophia, ſaltim ut vulgo tractatur.

(*c*) In textu termini technici nunc arabice nunc latine exponuntur; ita Rhombus vocatur *Helmwaym*; trapezium *Helmuaripbe*.

Digitized by Google

ris propria siue ipsi ab Editore suggesta & in praefatione negligenter perscripta, utut sesquipedalia verba, manent tamen verba hominis non tantum parum docti, sed & praeterea negligentis & prorsus ventosi, qui rem facilem & planam mirifice & tantum non prodigialiter exponere cupiebat.

Hoc vero in detrimentum Editionis, nemo dictum putet. Editioni (*d*) ipsi suum pretium, quod a vetustate habet, semper erit asserendum. Unumquodque enim in suo genere primum, licet valde imperfectum, rarum tamen est, & suam tuetur praerogatiuam.

(*d*) Alia posthac Venetiis 1505. prodiit editio, pariter rara; suis tamen etiam defectibus laborans, quamuis *Lucas Paciolus* manum edendo operi commodarit. Titulus est: Euclidis Megarensis opera a Campano Interprete fidissimo tralata &c.



DE

DE VETUSTISSIMA BIBLIORUM GERMANICORUM

Editione a. 1462.

NOVA OBSERVATIO.

H. G. C.

Ex quo B. D. BENGELIUS in apparatu critico N.T. p.785. edit. primae, Antiquissimae, quae Stutgardiae seruatur, Bibliorum editionis Germanicae mentionem aliquam iniecit, varia variorum Eruditorum ingenia in diiudicando eius valore ac pretio sese exercuerunt. Primo loco IOH. PETR. DE LUDEWIG in *Nouis Hamburgensibus literariis*, 1744. item in *nouis Halensibus*, siue *wochentliche Anzeigen* ej. a. atque etiam in *Catalogo Biblioth. suae* P. I. hanc spartam ornauit; secuti sunt, *Viri Clarissimi* IOH. DAV. MICHAELIS, & DAVID CLEMENT, ille in peculiari schediasmate, quod altera iam vice recusum opusculis critico literariis siue *syntagmati commentationum*, *Gotting.* 1759. insertum est, hic in praeclara Librorum rariorum collectione, digna sane, quae

quae poſt mortem Autoris eodem ſtudio continuetur & abſoluatur. Tandem & WEDEKINDIANAE collectioni germ. Relationem de Stutgardiano exemplari inſeruit Clar. Dn. NASTIUS, qui idem Ven. Dn. GIESE, Diac. Gorlicenſi, idem Exemplar in Bibliotheca ſua ſeruanti, ac uberiorem eius deſcriptionem meditanti, noſtra quoque, quibus in edendo ſchediaſmate iuuari poſſit, ſuppeditabit. Atque haec ipſa eſt cauſa, propter quam labore hoc, quo iam 1754. in Amoenit. Acad. Faſc. II. defunctus fui, ulterius perſequendo eo lubentius ſuperſedeam, cum & alia me circumſtent negotia, & Clariſſ. Dn. GIESE, cui, quicquid a nobis petit, gratificandum ac ſubminiſtrandum eſſe aequitas eruditorum iubet, manum ſuam operi iam admouerit.

Nouam tamen aliquam, circa haec Biblia, obſeruationem ſilere heic non debeo. Nimirum literae ad Clariſſ. Dn. NASTIUM GIESSIANAE, quibus & SCHELHORNIANAE commendatitiae acceſſerunt, ſcrinia Bibliothecarum noſtrarum ſtudioſius rimandi & excutiendi occaſionem praebuerunt exoptatam. Factum enim eſt, ut aliud adhuc eiusdem editionis exemplar, idque completum omnibusque numeris abſolutum, cum alterum, quod diffitendum non eſt, defectu quodam licet paruo laboret, in Ducalis

Techno-

Digitized by Google

Technophylacii Bibliotheca reperiretur. Collatis enim singulis paginis, signaturis chartae, primis & ultimis columnarum syllabis &c. identitatem perfectam mecum agnouerunt Viri Clarissimi Dni Prof. VOLZIUS, VISCHERUS, & NASTIUS. Titelli psalmorum, qui in altero nostro exemplari resecti sunt, a fine voluminis comparent; ac praeterea folium 29. in textu exemplaris primi, ut ex compage vel iunctura videre erat, abscissum, integrum heic conspicitur.

Cum igitur per omnem Germaniam non nisi quatuor huc usque exemplaria vetustissimae huius Bibliorum germ. editionis innotuerint, duo iam alia, Stutgardianum alterum, ac deinceps Gorlicense in lucem producta videmus, & fortassis plura adhuc videbimus, si viri docti bibliothecas suas vel publicas vel priuatas penitius excutere velint.

Caeterum quia Ven. Dn. GIESE in adornanda huius editionis pleniori descriptione elaborat, operae pretium eum facturum existimemus, si non tantum, quae ad annales Typographicos ac historiam Editionis literariam pertinent, sed & quis versionis auctor sit, quo tempore eam concinnauerit, ex quonam textu, an ex fonte, an quod verisimilius est, ex vulgata latina versione, sed perantiqua procul dubio, adeoque ex

ver-

verſione hac germ. in multis forſan locis priſtino valori reſtituenda, &c. probabili coniectura decidere annitatur. Deinceps, quoniam agmen vocabulorum germanicorum continet, tam obſoletorum, ut vel in optimis gloſſariis ſint neglecta, qualia ſunt *Keuſch* Eunuchus Gen. 40, 1. *derkunden* annunciare, Deut. 32, 7. *Echer* ariſta Gen. 41, 6. *tuſtend* creber, *welen* habitare, *magenkraft* maieſtas, *der Sunn* in maſcul. Sol, *die Menin*, fem. luna &c. ſubiungi poſſet Epitome Gloſſarii, vel index omnium id genus verborum obſoletorum; denique loca, in quibus a textu uſitato recedit, v. c. 1 Ioh. 5, 7. 8. item ubi noua habet, quae in aliis bibliis non occurrunt, uti ſub finem act. Apoſtol. wenn dir iſt Ieſus Chriſt &c. ſeorſim ac ſtudioſe ſingula annotanda forent. Ipſum vero Schediaſma latino rectius quam germanico idiomate perſcribetur; Exercitationes enim Critico literariae, licet vernacula lingua editae, raro tamen alios, quam latine doctos, lectores inuenient.



METHO-

METHODUS CALCULANDI IN LOGICIS INVENTA

A

GODOFR. PLOUCQUET,

Prof. Log. & Metaph. P. O. in Uniuerſitate Tubing.

1763.

in 8tav. 74. pagg.

RECENSENTE

H. G. C.

Mirari ſubit, quod noſtra praeſertim aetate, quae noua ſunt & nouam ſcientiis lucem affundere poſſunt, vel ab hominibus rerum non peritis recenſeantur, vel ſileantur prorſus in ephemeridibus Eruditorum, quotidiana vero & proletaria quaeuis locum in eiusmodi pagellis nonnunquam expleant, quem longe digniora inuenta ſuo quodam iure ſibi vindicare poſſent. Ex horum numero eſt, *Methodus calculandi in Logicis*, noua prorſus nec ulli unquam inuentae comparan-

da nedum poſtponenda; quod ſane non viderunt, qui cum *Lambertiana*, nondum tamen plene elucubrata, vel *Segneriana* methodo eam confuderunt. Aliud enim eſt noua ſigna ideis & canonibus antiquis & longo uſu receptis ſubordinare, vel regulas logicas Ariſtoteli iam cognitas ſignis exprimere, quod Cel. de SEGNER praeſtitit, quodque etiam in noſtris *Principiis cogitandi* 1758 editis alia tamen methodo praeſtitum eſt, aliud vero nouos canones condere ac demonſtrare, antiquos & receptos plures tanquam ſuperfluos eliminare, & deinceps ſigna idonea adaptare; quod quidem in Methodo calculandi factum eſſe, res ipſa nos docet.

Canones, quos nulla adhuc logica continuit, iique veriſſimi, ita habent:

Intellectio identitatis ſubiecti & praedicati eſt affirmatio, quapropter

iudicium affirmatiuum non eſt niſi una idea, quia praedicatum cum ſubiecto identificatur, & pariter

ſyllogiſmus affirmatiuus ad unam ideam reducitur. Quod utrumque rectius perſpicitur, ſi alterum canonem addamus,

Particularitas in logicis ſenſu ſemper comprehenſiuo intelligitur.

Reliqui canones, v. c. quod praedicatum propoſitionis affirmatiuae ſemper intelligendum

ſit

ſit particulare, (particularitate comprehenſiua) quod medius terminus bis ponendus ſit, nec tamen bis ita particulariter, ut quaternio terminorum prodeat, &c. ex logicis vulgaribus ſupponuntur.

Signa ſunt ſequentia; 1) ideae per initiales literas exprimuntur, & quidem ſi uniuerſales ſunt per maiores, ſin particulares per minores literas, v. c. *omnis homo* exprimitur per *H*, *quidam homo* per *h*.

2) Affirmationes denotentur per immediatam literarum coniunctionem, v. c. propoſitio *omnis homo eſt mortalis*, ſcribitur per *Hm*; *quidam homo eſt doctus* per *hd*.

3) Negationes ſignificentur per interpoſitionem ſigni >; *quidam homo non eſt doctus. h > d. nullus homo eſt immortalis H > i.*

Iam omnia facili calculo expediuntur. Sit ſcribenda ſeries Propoſitionum; *omnis arbor eſt planta*; *omnis planta eſt organiſata*; *omne organiſitum eſt viuum*; erit

Ap

Po ex *Po* fit *po*, particularitas in uniuerſalitate continetur;

Ov ex *Ov* fit *ov* ob eandem rationem;

ergo quia *Ap* & *po* eſt, & *p* cum *A* identificatur, erit & *Apo*, & ob eandem cauſam *Apov*;

 unde

Digitized by Google

unde omnes propofitiones uno obtutu repraefentantur; denique ob identificationem, erit deletis intermediis *Av*.

In negatione, quia uti idem idem, ita diuerfum diuerfum eft, fingula praedicata negantis feriei negantur de fingulis membris affirmantis; fit enim fcribenda feries, *omnis homo eft peccator*, & *peccator eft mortalis*, & *mortale imperfectum*; & *imperfectum non eft aeternum*; *at aeternum eft neceffarium*, & *neceffarium eft conftans*; prodibit *Hpmi* non eft *Ænc*. fiue *Hpmi* ⊳ *Ænc*. adeoque *H* ⊳ *Æ*, *H* ⊳ *n*, *H* ⊳ *c*. &c.

Fiant iam fyllogifmi;

omnis planta eft organifata, *omne gramen eft planta*; erit *Po* ergo & *op* vel *po*; &

Gp; quia *p* cum *G* identificatur

Gpo & deleto *p*; erit

Go.

nulla machina eft libera, *omne corpus humanum eft machina*;

M ⊳ *L*

CHm

CHm ⊳ *L*. vel expuncto *m* *CH* ⊳ *L*.

Ita vitia in forma ex calculo ftatim patent;

Omnis

Digitized by Google

Omnis christianus est homo, Iudaeus non est christianus; in signis scribitur

$$Xb$$
$$I > X$$
$$\overline{I > Xb.}$$ vel deleto X.

$I > b$. Iudaeus non est *quidam* homo; sensu comprehensiuo, nimirum ille quidam homo, qui christianus est.

Ex hoc syllogismo patet, quod non opus sit regulis in prima figura *sit minor affirmans &c.*; calculus respuit multitudinem regularum etiam in reliquis figuris, & simpliciter ex duabus propositionibus terminum communem habentibus quid sequatur, indicat; *quod ego sum Tu non es; ego sum homo; Ergo Tu non es homo*; In calculo ita exprimitur

$$E > T.$$
$$Eb$$

$\overline{T > Eb}$; Tu non es *Ego homo*, homo, qui ego sum; vel deleto E, $T > b$. Tu non es quidam homo; sensu comprehensiuo, nimirum ille quidam, qui ego sum.

Ex his intelligitur omnes syllogismos in quacunque medii cum extremis dispositione aeque naturales esse, nec tanto praeceptorum cumulo

circa figuras & modos syllogisticos opus esse, cum calculus, quid fieri possit, quid non, per se in operationibus doceat; II. omnes syllogismorum species directe demonstrari; III. uno obtutu conclusionem intelligi posse ab eo, qui vim calculi intelligit; IV. posse etiam rudes mechanice totam logicam doceri, uti pueri arithmeticam docentur, ita quidem, ut nulla formidine in ratiociniis suis errandi torqueri, vel fallaciis circumueniri possint, si in calculo non errant.

Ne quis vero putet hoc inuento iam abstrusas & homini imperuias veritates demonstrari ac sub calculum reuocari posse, in ipsa commentatione de arte characteristica huici methodo praemissa grauiter interceditur, atque per exempla ostenditur, quod characteristica uniuersalis optanda magis quam expectanda & forsan cum perpetuo mobili, vel quadratura circuli, vel lapide philosophorum idem habitura sit fatum. Monendus itaque Lector est, quod per hunc calculum, qui tantum logicus est, in se non plus praestetur, quam quod per Organum Aristotelis a viginti retro seculis iam praestitum sit; facilius vero & sine tot ambagibus ac tricis, quibus organum suum parum docti organi Professores subinde sese implicuerunt, si per nouam

hanc

Digitized by Google

hanc methodum fieri atque expediri omnia afferamus, quae a Logico qua tali in methodo fyllogiftica expectantur, id certe afferimus, quod a veritate non abhorret, quodque memoratu tam dignum erat, quam in algebraicis noui alicuius calculi inuentio unquam fuit.



Digitized by Google

EXCERPTA
EX
DISSERTATIONE OELRICHIANA
DE
LIBRIS COMESTIS.[(e)]

Extat plane ſingulare ſupplicii genus in libros exercitum, tum diligentiſſimo SCHELHORNIO, tum aliis hiſtoriae litterariae peritiſſimis, & in harum rerum argumentis verſatis, incognitum prorſus. Quis crederet, niſi exempla memoriae prodita, probarent, eruditos aliquando in poenam coactos fuiſſe, foetus ſuos comedere. Poena, ex mea quidem ſententia, auctori grauior, ullis aliis! Quid enim inhumanius, quam eo aliquem adigere, ut ipſe in proprium ſaeuiat partum. SATURNUM quidem legimus liberos ſuos deuoraſſe, uti ſignificauit HESIODUS ASCRAEUS, cuius verba, ſecundum verſionem latinam, haec ſunt:

Audiit

(e) Praemiſſa erat haec diſſertatio catalogo Bibliothecae *Perardianae* Berolin. 1756. diuenditae; Auctor eſt vir clariſſimus D. *Ioh. Car. Conr. Oelrichs* Com. Caeſ. Pal. Prof. Iur. Publ. Ord. tum temporis Sedini, rel. rel.

Digitized by Google

Audiit e terrae dicto coelique nitentis,
Se fore vincendum a nato: sic fata reuolui.
Quare obseruabat natos non segniter omnes,
Atque vorabat eos genitos: Rhea at ipsa dolebat.

Sed, lepidas inter fabulas poëticas, haec merito sunt referenda, & huc plane non faciunt, quum non de corporis, sed ingenii dumtaxat foetibus, *de libris* scilicet & *litteris comestis*, (vel si mauis *comesis*) nonnulla, animaduersione, omnino haud indigna, & historiae litterariae studiosis forte placitura, prout calamo, sua sponte, se offerent, in chartam coniicere, constituerim.

PRODITUM memoriae est, EZECHIELI, *prophetae*, & IOANNI, *theologo*, diuinitus datum esse librum cum mandato, ut comederent, ac praedictione, fore illum in ore quidem dulcem, ut mel, at in ventre amarum. Atque, si haec, quae ex ipsis sacris paginis discimus, ad litteram essent intelligenda, exempla de libris comestis, sine dubio, forent omnium antiquissima, omnique exceptione maiora. Verum enim vero intellectu haud est difficile, verbum *comedere* hic symbolice & aenigmatice esse sumtum, ac, eodem quidem sensu, quo, Romanis *comedisse* seu *deuorasse librum* dicebatur, qui omnia in

in eo exarata auide arripuit, menteque percepit, ac, meditando & ruminando, in succum quasi & sanguinem vertit. CICERO inde M. CATONEM, eiusmodi hominem, uno nomine, heluonem vocat librorum, (*f*) ibidemque ait: *ea deuoramus, quae maximo desiderio appetimus:* & alio loco: (*g*) *quid enim tibi faciam, qui illos libros deuorasti.* Lepida inde cognominis ratio est orta, quo PETRUS TRECENSIS, aliis PARISIENSIS, historiae scholasticae auctor, qui saeculo XII. floruit, *comestor* seu *manducator*, Gallis, *le mangeur*, fuit nuncupatus, *quod scripturarum auctoritates in suis sermonibus & opusculis, crebrius allegando, quasi in ventrem memoriae manducarit:* prout IOANNES TRITHEMIUS (*h*) loquitur.

(*f*) *Lib. III. cap. III. de finib.* Hunc CICERONIS locum exposuit dilucide FABIANUS TOERNER in Diss. titulum habente sequentem: *Heluo librorum ex occasione verborum M. T. Ciceronis de finib. lib. 3. cap. 3.* a PETRO HESSELIO defensa *Upsal.* 1705. 4.

(*g*) In *epist. ad Atticum lib. VII. epist. III.*

(*h*) In *catal. scriptorum eccles. cap.* 380. in IOANN. ALBERTI FABRICII *Bibliotheca eccles. p. 96.* Displicuit tamen adeo haec TRITHEMII, ad verum propius accedens sententia, de cognominis ratione, PHIL. LABBEO *de scriptor. ecclesiastic. T. II. p.* 199. ut ridiculam eam dicat atque commentam: verum, quantum ego iudico, frustra & sine caussa.

Digitized by Google

quitur. DAN. GEORG. MORHOFIUS, (*i*) contra, sibi persuadet, PETRUM hunc, *comestorem* dictum esse, *quod omnes scholasticos deuorauerit*, *quem elegantius in lingua latina belluonem librorum dicemus*. Aliter ad agnomen hoc alluditur in eius epitaphio, in abbatia S. VICTORIS, *Parisiensi*, posito, quod ita legit V. C. FRID. GOTTHILF FREYTAG: (*k*)

Petrus eram, quem Petra tegit
Dictusque comestor,
Nunc comedor. Viuus docui,
Nec cesso docere.
Mutuus ut dicat, qui me videt
Incineratum:
Quod sumus, iste fuit
Erimus quandoque, quod hic est.

Sed sine sale saepius PETRUM comedisse biblia, ludit IOANNES ERNESTUS GERHARDUS, (*l*) & potius, manducatorem vocari eum debere, censet CHRISTIANUS KORTHOLTUS, (*m*) sequutus,

(*i*) In *polyhist. philosophic. L. I. C. XIV. §. I.*

(*k*) In *Apparatu litt. ubi libri, partim antiqui, partim rari, recensentur. T. I. p.* 166.

(*l*) De *sepult. Mosis cap. II. §.* 4.

(*m*) In *historia ecclef. N.T. p.* 475.

Digitized by Google

quutus, hac in re, OTTONEM DE S. BLASIO. (n) Ob memoriam quoque IOANNIS ULRICI PREGIZERI feliciſſimam, loca S. S. in concionibus frequenter, adeoque accurate, adlegantis, ut ne vocula quidem deſideraretur, eum *alterum comeſtorem bibliorum* dici merito poſſe, adſerit TOBIAS WAGNERUS. (o)

A TARTARIS potius, mos ille libros comedendi, eſt deducendus. Laudant illos Turcae, quod, quum ceterae nationes ſcriptam, in libris, habeant ſapientiam ſuam, ſoli illi libros ſuos deuorarint, & ſapientiam ſuam in pectoribus teneant reconditam. (*p*) Eadem, etiam, ex ratione Turcae, per longum temporis ſpatium, abhorruerunt a typographia. Muſas enim, anno CIↃCCCCLIII, itemque imperante MAHOMETE IIII, Conſtantinopoli, triſti fato, eiectas, IBRAHIM PACHA, Turcici imperatoris, ACHMETIS III, praetorio praefectus, quem Turcae *Vezirium magnum* vocant, anno demum Hegirae CIↃCXXXVIII, hoc

(n) In *App.* ad OTTONIS FRISINGENSIS *Chronicon* in CHRIST. URSTISII *ſcriptorib. rer. Germ. T. I. p.* 201.

(o) In *vita* PREGIZERI, quae extat in HENRICI WITTENII *memor. Theol. Dec. IX. p.* 1180.

(p) AUGERIUS GISLENIUS BUSBEQUIUS in *epiſtolis legat. Turc. ep. IV.*

Digitized by Google

hoc est anno post CHRISTUM natum cIɔIɔccxxv, reuocauit, introducens iterum, multis superatis difficultatibus, triumphali quadam felicitate, & optimo cum successu, artem typographicam non in urbem solum Constantinopolim, verum etiam in ipsum imperatoris palatium. Auctor suasorque huius rei fuit quidam IBRAHIM EFFENDI, qui, ope ac consilio cuiusdam eruditi, SAID EFFENDI, & iudaei Germani Pragensis, CHACHAM IONAE, artis impressoriae periti, est usus. (*q*) Neque

(*q*) Vide historiam originis typographiae Turcicae, Constantinopoli, introductae, cum indice omnium ad annum usque cIɔ Iɔ ccxxxvi in ea impressorum librorum, quam, adiectis simul eorum pretiis, ad monetam Germanorum redactis, subiunctisque mapparum geographicarum, ibidem excusarum, titulis, cum celeberrimis diarii litterarii *Omuzensis* auctoribus, inscripti: *Monathliche Auszüge alt und neuer gelehrten Sachen* beneuole communicauit *vir ill.* DE PENCKLER, *orator, in aula Ottomannica, caesareus*, quaeque ab illis, excitato loco, *T. I. P. VI. p.* 437 - 451. publici facta est iuris. Ex qua & emendari, & illustrari possunt ea, quae, hanc in rem, adnotarunt V. V. C. C. CHRISTOPHORUS AUGUSTUS HEUMANNUS in *Progr. de Aurora Musis amica, Constantinopoli nuper orta.* Gott. 1728. 4. & recuso in EIUSD. *Poeciles T. III. lib. II. p.* 895. *seqq.* GEORGIUS DANIEL SEYLERUS in *Orat. de fatis artis typograph. in Turcia,*

Neque mirum videbitur cuiquam, tam tarde in Turcia admiſſam eſſe typographiam. Si quidem a Turcis maximus olim chartae habitus fuit honos, quia Alcoranus in ea exaratus eſt: indeque religioni ſibi ducebant, maculare chartam, abiicere, aut, profano uſu, temerare. Hoc enim, ſi animaduerterent, grauiter ulciſcebantur. Et fortaſſis huc facit id, quod accidiſſe legimus Perſico legato, MEHEMET RIZA BEG, Galliam tendenti, Conſtantinopoli vero capto, ac indigna quaeuis paſſo: qui nihil tamen magis, Galliam veniens, doluit, quam quod in captiuitate, litteras collybiſticas decem millium Ludouiciorum (*Louis d'or*) ſecum habitas, comedere debuerit. (r) Sed cur comedere iuſſerint Turcae, cur non dilacerare, aut comburere chartam? enodate cognoſcere licet ex auctore, hac in re, claſſico,

cia, in memoriam tertii, de inuenta typographia, iubilaei, ipſis encaeniorum athaenei Druſici ſolemnibus d. XXXIV. Nou. a. cIↃ IↃ CCXXXX, praemiſſa, & WILH. IERERM. IAC. CLESSEN *im dritten Jubel-Feſt der Buchdrucker-Kunſt c. I. §. 62-68. p. 64. ſeqq.*

(r) Vide IOANNEM SCHUTZIUM in *Tr. de iride, lacrimis, libris & linguis, p.* 110. prouocantem ad Nouellas politicas Berolinenſes (*Berliniſche ordinaire Zeitung*) *a.* cIↃ IↃ CCXV. *N.* 37. & 39. ex relatione *Pariſienſi, d. XV. Mart.* eiusdem anni, data, id referentes.

fico, AUGERIO GISLENIO BUSBEQUIO, Ferdinandi & Maximiliani, imperatorum, apud Turcas oratore, qui haec, quae continuo sequentur, litteris mandauit: (s) "Turcae, ait, & Per„sae multum honoris deferunt chartae, quod in „ea Dei nomen scribatur. Itaque chartulam „nullam humi iacere patiuntur, & si in aliquam „incidunt, subito attollunt, rimaeque alicui aut „foramini indunt, ne pedibus proteratur. In „quo fortasse nihil est hactenus, quod reprehen„das. Sed audi reliqua. Supremi iudicii „tempore, quum Muhamedes suos sectatores, „ex iis locis, ubi pro admissis criminibus poenas „dent, in coelum vocabit, ut sempiternae bea„titudinis participes faciat: alia ad eam via nul„la patebit, quam per ingentem ferream cra„tem, igne feruefactam & candentem, per quam „nudis pedibus incedendum erit: quo dolore, „tu cogita, & tibi ob oculos pone gallum galli„naceum per prumas subsultim currentem. Ec„ce vero hic, (mirabile dictu!) charta illa omnis, „quam ita ab iis a contumelia pedum asseruatam „diximus, improuisa aderit, seque eorum foliis „substernet, magno futura auxilio, quo minus „noxam candentis ferri sentiant. Tantum erit „meritum vindicatae ab iniuria chartae. Et „memi-

(s) *c. l. epist. I. p. m. 36.*

Digitized by Google

„memini, quum aliquando meis famulis grauiter „duces noſtri iraſcerentur, quod eos viderent, „ad ſordidiſſima quaeque miniſteria, charta uti, „id ad me, tamquam magnum flagitium, deferre. „Quibus ego, nihil id mirum eſſe, reſpondi, in „meis famulis: quippe qui, ſuillis etiam carnibus „veſci, conſueuiſſent." Hactenus BUSBEQUIUS. Sed abſona haec ignoſcenda fortaſſe ſunt Tartaris & Turcis, utpote populis ſuperſtitioſis, barbaris & incultis? At, apud moratiores quoque gentes, & ipſos quidem Chriſtianos, hunc, in chartam & libros animaduertendi modum, uſu eſſe receptum, non minus obſeruaui. Sic BERNABO, ſeu, ut aliis dicitur, BARNABAS, vice comes, Mediolanenſis princeps, Maſſilienſem abbatem, pontificem poſtea creatum, dictumque URBANUM V, ab INNOCENTIO VI, pontifice, anno CIↃCCCLVI, ad ſe miſſum, quod ingrata quaedam nuntiabat, ac poſtremo apoſtolicas cenſuras, ac bullas minitabatur, pontificis litteras, quas attulerat, deuorare coegit. (*t*) Sed quid e longinquo & ab antiquo aeuo exempla peto,

(*t*) BAPTISTA FULGOSIUS in *Factis dictisque memorabil. lib. IX. cap. V. fol. m. 329. v.* & ex eo IOANNIS WOLFFIUS in *Lect. memorab. cent. XV. p. 763. a.* Adde BERNHARDI HERTZOGII *Elſaſſiſche Chronick, lib. II. c. XXXXI. fol. 63.*

peto, quum adſint recentiora ac in ipſa quidem Germania. Praeteritum ſeculum duo vel tria, hanc in rem, exhibet. Nullum, niſi in librorum cognitione tironem, latebit, librum in Saxonia, & aliis locis proſcriptum, (*u*) adornatum hac generali inſcriptione:

Itinerarium Germaniae politicum modernam praecipuarum aularum faciem repraeſentans

& hac ſpeciali:

CONSTANTINI GERMANICI ad IUSTUM SINCERUM *epiſtola de peregrinationibus Germanorum recte & rite iuxta interiorem ciuilem prudentiam inſtituendis. In qua depinguntur Germaniae principum mores, doctrina, inclinationes, vota, ſpes & metus ſecreti magis, quam profeſſi. Exhibentur item eorum aulae, iudicia, miniſtri aulici, iuridici & bellici: qua occaſione politici flores ubique inſeruntur notabilesque hiſtoriae referuntur, ita, ut inſtar Itinerarii politici Germanici inſeruire queat. Acceſſit index rerum locupletiſſimus. Coſmopoli apud* LEVINUM ERNESTUM VON DER LINDEN 12*mo.*

ſimulac prelum reliquiſſet, quod circa annum cIↃ IↃ CLXVIII factum eſt, magnos excitaſſe motus, tum ob liberiorem ſtilum, tum etiam ob ſummam, in principum, eorumque miniſtrorum actiones, animaduertendi licentiam, quam ſibi ſumſit auctor. Varia, contra famoſum hunc librum, prodierunt ſcripta, rariora hodie libro ipſo. Latuit non nihil auctor. Iam vero exploratum eſt, PHILIPPUM ANDREAM OLDEN-

(*u*) Vid. *Der teutſche Monzambanus* ſiue SAMUELIS L. B. A PUFENDORF *Bericht von dem Zuſtande des H. R. Reichs teutſcher Nation*, in *Praef.*

DENBURGERUM, ICtum magni nominis, parentem esse partus, sibi maxime fatalis. Si enim recte se se habent, quae V. C. CHRISTIANUS GOTTLIEB IOECHERUS, adnotauit, prouocans, in rei fidem, ad vitam OLDENBURGERI, in peculiari libello, conscriptam, quam vero videre, usque adhuc mihi haud licuit, auctor, quem dixi, folia libri duo, quibus contumeliosa multa, de principe quodam eiusque incastis amoribus, continebantur, poenae loco, deuorare debuit, acceptis insuper fustibus. Idem supplicii genus expertus dicitur libellus:

Dania ad exteros de perfidia Suecorum, 1643. 4to.

Huius auctorem THEODORUM REINKINGIUM esse Sueci palam fecerunt, iidemque, quum eorum famae grauis esset atque molestus, sparserunt ac disseminarunt, hanc auctori fuisse latam sententiam, ut vel ceruicem ferro praeberet, vel in pulte, quam tum edebat, libellum comederet, addentes, posterius eum fecisse. (x) Ut ut vero hoc est: veritati saltem non conuenit, libellum, quem excitaui, REINKINGII esse partum, cuius potius, auctoribus, THOMA BARTHOLINO, (y) & IOANNE MOLLERO, (z) verus est parens GUNDAEUS ROSAECRANTIUS,

(x) IOANNES DECKHERUS in *coniectur. de scriptis adesp.* p. 177. & ex edit. VINCENT. PLACCII in ej. *Theatro anonym. & pseudon. p.* 28.

(y) in *Tr. de scriptis Danor. p.* 50.

(z) in *Hypomn.* BARTHOLINI libro adducto, adiectis, p. 228. & in MOLLERI *Introduct. seu Isagoge in hist. Cimbr. p.* 147. & 287. Adde eiusd. *Cimbriam litt. T. II. p.* 698.

Digitized by Google

TIUS, regni Daniae senator, qui, & aliis scriptis, contra Suecos, omisso suo nomine, editis, atque a VINCENT. PLACCIO (*a*) recensitis, fidem regi suo probauit. Ipsis quoque Suecis hunc aduersarium, postea, haud ignotum fuisse, patescit ex libello, ab illis, huic, opposito, ad praenomen GUNDAEUS, per ludibrium, alludentes, inscripto: GUNDAEUS BAUBATOR *Danicus.* (*b*)

SINGULARIS, & ab hac, de qua dissero, poena, in libros statuta, non multum diuersa est, ea, quam ab ISAACO VOLMARO, *L. B. in & de Rieden*, apostata, *I. U. D.* ac *professore* primum *Friburgensi*, postea *Ferdinandi III. imperatoris & Ferdinandi Caroli*, *Austriae archiducis consiliario intimo*, & *archiducalis*, *superioris Austriae*, *districtus*, *camerae praeside*, *atque ad tractatus pacis Westphalicae*, *nomine utriusque*, *legato plenipotentiario* sumsit BERNHARDUS MAGNUS, *Saxoniae dux*. Hic, quum ab illo, variis scriptis contumeliosis, ante occupationem castelli Brisaci, esset lacessitus, recepto Brisaco, coegisse fertur VOLMARUM, ut litteras, calumniarum plenas, per unam horam, in ore teneret, ac manducaret, non tamen absorberet. (*c*) Contra, secretarium comitis cuiusdam Germani, anno cIↃIↃCXXXI deuorare debuisse litteras in poenam, testis est MARTINUS ZEILLERUS. (*d*)

Iam,

(*a*) *c. l. p.* 275.
(*b*) Prodiit 1659. 4to. Vid. MOLLERUS in *Hypomn. ad* BARTHOLINI librum adlegat. *c. l.*
(*c*) Vide V. C. IOANNIS DAVIDIS KOELERI *praef.* ad *T. X. der Müntzbelustigungen.*
(*d*) In *Epistolis, cent. I. ep.* XXXVIIII. *p.* 110. (edit. *Marp.* 1656. 4.)

Iam, ex adductis, nemo non, sua sponte, intelliget, haud adeo inauditum, prout narratoribus rerum, quae in terris geruntur, publicis, visum est, fuisse facinus, quod dux quidam bellicus, anno cIↄIↄccxxxxviiii, Viennae, commisit, dum notarium quendam, instrumentum solemne, ob denegatam sibi litterarum cambialium bis mille florenorum acceptationem, conficientem, ipsas has cambiales litteras deuorare, & immoderato simul potu se obruere, coegit. (*e*) Turpissimum vero hoc factum adeo nefas habuisse imperatoriam maiestatem, ut, ob id, priuari statim iusserit legione sua ducem, ibidem relatum legimus.


PLURA forsitan huiusmodi, chartis & libris irrogatae, poenae, in medium proferri possent exempla, si operae pretium foret, ea undique sollicite conquirere. LUDOVICUS enim LAVATERUS (*f*) iam obseruauit, tabellarios aliquando ad litteras edendas esse compulsos. Sed sufficiat, haec, speciminis loco, adtulisse.

(*e*) Nuntiarunt id diurna politica anni, quem dixi.

(*f*) In *Comment. in prophetam Ezechielem*, *homil. VII.*



Digitized by Google



INDEX AVCTORVM ET RERVM.

I. Claſſis Theologica.

Oetingeri

Digitized by Google


II. Philosophica & Mathematica.

III. Historica, literaria & Antiquaria.

Butting-

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google





Digitized by Google



Digitized by Google